






AMPLECTAMVR MARIÆ VESTIGIA FRATRES MEI, TENEAMVS EAM, NEC DIMITTAMVS, DONEC BENE-DIXERIT NOBIS. S. Bern. Apo. 12



STIMVLI CÆLESTES
Auctore
R. P. Christoph Wratislaw è Soc. Jesu

A.o 1655. F. JC. fecit.

Cong. Evenit Camal. Mont. Avg. Ex legato Per Illus. Adm. R. Dni Joannes Chrysostomi Bodrecka S.T. I.V.D Cano. Cracou. 1678



STIMVLI COELESTES

AD AMANDAM ET COLENDAM CŒLI TERRÆQVE REGINAM

MARIAM.

Confecti è Sanctorum Patrum Sententijs. Historijs, atque Elogijs, quæ per singula Sabbata, Lauretanis in Litanijs eidem piè occinit

CHRISTIANVS ORBIS.

Auctore

R. P. CHRISTOPHORO WRATISLAW
è SOC: IESV.

Cum Privilegio Eminentiss. Principis Card. ab Harrach.

PRAGÆ
Typis Academicis.
M DC. LV.

APPROBATIO R: P: PROVINCIALIS SOC: JESU.



Hunc Librum, cui titulus. STIMVLI COELESTES, ad amandam & colendam Cœli Terræque Reginam MARIAM, à R. P. Christophoro Wratislaw Societatis nostræ Sacerdote conscriptum, atque à deputatis ad id Censoribus lectum & approbatum, Ego Andreas Schambogen Societatis JESV per Bohemiam Præpositus Provincialis, concessâ mihi potestate ab Admodum R.P.N. Goswino Nickel Societatis nostræ Præposito Generali, Typis mandari permitto. Pragæ. 9. Martij. Anno à Christo nato. M.DC.LV.

(L.S.) *Andreas Schambogen.*

CONFIRMATIO
REVERENDISSIMI
DN. OFFICIALIS.

LIBER iste à suo Authore Adm: R. Patre Christophoro Wratislaw Soc: JESV Præsbytero intitulatus: Stimuli Cœlestes ad amandam & colendam Cœli Terræque Reginam MARIAM, postquam ab Adm: Rev: Patre Andrea Schambogen ejusdem Societatis JESV per Boemiam Præposito Provinciali, prævijs censuris & examine, in lucem prodire permissus, nil obstat, quominus quantocyùs ad Majorem Dei Opt: Max. Deiparæ MARIÆ. Cœlitumq; honorem & gloriam Typis evulgari possit. Pragæ. 15. Martij. Anno 1655.

Joannes Franciscus Rasche
ab Aschenfeldt &c. Officialis.

PROTESTATIO AVCTORIS.



AMice Lector. Sanctissimis Legibus ut paream, sanctè profiteor. Omnia quæ hoc Libro continentur, me intelligere juxta mentem VRBANI VIII. Summi Pontificis, expressam in Decretis datis. Anno 1625. 13. Martij. Anno 1631. 5. Junij. Anno 1634. 5. Julij. Tu interim Libro quem offero, continuò utere; habet ille selectiores Sanctorum PP: sententias: habet historias, atq; revelationes, nonnisi ex probis Auctoribus decerptas: hanisi ex probis Auctoribus decerptas: habet deniq; ea, quæ Mariam spirant. Mariam loquuntur. Ipsam portum nostrũ non dubitavit appellare S. Ephræm Syrus. Serm. in Laud. Tu ita ad hunc portum naviga, ut pervenias.

ILLVSTRISSIMIS

COMITIBUS,

Dño. D. GEORGIO COMITI Wratislaw de Mitrowicz. Domino in Protivvin, Milenovvitcz, Scotcitz, Glogoczin, &c. Sacræ Cæſareæ Regiæq; Majeſtatis Conſiliario, & ad Supremum Iudicium Regni Bohemiæ Aſſeſſori.

Dño D. F. ADAMO WILHELMO COMITI Wratislaw de Mitrowicz. Sancti Ioannis Hieroſol. Ord. Equiti. Commendatario in Grebnig. Tinecz. Goldberg. Lamberg. &c.

Dño. D. WENCESLAO COMITI Wratislaw de Mitrowicz. Dño in Zalſſy. Superiore Bukovvsko. Dirna. Ginetz. Mezny, &c. Sacræ Cæſareæ Majeſt. Conſiliario. Actuali Camerario. Ad Iudicia Aulæ & Cameræ Aſſeſſori in Regno Boëmiæ.

Dño. D. F. FRANCISCO COMITI Wratislaw de Mitrowicz. Sancti Ioannis Hieroſol. Ord. Equiti. Commendatario Meidelbergæ. Brunæ. Reichenbachij. &c.

D. D. FRATRIBVS.

S A L V T E M.



ON diu mihi deliberandum erat Fratres Illustrissimi, quibus cœlestes hos STIMVLOS offerrem. Vos omnium primi in animum incurristis. Vos tenuistis. Vos cœpistis. Et quidni? si enim Andreas Apostolus, ut loquitur Divus Joannes. Cap. 1. Invenit hic primum fratrem suum Simonem, & dicit ei, invenimus Messiam, quod est interpretatum Christus, & adduxit eum ad Jesum: cur & mihi non liceat, meliori tamen sorte, non unum sed quatuor adducere Fratres ad Mariam, hoc est, in obsequijs ejus gloriosè currentes, amplius incitare, promovere, imò in Sponsam offerre illam, quæ teste S. Bern. super Salve Reg: rapit corda hominum. Offero igitur Fratres Illustrissimi, offero HEROINAM vestro Sanguine dignissimam: nam Hesychius Orat. 2. de Virgine, vocat Mariam, præclarum naturæ nostræ ornamentum. De eâ S. Bernardin. Senenes. Serm. de Assump. ait Ipsa fuit honor humanæ conditionis. Offero HEROINAM à virtutibus & gratijs celeberrimam. Famosa est Maria propter virtutes & exempla sua tam laudabilia. Famosissima propter gratias & privilegia sua tam mirabilia, inquit Bonavent. C. 8. Specul. Offero HEROINAM à divitijs & opibus instructissimam, siquidem S. Bernard. Serm. 3. de Annuntiat: occultum thesaurum fuisse in Civitate Nazareth immaculatam Mariam, affirmat, confirmatque. Magnus inquit. latet in hac parvâ Civitate thesaurus, latet inquam, sed homines latet, non DEVM. Annon thesaurus Dei Maria? Offero HEROINAM amabilissimam, in cujus elogium Hugo Serm. 46. Quæcumq; in Scripturis, quæcumq; in Creaturis sunt amabilia, quæcumque suavia, quæcumque dulcia, quæcumque pulchra, quæcumque redolentia, quæcumque jucunda, quæcumque pretiosa, quæcumque sunt laudabilia, Mariæ laudibus conveniunt. Offero HEROINAM Sole amictam. Thomas Cardinalis, & Episcop. Sabin. in Psal. B. Virgo fuit quasi Sphæra & circulus Solis justitiæ & ideo fuit lux lucidissima & continua. Method. in Hypapant. vocat B. V. fidelium facem. Bernardus super Salve: radium Deitatis appellat. Offero HEROINAM quatuor supra quadraginta titulis velut pretiosis gemmis exornatam, stylo ex condicto currente, (quia

te, (quia ut cum S. Hieronymo ad S. Damaſum Papam ſcribente dicam. Mihi ſufficit ſic loqui ut intelligar) ſed non abſque ſelectis Sanctorum Patrum ſententijs. Pulchrè S. Bernardinus Senenſ. tom. 3. ſerm. 1. de Nomine Virginis. Sicut DEVM ipſum inquit, non uno tantum nomine nominamus, ſed multis, ut ſic ejus incomprehenſibilitatem enunciemus, ſic & glorioſam Virginem multis nominibus deſignamus, ut ſic ad ſublimitatem ejus cognoſcendam aliquantulum pertingamus. Ita ille. Hoc imitari conor in præſenti, Comites Illuſtriſſimi, ut quam in Sponſam offero, clariùs agnoſcatis, moxque in verba. Sap. 8: prorumpentes, dicatis ſimul, & ſinguli. Hanc amavi, & exquiſivi eam mihi Sponſam ſumere, & amator factus ſum formæ illius. Offero HEROINAM, undè meritò impoſterum gloriari poſſitis. Venerabilis Philippus Abbas bonæ ſpei, D. Bernardo coætaneus in 3. Cap. Cantic. Quis Virgini laudes non deferat, quis non ejus dignam faciat mentionem, quæ coronavit non auro, non lapide, ſed carne propriâ Salvatorem; quæ Regi contulit, unde velit, & valeat gloriari. Offero HEROINAM veſtri commodi ſtudioſiſſimam. S. Bernardin. Senenſ. ſerm. de Aſſump. Efficacia Virginalis patrocinij inſinuatur in elevatione nubis, de qua Num. 10. ſcriptum eſt. Elevata eſt nubes de tabernaculo fœderis. Aliquando præcedebat, aliquando ſequebatur, aliquando ſuperferebatur: ut myſticè patrocinia multiplicia B. Virginis erga populum electorum, & omniũ Chriſtianorum indicentur. Offero HEROINAM pacis domeſticæ amantiſſimam, quam alloquens Ioannes Geometra in Græc. Hym. Salve ait, jus dirimens lites. Huc pertinet illud Bernardi quod affert Bonav. c. 15. Specul. Tu mater Regis, tu mater exulis, tu mater DEI, & hominis cum ſis mater, diſcordiam inter filios nequis ſuſtinere. Offero HEROINAM erga ſubditos pientiſſimam. Bonav. c. 5. Spec. ait. Abyſſus eſt Maria in bonitate & miſericordia profundiſſima; unde profundiſſimam miſericordiam Filij ſui pro nobis interpellat, & quaſi abyſſus abyſſum invocat. Offero HEROINAM à rei familiaris notitiâ commendatiſſimam, quam cum veteri Ruth. confert S. Bonav. c. 4. Spec. Ruth inquit, interpretatur videns, aut feſtinans, & ſignat B. Virginem, quæ verè videns in contemplatione, & verè feſtinans fuit in actione. Offero denique HEROINAM Deo ipſi acceptiſſimam, qui licet non ſit acceptor perſonarum, tamen propter ipſam quæ eum glo-

rificavit, quodammodo accipit personas eorum, quorum causas Maria gerit, & apud Devm commendat. Leo Imperat. hom. de Assump. Reveretur Devs sanctissimam Arcam, benignumque se exhibet ijs, qui benignitate suâ sunt indigni, pœnâque solvit, & justitiæ lancem declinat, alioque vertit propter tuam dignitatem, quasi personarum acceptator factus, extensionem manuum tuarum reveritus, quæ tamquam vehiculum Devm gestaverunt. O Sponsam illustrissimam! O Heroinam excellentissimam! de quâ merito dicere posset Devs, quod Dux ille Sabaudus, qui ut refert Biverus in Privil. B. V. disser. 3 n. 31. Cum matrimonio esset junctus cum Infantâ Catharinâ, tanti fecit Serenissimam, ut cum subditis, ac famulis beneficium aliquod conferret, omnibus & singulis diceret. Infanta facit vobis hanc gratiam. Sed placet audire quid de Cœlesti Infantâ Mariâ dicere audeat S. Bernard. Senens. in serm. forte de Assump. Si mihi daretur, an vellem dona ab ipso fonte sic immediatè haurire, ut non per preces & manus Mariæ ad me descenderent, sed soli Deo debitor fierem, vel potiùs vellem ea dona per hunc cœlestem aquæductum recipere, & Virgini debere id quod gratia Dei essem, ego fateor genibus flexis instantissimè à Deo peterem, ut per hoc cœleste collum Divinæ influentiæ ad me descenderent, ut per eam possim ascendere ad Devm, per quam Devs descendit ad me. Quis hinc non colligat Fratres Illustrissimi, quo in pretio, quo in honore sit habenda quam offero Sponsa; quibus obsequijs & basiis non colenda; si enim ortâ quæstione inter filios Tarquinij Romani Regis, quis illorum esset à Patre Regnum consecuturus, hacque super re consultatum Delphicum Oraculum, respondit, ut inter alios refert Valer. Maxim. lib. 7. c. 3. Imperium summum Romæ habebit, qui vestrûm primus ô juvenes, osculum Matri (terram intelligebat) tulerit; proh quale Imperium non referet ille, qui vel iconi Marianæ sacrum fixerit osculum! Quicunque, inquit S. Greg. Papa in epist. ad Germanum Episc. Constantinop: omnium Dominæ, castæque Dei Matris imaginem venerantur, his sine dubio magna retribuit, quandoquidē imaginis veneratio in prototypum redit. Verùm quid præstantius Regulâ illâ Richardi à S. Laurentio Lib. de Laudib. Virg. Nota inquit, quod quidam habent Christum & Mariam in corde per dilectionem, alij in lingua per laudem, alij in codice per scripturam, alij in manu per operationem, sine quâ tria prædi-

prædicta non ſufficiunt, quia probatio dilectionis exhibitio eſt operis. At ne procul abiviſſe videar, dicam breviter quod ſentio. Hæc habui Comites Illuſtriſſimi, quæ pro meo, fraternoque in vos affectu offerrem. Stimulos offero, ſed Stimulos Marianos. Stimulos fateor, ſed non pungentes niſi ad vitam æternam. Eos quidni placituros ſperem, quia fraternâ manu elaborati, quia in Fratrum commoda; imò jam unumquemque veſtrûm audio mihi dicentem illud, quod S. Baſilius Magnus Diodoro de quodam Libro ad ſe miſſo dixit. Eo ſummoperè delectatus ſum, non ſolum propter illius brevitatem, ſed & propterea quod refertus ſententiis, & præterea dictionis inaffectata & incompoſita ſimplicitas, decora mihi videbatur, & conveniens perfectioni Chriſtiani hominis, cujus eſt, non ad oſtentationem magis ſcribere, quàm ad publicam utilitatem. Accipite igitur Fratres Illuſtriſſimi quod in veſtram utilitatem concinnavi. Accipite, & quo affectu Mariam Matrem Agonizantium, me Auctore olim recuſam, poſtmodum errore alieno, quaſi meam, denuò in lucem editam, excepiſtis, ſimili hoc Opus meum excipite. Loquitur illud Mariam, quam vos adeò amatis. Teſtes ſunt Provinciæ perplures, in quibus Alba Mariana, veſtrûm conſervant nomina. Loquitur illud Sabbathum, quod vos abſtinentijs, jejuniis, eleemoſinis, aliisque piis operibus colitis. Loquitur illud illuſtria elogia, quæ in Litanijs Lauretanis, SVMMÆ REGINÆ toties decantat Chriſtianus Orbis. Loquitur denique illud, vobisque prædicit fælicem mortem, ſimulque æternam vitam, ſi poſt IESUM, principe loco, ametis, colatisque MARIAM, cujus hæc ſunt ad vos verba. Proverbiorum cap 8. Beatus qui vigilat ad fores meas quotidiè, & obſervat ad poſtes oſtij mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem á Domino. Vos ad fores Mariæ, die noctuve vigilate, imò fores Mariæ, ipſamque Domum ei aliquando erigite, ut cum defeceritis in morte, illa vos recipiat in Tabernacula ſua. Hoc opto. Hoc voveo. Valete & vivite fælices, charique ſemper MARIÆ. Pragæ. 2. Februarij. Anno Domini 1655.

ILLVſtriſſimarum DD. VV.

Servus & Frater in Chriſto addictiſſimus.

CHRISTOPHORVS WRATISLAW

Societ. IESV.

MEMENTO VT DIEM SABBATHI SANCTIFICES.

MEMENTO VT DIEM SABBATHI SANCTICES.



S. MARIA,

MEMENTO VT DIEM SABBATHI SANCTIFICES.

Per illud triste Sabbathum stetit in fide, propterea aptissimè sancta Ecclesia in laudem & gloriam ejusdem Virginis, diem Sabbathi per totius anni circulum celebrare consuevit. Ita S. Bern. Cap. 2. de Passione Domini, loquens de Maria, & Sabbatho sancto.

CAPVT



CAPVT PRIMVM.

SANCTA MARIA.

Idcircò hujus nominis MARĪA, media longa est, ut in ejus nominatione diutiùs immoremur.

Richardus à S. Laurentio. Lib. 12. de Laudibus VIRGINIS.

STIMVLVS PRIMVS.



Considera. I. Quid augustius? quid pretiosius? quid dulcius sacratissimo & amabilissimo nomine Mariæ? nomen hoc inquit Petrus Chrysologus Archiepiscopus Ravennat. sermone 142. prophetiæ germanum est, hoc renascentibus salutare, hoc uirginitatis insigne, hoc pudicitiæ decus, hoc indicium castitatis, hoc Dei Sacrificium, hoc hospitalitatis virtus, hoc Collegium Sanctiratis. ita

ille. Cujus ſi antiquitatem ſpectes, jam in veteri teſtamento ut notat Caniſius Lib. 1. de B.V. Cap. 1. Sorori Moyſis, & quidem primùm inditum fuit. Si excellentiam ab ipſamet auguſtisſima Triade impoſitum teſtatur Idiota. dum lib. contemplationum de Virgine Maria Cap. 5. eam alloquens ait. Dedit tibi tota ſancta Trinitas nomen, quod poſt nomen benedicti Filij tui eſt ſuper omne nomen, ut in nomine tuo omne genu flectatur Cœleſtium, Terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur hujus ſanctiſsimi nominis gratiam, gloriam & virtutem. Hæc ipſe. Diviniſsimum hoc nomen ab Angelo parentibus publicatum, cum illis Virginis conceptionem prænuntiaret, affirmat S. Antoninus 4. parte, tit. 15. Cap. 14. & Sanctus Hieronymus, ſive alius Auctor libri de Ortu, ſeu Nativitate Mariæ, qui in tomo 9. operum Hieronymi habetur, aſſerit, Angelum Sancto Ioachimo apparuiſſe, eique inter alia dixiſſe: Anna, inquit, uxor tua pariet tibi Filiam, & vocabis nomen ejus Mariam. Meritò ſanè, ſicut enim nomen Iſaac diviniùs prædictum eſt Abrahæ, Geneſ: 17. nomen verò Ioannis Baptiſtæ ipſi Zachariæ, Lucæ. 1. ita hoc ipſum non eſt denegatum Deiparæ, ut obſervat Sua-

rez 3.

rez. 3. part. tom. 2. diſp. 7. Sect. 1. nam ut ſapienter S. Ambroſius lib. 2. in Lucam. Habent inquit hoc merita Sanctorum, ut à Deo nomen accipiant. O nomen, poſt nomen Ieſu auguſtisſimum! Speciale, ait Ambroſius lib. de inſtitutione Virginis, Cap. 5. Maria Domini hoc nomen invenit, quod ſignificat DEVS ex genere meo. O nomen poſt nomen Ieſu amabiliſsimum! Tu nec nominari, inquit ad eam Bernardus, potes, quin accendas. O nomen poſt nomen Ieſu digniſsimum! Si nomen, inquit Caniſius lib. 1. de B. V. cap. 1. ulli contigit mortalium, quod ſcribi, legi, decantari pingi, ſculpiq; mereatur, id Mariæ nomen videri poteſt, dignum ſanè quod in omnium oculos, aures & mentes incurrat, magnaque cum reverentia & privatim & publicè nominetur. O Chriſtiane! O Sodalis Mariane! ſi ſapis, illud ſæpius in die pronuntia, nam Sixtus V. Summus Pontifex in Bulla quæ incipit: Reddituri: de Commiſſo. data 11. Iulij, A°. 1587. quæ eſt 10. inter Bullas hujus Pontificis, apud Emanuelem Rodericum, 25. dies indulgentiarum impertitur ijs, qui dulciſsimum nomen Mariæ (easdem conceſſit nomini Ieſu) ore reverenter nominaverint. Quod ſi in lingua Euſtachij, Ciſtercien-

ciensis Ordinis Religiosi, à morte ejus, aureis litteris nomen Mariæ inscriptum, repertum fuit, qui dum viveret creberrimè illud proferebat, ut etiam in tua aliquando reperiatur, Eustachium imitare, si imitari renuis Radegundem, Clotarii Regis Conjugem, quæ in proprio corpore nomen Mariæ sibi ferro candente inussit. Eustachium imitare, si imitari renuis Franciscum Binans è Familia Minimorum, qui scalpello illud ipsum nomen in sua carne super Cor sibi insculpsit. Eustachium imitare, si imitari renuis Alexandrum Alensem, Doctorem celeberrimum, qui rogatus à quodam per nomen Sanctissimæ Virginis, Divi Francisci Familiæ sese addiceret, addixit. Eustachium denique imitare, si imitari renuis S. Eberhardum Illustrissimum Comitem, qui quicquid Mariæ nomine prudenter rogabatur, dabat. Quare mortuum vidit nonnemo in sinu Mariæ in cœlo foveri, velut infantem, & nectare cœlico à Divina Matre propinato inebriari. Bau. Sanct.

STIMVLVS SECVNDVS.

CONsidera. 2. Augustissimi hujus nominis Mariæ celebrẽ illam etymologiam, ex qua Domina

mina palàm dignoſcitur, nam hocce nomen Maria, valet idem quod Domina, ut docet S. Bona. in Spec. Cap. 3. S. Antoninus 4. parte tit. 15. Cap. 14. & Arnoldus Carnotenſis tract. de laud. Virg. Maria inquit, linguâ Syriacâ Domina dicitur. Pulchrè autem Damaſcenus lib. 4. de Fide, Cap. 15. ait, itaque gratia (nam hoc ſonat Annæ vocabulum) Dominam parit, id enim Mariæ nomine ſignificatur: nam revera Domina facta eſt omnium Creaturarum, cum Conditoris omnium effecta eſt Mater. Sic ille. Pulchrè item Chryſologus ſerm. 142. Ante cauſam, inquit, dignitas Virginis annunciatur ex nomine: nam MARIA hebræo ſermone, latinè Domina nuncupatur, vocat ergo Angelus Dominam, ut Dominatoris genitricem, trepidatio deſerat ſervitutis, quam naſci & vocari Dominam, ipſa ſui germinis fecit, & impetravit auctoritas. Hæc ipſe. Quare meritò Rabbi Haccados, magnæ apud Iudæos opinionis, ad petitiones Antonini Conſulis, Matrem Meſsiæ Dominam abſolutè fore tradidit. & Nazianzenus in Tragæd. de Chriſto patiente illam vocat Reginam. Dominam. Ephræm. orat. de B. V. Dominam. Principem, atq; Reginam præſtantiſsmam. Eam Baſilius, & Chryſoſtomus crebro

brò in ſuis Liturgiis appellant Dominam noſtram. Deniq; tota Eccleſia conſalutat, SALVE REGINA. Huc facit doctrina Suarij tom. 2. in 3. part. diſp. 21. Sect. 4. qui aſſerit, Mariam habere in corpore ſingularem aliquem & admirabilem ſplendorem, vel aliquid aliud quod ſit veluti inſigne regiæ dignitatis, & divinæ maternitatis, ac principatus & dominii in omnes Beatos. O fælicitatem Mariæ! o infælicitatem eorum, qui hanc non agnoſcunt, Reginam ac Dominam cunctis ſublimiorem, ut eam vocat Ephræm. Millia & millia ſerviunt ei, & tu quid? Ad hanc uiuorum ac mortuorum Dominam accurrũt cadavera ipſa; & tu quid? audi ex Ant. Bonf. & obſtupeſce. S. Ladiſlaus Belæ primi Regis Vngarorum filius, vitâ functus, atq; currui impoſitus, abſq; jumentorum hominumq; ope, in Templum quod ab eo huic Dominæ ſtructum fuit, non tam vehi quàm currere viſus eſt. Obſtupuit quidem ad miraculum Orbis, ſed fruſtra, famulorum quippè eſt currere ad Dominam. Tu qui mortuos imitari nequis, vivos ſaltem imitare. En Marinus, Frater Eminentiſsimi Patris, Petri Damiani, ad templum veniens, & ante Divæ Virginis Aram conſtitutus, ſe ei non illâ modo ſervitute, quâ vulgò ſo-

gò ſolent, ſed planè mancipii jure obſtringit, & quia mancipia ſæpè in vincula compinguntur, ipſe ſibi cingulum quo adſtrictus fuerat, in collum inicit, flagello cædit, tum impoſitâ Altari pecuniolâ aliquâ, tributi inſtar, quod ipſe quotannis deinceps tantæ Dominæ fideliter perſolvebat, ſuâ lætus ſervitute domum abiit. O ſpectaculum cœlo jucundiſsimum! & quidni lætentur Cœlites, ſi quando numerus augetur famulorum communi omnium Reginæ Mariæ?

STIMVLVS TERTIVS.

Conſidera 3. Alteram amabiliſsimi hujus nominis etymologiam. Maria, inquit Beda lib. 1. in Lucam Cap. 3. hebraicè Stella maris vocatur. Maria, inquit S. Hieronymus in Pſal. 18. interpretatur Stella Maris. S. Bernardus hom. 2. ſuper miſſus eſt, ait, Loquamur pauca, & ſuper hoc nomine, Maria, quod interpretatum, maris ſtella dicitur. Angelicus Thomas opuſc. 8. dicitur Maria ſtella Maris, ſicut navigantes ad portum diriguntur per ſtellam maris, ita Chriſtiani diriguntur ad gloriam per Mariam. Sic ille. Concludat Ildefonſus

ſus, qui ſerm. 1. de Aſſumpt. hæc habet: ipſa, inquit, ſtella maris, quam hodiè cœlum ſuis recipit ſedibus, appellatur, quia ſecundum uerbum hebraicum, Maria, ita interpretatur. Hinc agite dilectiſsimi, ut Lucifer ille qui neſcit occaſum, oriatur in cordibus veſtris, dum in hoc ſęculo eſtis, nam mare prorſus ſæculum eſt, Stella autem Beata Virgo Maria, de qua ortus eſt ille, per quem illuminatur omnis mundus. Hinc ſecuriùs accedite ad laudem Virginis, & illuminamini, quoniam ipſa eſt, per quam vera lux in mare hujus ſæculi refulſit. Hæc ipſe. At quid tu ô anima mea? Quid tu ô Sodalis Mariane, qui inter cymerias tenebras continuò ambulas? Ah ſi loqui non vales, ſaltem oculos attolle ad hanc Maris Stellam Mariam, ipſa enim quaſi ſidus eximium inter fluctus ſæculi labentis, gratia privilegij ſpecialis refulſit, ut Bedæ verbis utamur, hom. in Feſt. Annunc. Aſpice hanc mundi ſtellam Mariam, nam ipſa eſt Stella, imò Stella ſtellarum, cujus ductu & interventu ad Patriam transfretamus, ſi Giſilbertum audiamus; in denſiſſimis tenebris jaces? en ſtella illuminans Maria: cui Franciſcus Mayro in ſermone de creatione animæ Virginis, ait convenire illud Pſal. 75. illuminans

nans

nans tu mirabiliter à montibus æternis. Et quidni illuminet Maria, quam Ephræm ſermone de laudibus Virginis ſtellam fulgidiſsimã nominat? quidni illuminet Maria, de qua Heſychius Orat. 2. Alius inquit. cognominat eam Matrem lucis? Quidni illuminet Maria ad quam Chryſippus in Oratione. Aue fons lucis omnem hominem illuminans. Aue ſolis ortus, qui nullum ferre poteſt occaſum? Quidni illuminet Maria, ad quam Epiphanius, ſerm. de laudibus Vir. Aue, inquit, gratiâ plena, multis virtutibus exornata, Virgo in lampade geſtans lucem inextinguibilem ſole ſplendidiorem? Quidni deniq; illuminet Maria, ad cujus pedes proſtrata Eccleſia clamat.

Aue maris ſtella
Dei Mater alma. *& iterum*
Solue vincla reis
Profer lumen cæcis.

O quiſquis ab hac ſtella illuminari cupis, ne avertas oculos ab hujus ſyderis fulgore, monet Bernardus hom. 2. ſuper miſſus eſt. O quiſquis frigore vix non confectus calefieri deſideras, accurre ad hanc ſtellam, ipſa enim eſt, teſte eodem Bernardo ibidem: nobilis illa ſtella ex Iacob orta, calefaciens

magis mentes quàm corpora. Etsi S. Nicolao Tolentino morienti adfuit Maria, stella verò Cœlo delapsa super mortui tumulum stetit, tu moriens ut stellam hanc præsentem habeas, Sol esto ardens amore Mariæ, Solem enim occidentem sequitur stella.

STIMVLVS QVARTVS.

Considera. 4. Mariæ nomen amplius dicere, nam idem est quod myrrha maris: idem est quod mare amarum; & quidem primam significationem innuit Epiph. dum serm. de laud. Virg. ait. Rursum nomen illud Maria interpretatur Myrrha maris. Myrrha arbuscula est in Arabia nascens, quinque cubitorum altitudinis, non absque spina, caudice duro, intortoque, cujus cortice inciso lachryma defluit. Perpende an non arbuscula Maria? cujus fructus IESUS. Perpende an non lachrymas fundat? siquidem Albertus Magnus ad auditum nomen Mariæ lachrymis diffluebat. Perpende iterum, quam odorifera sit illa, nam teste Surio tom. 2. April. 7. B. Hermannus frequenter ad nomen Mariæ humi se prosternebat, sicque prostratus

tus diutius jacebat, causam rogatus, respondit. Quoties ad nomen Sacræ Virginis humi me abjicio, odor omnium florum & aromatum tanta suauitatis copia, è terra influit in nares meas, ut semper illic hærere vellem, si liceret. Perpende denique, si myrrha corpora à lue & mortalitate præseruat, an non efficacius id operetur nomen Mariæ? Certè Henricus Suso ut refertur in Pentaphyllo Mariano Conc. 3. de Annunc. dæmonem sibi insidiantem paratâ jam & ad necem intorqueri cæptâ sagittâ, solo Mariæ nomine inuocato fugavit. Vndè meritò Idiota in lib. Contempl. de Virgine Maria, cap. 5. eam alloquens ait. Non est in ullo alio nomine post nomen Filii tui tam potens adjutorium, nec est ullum aliud nomen datum sub Cœlo hominibus post dulce nomen Iesu ex quo tanta salus hominibus refundatur, quia super omnia Sanctorum nomina reficit lassos, sanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, ungit agonistas, & jugum diaboli extrudit. Sic ille: & paulò inferius. Tanta est virtus tui sacratissimi nominis ó superbenedicta Virgo Maria, quod mirabiliter emollit, & penetrat duritiem cordis humani. S. Bonau. in psalterio. Ab inuocatione nominis tui trepidat Spiritus malignus, pax multa diligenti-

gentibus nomen tuum. Et S. Germanus Orat. in Zonam Deiparæ. Tu, inquit, nequiſsimi hoſtis contra ſeruos tuos inuaſiones, ſolâ tui nominis invocatione ſanctiſsimâ repellens, tutos atq; incolumes ſeruas. Cui conſonat illud quod B. V. Sanctæ Brigittæ reuelarat lib: 1. Reuel. Cap. 9. Nomen meum eſt Maria. Angeli boni audito hoc nomine ſtatim appropinquant magis juſtis,quibus dati ſunt ad cuſtodiam: omnes etiam dæmones verentur hoc nomen Maria, ſtatim relinquunt animam de unguibus quibus tenebant eam. O myrrhæ efficaciam! ô virtutem Mariani nominis! proh quam præſeruat à lue, animarumque mortalitate! Heus Anima mea,quid ergò agis? eccur plena amaritudine non accurris ad hanc myſticam myrrham, non niſi mel & nectar ſtillantem? ad quam accurrens quædam mulier apud Cæſarium l. 7. c. 50. Coloniæ faſſa fuit, ſe nomen Dominæ noſtræ dicere non poſſe, ſine quadam mira dulcedine, quin & ipſa ſaliua videbatur ei ſub oratione in mel conuerti. Eccur occultiori morbo tentata, non uteris ſalutiferâ hâc myrrhâ, inſtar illius Indæ Virginis, de qua Epiſtolæ Indicæ. An. 1582. quæ de pudicitia grauiter tentata,cùm inclamaſſet Ieſus.Maria, nefarius ama-

tor

tor ad terram afflictus est cœlesti fulmine. Proh pudor! Ethnica illa fœmina apud Iapones, quæ quotidiè centies & quadrigies millies Amidæ Idoli nomen pronuntiabat, ad fidem tandem conversa, pari numero Sacratissimum nomen Mariæ efferebat, & tu Sodalis Mariane nunquam? Proh scelus! apud Hungaros tanta erat nominis hujus Religio, ut si illud pronunciaretur, flexis genibus, ac demissis in terram capitibus se inclinabant, quemadmodum legitur in vita Sancti Gerardi Episc. & tu ne quidem caput detegis? Erubesce & audi. Rachel puella quinquennis circiter, adhuc Iudæa, tamen Mariæ nomen magna cum lætitia audire gestiebat, & ut à Christianis sæpius in hoc nomine eleemosinas peti audiret, jejunabat, quodue in corporis defraudatione lucrabatur, pro Mariæ nomine expendebat, pauperibus enim id dabat in nomine Mariæ petentibus. Thom. Cantipr. l. 2. c. 29. Sed age, & aliam Mariani nominis significationem perpende. Hoc diuinissimum nomen, teste S. Hieronymo in Matthæo, sonat amarum mare. Epiphanius de orat. de laudibus Virginis, vocat Mariam mare spirituale, habens gemmam cœlestem Christum: & Carthusianus Lib. 3.

 de laud.

de laud. Virg. art. 30. Maria inquit interpretatur mare; rationem ſi inquiras cur ſic vocetur, idem Carthuſ: ibi reſpondet. Quia ſicut nullus valet guttas maris dinumerare, ſic miſericordiam, gratiæ excellentiam, gloriamque Mariæ nullus valet exprimere. S. Bonau. verò in ſpec. B. V. c. 3. ait; Maria dicitur mare propter affluentiam & copiam gratiarum. Hinc Albertus Magnus, ſuper miſſus eſt, dicit. Congregationem aquarum vocavit Deus maria, locus autem omnium gratiarum vocatur Maria. Altera ratio cur mare amarum dicatur, colligi poteſt ex verbis ejusdem Bonau. Deipara, inquit, mare eſt amarum diabolum ſubmergendo, quemadmodum mare rubrum amarum fuit Ægytijs in ipſo ſubmerſis. O quam amara & timenda eſt Maria dæmonibus, unde Bernardus. Non ſic timent hoſtes viſibiles quaſi Caſtrorum multitudinem copioſam ſicut aëreæ poteſtates Mariæ vocabulum, fluunt & pereunt ſicut cera à facie ignis, ubicunq; inueniunt hujus nominis recordationem, deuotam inuocationem, ſollicitam imitationem. Sic Bonau. Pulchrè B. Albertus Magnus in C. 1. Lucæ. Si illecebræ, inquit, carnis te trahunt, & ſuperantes jam ad illicitas delectationes te propellunt, baptizare in

amari-

amaritudine maris, & nomina Mariam. Tertia ratio cur amarum mare dicatur Maria, eſſe fortè poteſt, quia in paſsione Filij tantâ amaritudine repleta fuit, ut audeat dicere S. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 24: dolorem ejus in paſsione Filij, improportionabiliter majorem fuiſſe, quàm cujuſq; Martyris in ſua paſsione: ſed de hoc fusè infrà, cap. 41. Titulo Regina Martyrum. Quarta ratio afferri poſſet, quia tu ipſe hoc dulciſsimum mare amarum reddis, culpis atq; imperfectionibus tuis, quibus etiam opera illa quæ aliàs bona videntur, ſcatent, ſimilis ſanè juueni illi, cui in vaſta ſolitudine erranti & famelico, apparuit Maria, obſonium ſedandæ fami opportunum offerens, ſed lance tam ſordidâ, putidâue, ut nauſeabundus ipſe, licet eſuriret, tamen vel unum bolum ex ea ſumere renueret. Appoſitè tunc Maria: & talia ſunt quæ tu mihi, quotidie offers fercula, roſarium, officium, aliaq; pietatis exercitia quæ ſingulis diebus exſolvis, bona ſunt quidem & ſapida, ſed ex tam immunda ſcelerataq; conſcientia ea mihi præbes, ut primo aſpectu nauſeam & horrorem pariant. En maris hujus amaritudinem, quod ut tibi dulceſcat, ore, cordeq; puro venerare Mariam. Vt dæmonibus magis magisque ama-

amarescat, sæpius in die Mariam ingemina, nam Religiosissimus Franciscus Yepes, de quo Cyprianus Carmelita, in suo Thesauro Carmel. cap. 15. ad finem: inter tria quæ dæmones torquere, & quæ maximè exosa habere diuinitùs intellexit, unum fuit. Proferre suauissimum nomen Mariæ. O millies beatum, cui hoc augustissimum nomen semper in ore, semper in corde! O millies felicem, qui hoc diuinissimum nomen aliorum etiam auribus, cordibusque inseruerit, juxta illud Idiotæ lib. contemp. de Virg. Maria Cap. 5. sic Deiparam alloquentis. Fama tui sacratissimi nominis, clarissima virgo Maria prius clausa fuit, quamdiu in mundo morata fuit, sed post Assumptionem tuam in Cœlum divulgata fuit per omnia mundi climata: nam in prædicatione Apostolorum in omnem terram exiuit sonus tui sanctissimi nominis. Hæc ipse. Concludat S. Bonau. in spec. B. V. C. 8. O celeberrimi nominis Maria, quomodo posset nomen tuum non esse celebre, quæ etiam deuotè nominari non potes sine nominantis utilitate.

MEMEN-

MEMENTO UT DIEM SAB-BATI SANCTIFICES.

Diſcite Mortales Sabbata colere vel à nefario milite,
Diſcite Chriſtiani, Mariano nomini parcere, vel à laſciuo homine.

Miles impurus, quam adamarât Virginem, violare renuit ob reuerentiam Deiparæ, tum quia Sabbatum erat, tum quia Virgo nomine Mariæ inſignita. O militem gloriosiſsimum! ô victorem celeberrimum! dignum profectò, quem ab impurâ vitâ ad viam Cœli reductum, lauro coronet Maria. Vincen. Belluac. Spec. l. 7. c. 102. 103.

CAPUT SECVNDVM.

SANCTA DEI GENITRIX.

Hoc ſolum de Sancta Virgine prædicari, quod Mater Dei eſt, excedit omnem altitudinem, quæ poſt Deum dici, vel cogitari poteſt.

S. Anſelmus lib. de excell. Virg. Cap. 2.

STIMVLVS PRIMVS.

COnsidera. I. Supremam illam dignitatem, ad quam evecta fuit Maria, quando Mater DEI facta. Magnum est Angelo, inquit Bernardus, serm. de Aquæ ductu, ut minister sit Domini, sed Maria sublimius quiddam meruit, ut sit Mater. S. Bernardinus tom. 3. Conc. 61. art. 2. C. 4. ait. Mater Domini nostri IESV gloriosa Maria, tantò melior est Angelis effecta, quantò præ omnibus creaturis hæreditavit, ut obtineret dignissimæ Matris nomen. Albertus Magnus apud S. Antoninum 4. parte, tit. 15. Cap. 20. hæc asserit. Non potest, inquit, intelligi major gratia participari creaturæ, quàm esse Matrem Dei. Cui suffragatur S. Bonau. dum in Spec. B. V. Cap. 8. dicit. Ipsa est quâ majorem Deus facere non posset, majorem mundum facere posset Deus, majus Cœlum facere posset Deus, majorem Matrem quam Matrem Dei, non posset facere Deus: ita Bonav. Idem Bonaventura in 1. Sentent. dist. 44. in expos. text. in fine. Virginem, inquit, quo ad conceptionem prolis, & quia fuit Mater Dei, quo nihil nobilius cogitari potest,

teſt, ſic tantam habuiſſe bonitatis dignitatem, quod nulla mulier amplius capere potuit. Sed audi Angelicum Thomam, qui 1. part. quæſt. 25. art. 6. agens, an Deus poſsit meliora facere ea quæ fecit, in ſolutione ad 4. docet. B. Virginem ex hoc quod eſt mater Dei, habere quandam dignitatem infinitam, ex bono infinito, quod eſt Deus, & ex hac parte, non poſſe aliquid fieri melius eâ, ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo. Hæc D. Thomas. Audi S. Bernardinum Senenſem, tom. 1. Conc. 61. art. 1. Cap. 12. Quod Deus, inquit, generet Deum, nulla requirebatur in Deo diſpoſitio, cùm ei ex natura conveniret, ut per viam naturæ intellectus produceret Verbum per omnia ſibi æquale: ſed quod fœmina conciperet, & pareret Deum, eſt, & fuit miraculum, oportuit enim, ut ſic dicam, fœminam elevari ad quandam æqualitatem divinam, per quandam quaſi infinitatem perfectionum, & gratiarum. Hæc S. Bernardinus. O mortales quid agitis? cur ad invicem non exclamatis, cum Petro Damiano, ſerm. de Nativit. B. Virg. Quid grandius, inquit ille, Virgine Maria, quæ magnitudinem ſummæ Divinitatis intra ſui ventris concluſit arcanum, Attende Seraphim, & in illius ſuperio-

ris naturæ ſupervola dignitatem, & videbis quicquid majus eſt, minus Virgine, ſolumq; opificem opus illud ſupergredi. O Chriſtiani! cur non accurritis ad honorandam hanc Dei Genitricem, de qua S.Bonav. in 1. Sent. diſt. 4. inquit. Tanta eſt matris Dei dignitas, ut omnes Creaturæ, quantumcunque aſcenderent in gradibus nobilitatis, ſi eſſent præſentes, omnes deberent reverentiam Matri Dei: ita ille. Et quidni? nam S. Petrus Damianus Serm. 2. de Nativ. cum præmiſiſſet Deum non uno modo Creaturis ineſſe, hæc addit. Quarto modo ineſt uni Creaturę, videlicet Mariæ Matri, identitate, quia idem eſt cum illa; hîc taceat & contremiſcat omnis Creatura, & vix audeat aſpicere tantæ dignitatis immenſitatem, habitat Deus in Virgine, cum qua naturæ habet identitatem: ita Damianus. Agite ergo ô Creaturæ univerſæ, agite quot quot in hac lachrymarum valle degitis, & ſanguineis lachrymis deflete, veſtram in colenda huc usq; Dei genitrice, deſidiam; agite, & exemplo Nizetæ in ſua confeſsione, cùm à Sarraceniſmo ad fidem Catholicam bonus transfuga ſe recepiſſet, ſic cum ipſo, ſinguli pronunciate. Sanctam Virginem, Dei propriè vereq; Matrem eſſe credo, & confiteor, eamdemq; ut re-

vera Dei Matrem adoro & veneror. Agite, & Cœlites æmulamini, nam ex Revel. B. Gertrudi factis habemus, lib. 4. insin. Cap. 12. Sanctos in Cœlo gratias Domino retulisse, pro omnibus beneficijs B. Matri unquam ad universitatis salutem impensis. Agite deniq; & ipsi Dei Genitrici obtemperate, ex cujus persona in quodam responsorio Festi Visitationis, Ecclesia ait. Congratulamini inquit mihi, quia cum essem parvula, placui Altissimo, & de meis visceribus genui Deum & hominem.

STIMVLVS SECVNDVS.

COnsidera 2. Hanc summam dignitatem non absque merito & cooperatione obtigisse Mariæ, nam Patres sæpè & apertè testantur, eam non sine suo merito Dei Matrem effectam. Audi Chrysostomum ser. in Domini Hypapante. Beata Mater ultra omnem humanæ naturæ modum, modestiam ac temperantiam excoluit, & ob id universorum Dominum in utero gestare promeruit. Audi Hieronymum in ep. ad Eustoch. de custodia Virginit. Tantæ puritatis Maria extitit, ut mereretur effici Mater Filij Dei. Audi Augustinum. Conci-

pere & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Audi Eusebium Emissenum. Hæc sola Mater Domini fieri meruit. Audi denique Honorium serm: de Festo Nativitatis Mariæ. Hæc prima inter mulieres vovit DEO virginitatem, & ideò sola inter mulieres meruit Virgo summæ prolis fæcunditatem. Et quidni hanc dignitatem mereretur Maria? quæ teste D. Thoma in 3. part. quæst. 2. art. 11. ex gratia sibi data illum puritatis & sanctitatis meruit gradum, ut Mater DEI esse congruè posset. Et quidni hanc dignitatem mereretur illa, quæ ut annotavit Chlichtovæus. lib. 2. de veneratione Sanctorum. Cap. 13. digna fuit atq; idonea, ex Dei munere primùm, & deindè suâ ipsius apta dispositione, per bonorum operum studium, ferre castis suis visceribus Dei filium. Ah Anima mea, quo non pertingeres tu quoque si modò velles! Hinc est quod magnus Ignatius solitus fuerit dicere, neminem esse qui satis intelligat, quanta per illum perficeret Deus, si is non obstaret. Et S. Xaverius ait. Circumspiciendum quam multa per nos Deus vitio nostro efficere desinit. Quod si Ignatio & Xaverio non credis, crede Genitrici Dei, quæ ut refert S. Bonau. in Cap. 3.

medit.

medit. vitæ Christi, cuidam personæ sibi devotæ dixit. Filia dico tibi quod nullam gratiam, donum, vel virtutem habui à Deo sine magno labore, continuâ oratione, ardenti desiderio, profundâ devotione, multis lachrymis & multa afflictione, dicendo, cogitando, semper placita sibi, sicut sciebam, & poteram, exceptâ sanctificationis gratiâ, quâ sanctificata fui in utero Matris. Et addidit; pro firmo scias, quod nulla gratia descendit in animam, nisi per orationem & corporis afflictionem.

STIMVLVS TERTIVS.

CONsidera. 3. Quæ præcesserint hanc summam dignitatem in Maria. Anno ab Orbe condito circiter quater millesimo, adest teste D. Luca Cap. 1. Legatus Angelus Gabriel. Ad MARIAM, inquit Gregorius Magnus homil. 34. in Evangelia, non quilibet Angelus, sed Gabriel Archangelus mittitur, ad hoc quippè ministerium summum Angelum venire dignum fuerat, qui summum omniũ nunciabat. Adest teste D. Luca Cap. 1. in Civitate Galileæ cui Nomen Nazareth, legatus Angelus Gabriel, de quo & Sanctissima Virgine, Bartholomæus

mæus Apoſtolus apud Abdiam lib. 8. Hiſtorię Apoſtolicæ. Huic ſubitò in ſuo cubiculo clauſæ ſplendens ſicut Sol Gabriel apparuit. Sed audi loquentem. Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. O novum & inauditum, exclamat Petrus Dam. Ser. 3. de Nativit. B. V. Angelicæ Salutationis obſequium! Non ſimplex fateor. inquit Sophronius Serm. de Annunc. vel conſueta fuit iſta ſalutatio, ſed omni admiratione digna. O Sodalis Mariane tu qui in terris Mariam videre nequis, ſaltem

Virginis intactæ dum præteris ante figuram
Prætereundo cave, ne ſileatur Ave.

Diſce ab Angelo ſalutare Mariam. Diſce ſæpius in die offerre ei precatiunculam illam, cui initium dedit Gabriel, quod etiam nunc accidentalę gaudium Gabrieli affert in Cœlis, nam Lib. 4. Revel. S. Gertrudis Cap. 12. ſic leges. Sanctus quoq; Gabriel, toties novo ſplendore divini luminis viſus eſt irradiari, quoties recitabatur Annunciatio facta per ipſum: ita ibi. Diſce ſuadente Bonaventurâ perſonare Angelicum Ave. Perſonemus, inquit ille in Spec. B. V. Cap. 2: illud Ave, quo initiata eſt
noſtra

noſtra redemptio: & infra. Omnes dicamus ei Ave, omnes oremus, ut propter ſuum dulciſsimum Ave, nos oret liberari ab omni Væ. Diſce deniq; habere continuò in ore ſalutationem Angelicam, nam eam devotè recitantibus. Vrbanus IV. Summus Pontifex, 30. dierum indulgentiam conceſsit: & Papa Ioannes XXII: ei qui ſerò flectendo ad pulſum campanæ ter eam percurrerit, 20. dies indulgentiarum impertijt. Paulus autem V: mille dierum Indulg. elargitus eſt, tunc Virginem ſic veſperi ſalutantibus; & hanc tu ſalutare omittes? huic tu genuflectere ad ſalutationis Angelicæ pulſum negliges? proh cave ne audias, quod Religioſus ille de quo Pelbar: qui in ſomnis vidit campanile templi tribus vicibus ita inclinari, ut illius faſtigium penè terram tangeret, audivitque vocem increpantis; piger homuncio, ecce inſenſibiles creaturæ coram B. V. ſe inflectunt, & tu ratione præditus id ipſum negligis præſtare?

STIMVLVS QVARTVS.

COnſidera. 4 Quando Maria ad tam ſublimem dignitatem evecta fuerit; nimirum mox

atque hæc verba finivit. ECCE ANCILLA DOMINI fiat mihi ſecundùm verbum tuum. O verba potentiſsima! ô aſſenſum efficaciſsimum! Auguſtinum audi Serm. 2. de Annunc. qui ait. Ecce inquit, ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum, nec mora, vertitur nuncius & virginalem thalamum ingreditur Chriſtus, efficitur ſubitò prægnans Dei Genitrix, concepit mox divinitatem Verbi. Audi Baſilium Seleuciæ Epiſcopum. Orat. de Annunc. Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum: nec mora, divinæ conceptionis miraculum in utero Virginis confectum fuit. Audi Anaſtaſium Papam ad Vrſinum in fragmento, quod habetur. 2. tomo Conciliorum ante Concilium Arvernenſe. Dignatus eſt poſt conſenſionem Sanctæ Virginis, cùm dixit ad Angelum. Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundùm verbum tuum, ineffabiliter ſibi ex ipſa ædificare templum, & ſtatim ſibi univit, quod non coæternum de ſua ſubſtantia è Cœlo detulit corpus, ſed ex maſſa noſtræ ſubſtantiæ, hoc eſt ex Virgine, hoc accipiens, & ſibi uniens, non Deus verbum in carnem verſus eſt, neque ut phantaſma apparens, ſed inconvertibiliter, & incommutabiliter ſuam conſervavit eſſentiam, & pri-

mitias

mitias nostræ naturæ sibi univit. O unionem stupendam! ô mysterium à sæculis absconditum! ô incarnationem sanè admirabilem! cujus ne quidem possibilitatem ut docent Theologi ad 3. part. S. Thomę, potuisset unquam naturaliter agnoscere sive homo, sive Angelus, qui de facto existunt. Tu ergò Christiane, qui jam fidei lumine instructus, hoc altissimum mysterium agnoscis, simul etiam illud gratus recole ac venerare. Certè dum Romæ in cubiculo Cardinalis Savonensis de incarnatione dissereret B. Iacobus Picenus Minorita, imago Deiparæ caput inclinavit, ut leges apud Antonium Balinghem in Calendario B.V. & fortè Vlyss. l.6. p.3. Histor. Minorum, quasi quæ ille dixisset, approbaret. Vis & tu dicta tua approbari à Maria? loquere quàm potes altissimè de tam sublimi mysterio, atque maternitate Virginis. Vis per gratiam fieri Dei filius adoptivus, quemadmodum illa per gratiam facta est Mater ejusdem? exemplo Mariæ, Ecce ancilla Domini &c. esto & tu servus Domini; imò ad hujus servitutem, Genitricis exemplo, alios etiam pertrahere studeto. Audi de Realino. Cùm adhuc in sæculo degeret, à Deipara monitus, supremi omnium Regis obsequijs se dicaret, quod quidem ille,

non ſat intelligens (ô hominum cœcitatem !) ſe deſtinari ad Philippi ſecundi Hiſpaniarum Regis famulatum autumabat, quare ad eundem epiſtolâ datâ, ſuiſque obſequiis delatis, candidè aperuit, ſe id facere monitu Deiparæ. Placuit Catholico Regi animi candor, eumque ſervitijs ſuis deſtinavit, atq; ita publicis Iudicijs in Alexandrina Vrbe, cum auctoritate præfectus eſt, poſtmodum à Regni Neapolitani Prorege Generalis ſuorum ſtatuum Auditor creatus; at aliquot annis in his officijs transactis, à B.V. ei apparente, denuò monitus eſt, Societatem Ieſu ingrederetur. O monitricem prudentiſsimam! ô conſilium ſalutiferum! Loquere & mihi Domina, quia audit ſervus tuus. Loquere omnibus quæ ad ſalutem ſunt magna Dei Parens Maria. Sed vos mortales, hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, Pſal. 94.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

QUidni Angeli, hominesq; ſacratiores cultus deferāt DEI GENITRICI? defert S. Ildephonſus Toletanus Archiepiſcopus, ſiquidem

dem novem lectiones quolibet Sabbato dicendas in officio, ad Deiparæ honorem confecit: deferunt Angeli, nam illos idem Ildephonſus, Sabbato quodam audivit in Eccleſia dulciſsimis canticis laudantes MARIAM.

O Sodales Mariani, & vos ſoli tacebitis?

CAPUT TERTIVM.

SANCTA VIRGO VIRGINVM.

Virgo ipſa eſt, & Virginum amans, pura eſt, & purorum amans.

S. Damaſcen. Orat. 2. de dorm.

STIMVLVS PRIMVS.



COnſidera. I. An non Virgo Virgo Virginum Maria, quam Ildephonſus Serm. 1. de Aſſump. vocat faſtigium omnium Virginum. Serm. 3.

 exem-

exemplar perfectæ Virginitatis. Serm. 4. Caput Virginum. Quam Ambr. lib. 2. de Virginibus, appellat imaginem virginitatis. Florem virginalem, Bonav. in Litanijs B. V. Virginitatis thesaurũ, Damasc. Or. 1. de Nativ. Sigillum Virginitatis, Alanus in cant. 1. Incomparabilem universis quæ sub Cœlo sunt Virginibus, Sophronius serm. de Assumpt. Quare meritò ab Ecclesia publicatur Virgo Virginũ: quæ geminatio quidni denotet excellentiam Mariæ supra reliquas Virgines? siquidem Basilius hom. de humana Christi generatione, Nulla, inquit, puritate par Mariæ virginitas inter homines ad effectum Sancti Spiritus excipiendum est reperta, quo in eam superveniente vera Dei Genitrix est effecta. Pulchrè Epiphanius hær. 78. Quis unquam inquit, aut quo sæculo ausus est proferre nomen Sanctæ Mariæ, & interrogatus non statim intulit Virginis vocem? & Abrahamo impositum est epithetum, Amicus Dei, & non dissolvetur. Iacob verò, ut Israël vocetur, & non alterabitur, & Sanctæ Mariæ vox Virgo, & non mutabitur. Hæc ex Epiphanio. Macte animis igitur Virginis clientes, adeste ocyùs linguis, calamisque, & audacter virginitatem Virginis summæ, publicate ubique, laudate, defendite, æmulatores Sanctis-

ctiſsimi illius Toletani Præſulis Ildephonſi, de quo Mariana. Lib. 6. de rebus Hiſp. Cap. 10. qui propter virginitatem Mariæ defenſam, à S. Leocadia Virgine, è ſepulchro prodeunte (hæc ante 300. & eò amplius annos, ante hoc factum ex humanis exceſſerat) palàm laudatus fuit. Audite & obſtupeſcite. Orante ante tumulum Leocadiæ, Ildephonſo, præſentibus Rege, Clero, populoque, accidit ut è ſepulchri lapide quo tegebatur, & quem vix. 30. fortiſsimi homines loco movere potuiſſent, ſpontè ſublato tumulo egreſſa Leocadia Virgo pulcherrima, manum Ildephonſi tangeret, eique diceret. Per te vivit Domina mea. O laudes! ô encomia! digna encomiaſte Mariano: cui ne ingrata videretur, cùm Sanctus hic, librum de virginitate Mariæ ad finem usque perduxiſſet, apparuit ei Cœlitum Regina, cui ille omni quo poterat ſtudio ſemper devotiſsimè famulabatur, ipſumque librum virgineis manibus geſtans, nec non agens gratias pro tali ſervitio, quod ſibi gratiſsimum eſſe aſſerebat. Trithemius, Libr: de Scriptoribus Eccleſiaſt. Proh quod ſaxeum pectus tanta humanitas non emolliret! ecquis non optaret ipſos digitos ſibi in calamos verti, quibus elogia Virginis conſcriberentur!

STIMV-

COnſidera. 2. Quid ex B. Alberto Magno, (quo Beati titulo eum decoravit Vrbanus VIII.) denotet geminatio hæc, Virgo Virginum: an non Mariam reliquarum Virginum eſſe Matrem? ita equidem, id enim ipſe docet, qui C. 32. ſuper miſſus, ait. B. Virgo eſt Mater omnium in Virginitate, quæ Virginitatis munus Deo obtulit, per quod omnes Virgines per imitationem Virginitatis genuit. Hieronymus lib. 1. contra Iovinian. Hæc virgo perpetua multarum eſt Mater Virginum. Damaſcen. Orat. 1. de Nat. Virginem alloquens. Tu, inquit, Virginitatis feraciſsima planta, per te enim Virginitatis pulchritudo latiſsimè ſeſe diffudit. Ita profectò, nam Ambroſ. lib. de inſtit. Virg. Cap. 6. ſic ait. Mariæ exemplo cæteræ ad integritatis ſtudium provocãtur. Et Epiphanius hæreſi 78. affirmat, ſuo tempore Virgines in honorem & imitationem Deiparæ virginitatem ſervare ſolitas; adeò quippè verum eſt illud Ambroſij lib. 2. de Virg: exemplis potius homines moveri quàm præceptis. Aſt proh dolor! tu nec præceptis, nec exemplis moveberis? Mariam quam Matrem Virginitatis appellat Anſelm.

ſelm. de excel. Virg. C. ult: tu degener filius, non imitaberis Mariam? quam Magiſtram Virginitatis vocat Ambroſ. de inſtit. Virg. Cap. 6: tu negligens diſcipulus non frequentabis Mariam? quam Virginum ſigniferam proclamat Bonav. in Litanijs; tu timidus homuncio non ſequeris? Egregia Maria, inquit Ambroſ. libro de inſtitutione Virginum: Cap. 6: quæ ſignum ſacræ virginitatis extulit, & intemeratæ Virginitatis pium Chriſto levavit vexillum. O miles Chriſtiane! ad hoc vexillum ocyùs accurre, milita ſtrenuè ſub hac vexiliifera, ſic Mariam nominat Bernardus ſerm. 4. in Salve: & quidni opima ſpolia referas? quidni ſtipendia ampliſsima? quemadmodum S. Ildephonſus è Divi Benedicti Familia Epiſcopus Toletanus, de quo Surius in ejus vita; cui comparens Maria, veſtemque afferens miri candoris, ac miræ ſubtilitatis, in qua Chriſti & Mariæ, toto anno recurrentia Feſta celebraret, ſuis ipſa manibus veſtem illam collo ejus inſeruit, & dixit. Accipe de manu mea munuſculum, quod tibi de theſauro Filij mei attuli, cultæ in tuo corpore virginitatis, cum mentis puritate, fideique ardore conjunctæ, noſtræque virginitatis defenſæ prœmium. O prœmium omnium Gymnaſiorum prœ-

mia excedens! O ſtipendium quod ſub virgineis vexillis promerentur Virgines!

Stimulus Tertius.

CОnſidera. 3. Efficaciam Mariani patrocinij erga Virgines: & quidni Virgo Virginum opituletur Virginibus? hinc S. Chryſoſtomus ſerm. de B. V. Quicunque ait, eſtis Virgines, ad Matrem Domini confugite, illa enim pulcherrimam, & incorruptibilem poſſeſsionem patrocinio ſuo vobis conſervabit. Hinc doctiſsimus Salazar tomo in Proverbia Salamonis Cap. 8. verſ. 36. ſic loquitur. Exiſtimo nullum prorſus caſtum & temperantem eſſe poſſe, niſi Mariæ patrocinio utatur, atque eam cultu & obſequio ſibi devinciat. Vnde Bonav: cùm meminiſſet illius ſententiæ apud Eccleſiaſtem. Cognovi quod nemo poſsit eſſe continens, niſi Deus det, ſic ad Virginem invertit. Cognovi quod nemo poſsit eſſe pudicus, niſi dante Deo, & Maria interveniente. Hæc ibi. Idem: verſ. 12. n. 43. explorata, inquit, res eſt, animos turpium cogitationum inquieto motu perturbatos, ſolâ Mariæ recordatione ſedari, inque pias & utiles meditationes traduci.

Quare

Quare jure merito Sancta Romana Ecclesia orat Virginem.

Virgo singularis
Inter omnes mitis
Nos culpis solutos
Mites fac & castos.

O quot succurrit illa! Nonne Reginaldo? cui teste S. Antonino 3. parte Hist. tit. 23. Cap. 4. §. 4. apparuit, carnemque ejus ab ardore concupiscentiæ ita temperavit, ut ne parvus quidem libidinis motus in eo pullularit. Nonne Ignatio Loyolæ? cui adhuc sæculari, unà cum puero IESV conspicuam se præbuit, turpium atque obscænarum rerum imagines ex ejus animo detersit, ita ut ex ea hora, ut refert Ribaden. in vita L. 1. C. 2. castitatem purissimè servarit. Nonne Iacobo de Ledesma? qui fuit è primis Societatis IESV Patribus, & Theologus insignis, cui ut notat Sachinus part. 2. Hist. Societ. Lib. 1. n. 65. sub initium vocationis, de perpetuanda castitate formidanti, Brixiæ comparuit, atque donum castitatis per omnem vitam promisit. Disce hinc Christiane, in carnis tentationibus ad Virginem recurrere. Disce contra libidinis æstus, Ma-

riæ implorare auxilium. Disce à devotiſsimo Patre Bernardino Realino, qui olim rogatus, remedium aliquod adverſus fæda phantaſmata, & nocturna in ſomno carnis tentamenta præſcriberet, tale cuidam præſcripſit; ut ter crucem ſuper cor efformaret, & hæc verba proferret. Per Sanctam Virginitatem tuam puriſsima Virgo emunda carnem meam: in nomine Patris, & Filij; & Spiritus Sancti. Amen. Quid plura? fecit ille, & ex ijs faſtidijs liber evaſit. Tu inſpice, & fac ſecundùm exemplar.

STIMVLVS QVARTVS.

COnſidera. 4. Magis in particulari quædam admiranda, quæ de hujus Virginis caſtimonia prodidêre nonnulli. Annon admirandum illud, cujus meminit Angelicus Doctor S. Thom. in 3. diſt. 3. q. 1. art. 2. quæſtiuncula. 1. ad 4: pulchritudinem Virginis intuentes, ad caſtitatem excitaſſe? Annon ſtupendum illud, quod Alenſis 3. part. quæſt. 9. membro. 2. art. 5. docet. Beatiſsimam Virginem, motum concupiſcentiæ in alijs ſuo aſpectu extinxiſſe? An non prodigioſum illud quod aſſerit Galatinus, nimirum oculos B. Virginis nîl illiciti

citi unquam aſpexiſſe, atq; inter cæteras perfectiones eo ſpiritu prophetiæ donatam fuiſſe, ut ſi fortè aliquid illicitum vel auditura vel viſura eſſet, illicò ejus aures & oculi clauderentur, ita ut nonniſi divinæ voluntati deſervire viderentur; quod dictum Galatini probabile vocat Caniſius Lib. 1. de B. V. C. 13. An non planè inauditum retroactis ſæculis? Maria inter omnes mortales veteris & novi teſtamenti prima fuit, quæ virginitatem Deo per votum conſecravit, quod in inſtanti ſuæ Conceptionis, ut innuit Suarez: tom. 2. in 3. part. diſp. 4. Sect. 7: emiſit. Verùm hæc admiranda at non imitanda dices. Audi ergo imitanda. Adeſt è Cœlo Nuntius Gabriel, & Mariam in cubiculo clauſam reperit. Suſcipiendum non eſt. ait Bernardus Homil. 3. ſuper miſſus eſt: quod apertum invenerit Angelus oſtiolum Virginis. Audi imitanda. Non enim in plateis erat, inquit Euſebius Emiſſenus in explicatione Evangelii de Annunciatione, non in publico morabatur, intus erat: in penetralibus ſola ſedebat. Audi imitanda. Cui in propoſito erat. loquitur Bernardus loco ſupra cit. de B. V. hominum fugere frequentias, vitare colloquia. Audi imitanda: Virgo erat: teſte Ambroſio. Lib. de Virg. non ſolum cor-

 pore,

pore, ſed etiam mente. Audi imitanda: ipſa Virgo puriſsima. S. Brigittam. L. 2. Rev. Cap. 23. docuit, inter res deteſtandas etiam hoc eſſe, ſi quis concupiſcat videre pulchras facies. Audi imitanda: eadem caſtiſsima Virgo, Alphonſo Rodriquez dixit. Quando is per viã non attollas magis oculos, quàm ſit neceſſe ad videndũ ubi pedẽ figas. l. 1. c. 18. vitę. Proh Deum immortalẽ! quid non diceret illa tibi, & iſti, jam oculis, jam pedibus, jam manu, jam affectibus, huc & illuc, per obſcæna quæq; vaganti. Cave ne exerranti contingat illud, de quo Cæſarius lib. 7. mirac Cap. 34. Sanctimonialis quædam Virgo, dum ab improbo quodam ad flagitium perſuaſa, Cœnobio exire decreviſſet, in omnibus Cœnobij januis, Chriſti è cruce pendentis imaginem, quâ egredi prohibebatur conſpexit, inſuper ab imagine B. V. ad quam jam de peccato dolens accedebat, alapam accepit, cum his verbis. Quo vis ire fatua?

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

O Spectaculum! Ildephonſus Toletanus Archiepiſcop. SABBATO quodam Ecclе-

clesiam ingressus, conspicit Mariam in Cathedra Episcopali residentem: à qua, absolutis matutinis, Casulam ad celebrandum cœlitùs allatam accepit. Et quidni à Virgine Virginum honoretur ille qui prius, perpetuam Deip. virginitatem, libro à se edito honorârat?

CAPUT QVARTVM.

MATER CHRISTI.

Si Petrus ob id Beatus appellatus, Regnique Cœlorum claves sortitus est, quod Christum Dei Filium palàm confessus est, quomodo ea super omnes Beata prædicanda non est, quæ illum parere promeruit, quem ille confessus fuerat?

Basilius Seleuciæ Episcopus Orat. de Annunc.

STIMVLVS PRIMVS.



Onsidera. I. Annon Maria Christifera? Magnus ille Ignatius. inquit Bernardus Ser. 7. in Psal. 90. Mariam in pluribus quas ad eam scripsit epistolis,

ſtolis, Chriſtiferam conſalutat. Annon caſtellum Ieſu? ſic eam vocat Bernardus ſerm. 2. de Aſſump. Annon unitarum inter ſe naturarum officina? ſic eam compellat Proclus Epiſcopus Ciricenus. Annon regium vehiculum quo vectum Verbum cum carne advenit? ſic eam nominat Georg. Nicomed. Orat. de Præſent. Virg. An non Dei templum in quo pro ſalute hominum Deus homo immolatur? ſic eam appellat Ildephonſus in ſermonibus de Aſſump. ſerm. 1. An non Thalamus in quo Verbùm humanam carnem ſibi deſponſavit? Id de ea aſſerit citatus Proclus Epiſcopus Ciricenus. Perpende quàm citò Divina humanaque natura in viſceribus puriſsimæ Virginis ſimul unita, ubi enim aliorum puerorum corpora 40. dierum ſpatio à conceptione formantur, Chriſti Domini corpus, momento temporis efformatum, omnibusque membris perfectiſsimè abſolutum fuit, ita ut hæc tria eodem momento extiterint, corpus, anima, & utriuſque cum Verbo Divino, in una eademque hypoſtaſi unio. Huc facit vitis illa, de qua P: Matthæus warſavvienſis in ſuo libro, cui titulus. Vox Salamonis. p. 2. C. 2. Cùm enim B. Bonfilius Ordinis Servorum Auctor, verno tempore, vitem in hortulo plantaſſet,

ſet, ea ipſo Annunciationis die palmites undiq́ue emiſit, floruit, ac uvas protulit. Sed audi Fulgentium. Lib. de Fide ad Petrum. Cap. 18. Firmiſsimè tene, & nullatenus dubites, non carnem Chriſti ſine Divinitate conceptam in utero Virginis priusquam ſuſciperetur à Verbo, ſed ipſum Deum Verbum ſuæ carnis acceptione conceptum, ipſamq́ue carnem Verbi incarnatione conceptam. Audi eundem. Lib. de Incarn. Cap. 3. ad finem. Non eſt igitur aliquod intervallum temporis æſtimandum, inter conceptæ carnis initium, & concipiendæ majeſtatis adventum. Audi Gregorium Magnum. Lib. 9. Epiſtolarum. C. 61: ad Quirinum Epiſcopum. Non priùs in utero Virginis caro concepta eſt, & poſtmodùm Divinitas venit in carnē, ſed mox ut Verbum venit in utero, mox Verbum ſervata propria virtute naturæ factum eſt caro, & perfectus homo. Audi Synodum quintam Conſtantinop. apud Niceph. Lib. 17. hiſt. C. 28. Si quis dicit, aut ſentit, prius formatū eſſe corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti in utero Virginis ſanctæ, & deinceps unitū eſſe ei Deum Verbum, atq́ue animam, ut quæ prius extiterit, anathema ſit. Audi denique Baſilium Magnum. Homil. de humana Chriſti generatione. Hinc deprehendi licet,

quod non ſecundùm communem modum carnis conſtitutio Domino fuit, conceptum namq́ue illicò perfectum fuit, non per intervalla paulatim formatum, ut planè verba declarant, non enim dicit, quod in ea conceptum eſt, ſed quod in ea natum eſt. Diſce hinc miſerrime homo, exemplo tui Chriſti ad Mariam accurrere, ſed perfectus, ſed corde integro, nec cum alia mortali creatura diviſo. Diſce item, quod monet Guerricus Abbas Serm: 3. de Annunc. In hoc tibi ſit exemplo Ieſus conceptus, & geſtatus in utero, qui & ſi gravidavit, non tamen gravavit uterum Mariæ, ſic te non ſentiat gravem uterus Eccleſiæ: ita ille. Ego verò, inquit Salazar. Proverb. C. 8. n. 394. ſic te non ſentiat gravem uterus ejusdem Mariæ, qui te tanquam membrum Ieſu etiam geſtare dicitur. Quod ſi ſcire deſideres cur Chriſtus non gravârit Mariam, audi Auguſtinum Serm. 11. de Nat. Plena ſunt viſcera, & nullum novit Virginis conſcientia, cum eſſet gravida ſalubri levitate plaudebat, lumen enim quod intra ſe habebat, pondus habere non poterat. Quæ verba uſurpavit etiam Fulg. Serm. de laudibus Virg. Tu ne gravis ſis Mariæ, præ virtutum fulgore, lumen quoq́ue eſto, ut in te verificetur illud Chriſti Matth. 5. Vos eſtis lux mundi.

STI-

STIMVLVS SECVNDVS.

CONsidera. 2. Similitudinem quæ inter Mariam Matrem, & Christum filium intercedebat. S. Cyrillus affirmat, Matri suæ Christum specie externá, & internis propensionibus fuisse simillimum. Canisius. Lib. 3. Cap. 13. refert, si singularem sexus tantùm proprietatem excipiamus, utrinque membra & facies sibi pulchrè mutuò respondisse. P. Casp. Tausch, notat in Matre dolor. Lib. 1. Cap. 2. §. 1. Mariæ & Christi complexionem, quam ait in sanguineam ex multorum opinione declinasse, fuisse simillimam, temperamentum primarum qualitatum, in quo præcipuè sympathiæ fundamentum ponunt Philosophi, fuisse simillimum, lineamenta corporis simillima, speciem & habitudinem simillimam, ut vix ovum ovo similius esse posset, adeoque & inclinationes, propensionesque naturales fuisse easdem ac simillimas, quas filij à matribus potissimum haurire solent, ut enim loquuntur Iurisconsulti, filij ut plurimum matrizant. Quod si tanta similitudo filij ad matrem, hanc tibi ob oculos pone, si Filium agnoscere cupis, juxta illud apud Bonavent. in speculo. Cap. 14. Pulcher

utiq; fructus Christus est, qui speciosus forma præ filijs hominum est, si autem plenius cognoscere volumus fructus hujus pulchritudinem, recurramus ad ipsam arborem pulcherrimã, requiramus ipsam pulcherrimam ejus matrem. Hæc ibi. Porrò si eam requiras apud citatum Bonav: ille in Litanijs, Mariam vocat fœminarum pulcherrimam. Si apud S. Brigittam, illa in Serm. Angel. Cap. 13. ait. Quemadmodum Deus & Angeli de Virginis animæ venustate gratulabuntur in Cœlis, ita etiam gratissima ejus corporis pulchritudo omnibus eam cernere cupientibus utilis fuit, & consolatoria in terris. Si apud Dionysium Carthus. ille lib. 1. de laudibus Virg. art. 36. existimat, matris hujus vultum splendore quodam fuisse illustratum. Virgo, inquit, quò abundantioribus divinorum charismatum infusionibus fuit præventa, eò hæc ipsa exuberantia magis, in ejus refulsit vultu, ac visu, & quò quotidiè in omni gratia ac virtute, & in omni luce contemplationis theoricæ, & mysticæ Theologiæ splendore, in puritate interna, & sanctitate Angelica excellentius profecit, eò interior illa, ac divina sinceritas luminosa, evidentius in ejus facie apparebat, atque ut quidam etiam magni Doctores dicunt, visibi-

ſibiliter radiabat. Si S. Antoninum audis: ille, 4. part. tit. 15. Cap. 11. ſic loquitur. Beata Virgo ex Alberti ſententia, in colore cutis fuit alba & rubra mixtim, in capillis autem & oculis nigra & temperata. Quod ſi magis placet Epiphanius apud Nicephorum. Lib. 2. Hiſt. Cap. 23: intuere qualiter ipſe hanc Auguſtam Matrem depinxerit. Erat ſtaturâ mediocri (quamvis ſint qui eam aliquantulum mediocrem longitudinem exceſsiſſe dicant) colore fuit triticum referente, capillo flavo, oculis acribus, ſubflavas & tanquam oleæ colore pupillas in eis habens: ſupercilia ei erant inflexa, & decenter nigra: naſus longior, labia florida, & verborum ſuavitate plena: facies aliquantò longior, manus ſimul & digiti longiores. Vide ô Sodalis Mariane, quàm pulcher Chriſtus, quia pulchra Mater Maria. Vide quam benè hic filius matrizet, ut meritò dicere poſſit illud Ioan. 14: duabus litterulis duntaxat immutatis. Qui videt me, videt & Matrem meam. O ſcelus! Virgo teſte Salazar. Cap. 8. Proverb. n. 12: plures Dei proprietates, & conditiones ipſius Dei beneficio obtinuit, per quas ſimillima foret illi: & tu quid? ô nefas! tu dæmoni ſimilior quàm Mariæ, ne dicam Deo. Cave ne ſi matrizare renueris, oran-
 ti ti-

ti tibi; monſtra te eſſe Matrem; reſpondeat illa, & quidem indignabunda: monſtra te eſſe Filium.

Stimvlvs Tertivs.

COnſidera. 3. Amorem illum quo Maria Chriſtum, Christvs Mariam proſequebatur, juxta illud Cant. 2. Dilectus meus mihi & ego illi. Gratiosè S. Anſelmus utriusque amorem expreſsit: lib. de excell. Virg. Cap. 4: dum ſic loquitur. Amorem quem pater & mater ſinguli debent filio ſuo, debet hæc feliciſsima matrum ſola Filio ſuo: amorẽ etiam quem debet filius ſimul ſuo patri & matri, ille Filius verè Virginis ſuę debet ſoli Matri, nam ſicut alij filii naſcuntur ex Patre & Matre, ita Filius ejus natus eſt ex ea ſola Matre; excedit itaque omnes amores parentum in filios, aut filiorum in parentes amor iſtius Matris in filium ſuum, & iſtius filij in matrem ſuam: ita Anſelm. Sanctus verò Bernardinus Senenſis. Tom. 3. Serm. 1. de glor. nom. Mariæ. art. 1. Cap. 2. agens de amore naturali Virginis ad Chriſtum, ſic ait. Similitudo & propinquitas eſt cauſa naturalis amoris, unde Eccleſiaſt. 13. ſcriptum eſt: omne animal diligit ſibi ſimile;

& ſic omnis homo proximum ſibi ſimilem: profectò inter filium & quamcunque aliam matrem, tanta propinquitas & ſimilitudo non fuit, quia Chriſtus totus fuit de ſola ſubſtantia matris, igitur inter nullos tanta dilectio. Hæc ille. Pulchrè S. Bernardus ſerm. 29. in Cant. Sagitta electa eſt amor Chriſti, quæ Mariæ animam pertranſivit, ut nullam in pectore virginali particulam amore vacuam relinqueret, ſed toto corde, totâ animâ, totâ virtute, diligeret. Pulchrè Sophron. ſerm. de Aſſump. Quam totam incanduerat Divinus amor, ita ut in ea nihil eſſet mundanus quod violaret affectus, ſed ardor continuus, & ebrietas perfuſi amoris ejus, qui illius erat & Dominus & Filius. Pulchrè idem Sophronius ait. Fortaſsis præ nimio amore in loco quo ſepultus dicitur (de Chriſto loquitur) habitaſſe eam credimus, quatenus pijs paſceretur internus amor obtutibus, non quòd jam viventem quæreret cum mortuis, ſed ut ſuis conſolaretur aſpectibus, & quem genuerat, mentis complectebatur amplexibus; amor Chriſti deſiderium pariebat, deſiderium verò gliſcens quaſi novis reparabatur ardoribus. Sed age Anima Chriſtiana, & penſiculatius inquire tanti amoris cauſas. An quia Chriſtus unicus erat Filius?

Filius? docet enim Plutarchus: lib. de Amicitia. Naturam ejus cui unicum filium dedit, amorem colligere, cui verò plures filios contulit, amorem dividere. An quia ut docet S. Bernardinus tom. 2. Conc. 51. art. 3. Cap. 3. Christus plus pro redimenda Virgine venit, quàm pro omni alia creatura? An quia in Christo dotes singulares? S. Bernardinus tom. 3. serm. 2. de glorioso nomine Mariæ, art. 1. Cap. 3. In Christo inquit, fuerunt omnes conditiones, propter quas mater amat filium, & habuit eas in summo, erat quippe Dominus IESVS CHRISTVS præ cæteris omnibus potentior, sapientior, generosior, formosior, atque melior. An denique quia à Filio amata? Quid mirum ait S. Bernardus. Si Maria præ omnibus diligit, quæ est præ omnibus dilecta. Disce igitur Anima mea amare, si amari satagis. Disce amorem à Maria, quæ nullo dolore correpta, nullo tentata morbo, sed vi amoris erga Christum, ex hac vita migravit, ut gravissimi Patres asserunt. O te felicem! si amore Christi & Mariæ saucia, corpus ipsum destituas, ut ad Christi & Mariæ suavissimos amplexus & basia evoles. Quidni tibi quoque accidat quod Sanctæ Lydvinæ, cujus animam è corpore egressam, in suos amplexus rece-

recepit Christus, & Matri exosculandam dedit, nec osculum denegavit ipsa. O osculum! Surius.

Stimulus Quartus.

Considera. 4. Inter tot ac tanta emolumenta, quæ ex hac maternitate percipiunt mortales. An non maximum, Christum habere fratrem? Hinc Bernardus serm. de Aquæ ductu, loquens de Christo ait. Frater tuus est, & caro tua, hunc tibi fratrem Maria dedit. Hinc Anselm. lib. de excell. Virg. C. 9. de eodem Christo loquens. Quod inquit. tantum fratrem sortiti sumus, utique B. Mariæ ascribere debemus, cujus integerrima & benedicta fęcunditate in tantam dignitatem surreximus, quod ejus fæcunda virginitas Deum de sua substantia genuit. Hinc idem Anselm. C. 12. Mariam alloquens. Per hoc. inquit. Deus noster, per te factus est frater noster, ut quemadmodum ipse dignatus est consors fieri nostræ humanitatis, ut nos mereamur consortes fieri suæ Divinitatis. Sed audi S. Bonaven. in Spec. B. V. Cap. 8. Maria, inquit, non solum est Mater Christi singularis, sed etiam Mater omnium fidelium universalis, undè benè Ambrosius

ſius ait. Si Chriſtus eſt credentium frater, cur non ipſa quæ genuit Chriſtum credentium ſit mater? Eja chariſsimi omnes nunc gaudeamus, nunc omnes gaudendo dicamus. Benedictus frater, per quē Maria eſt noſtra Mater. Et benedicta Mater, per quam Chriſtus eſt noſter Frater. Hinc benè Anſelmus ait. Domina mater, per quam talem fratrem habemus, quid gratiarum, quid laudis tibi retribuemus. Hactenus Bonaven. Seraphicum Franciſcum indicibili amore affectum fuiſſe ergaMariam, hoc etiam, inter alia, nomine, eo quod Dominum Majeſtatis fratrem nobis effecerit, refert Bonav. in vita ejusdem S. Franc. Cap. 9. Tu autem hoc titulo quôque eam non amabis? Origenes tom. 1. in Ioannem in ipſa præfatione aſſerit, Mariæ filium eſſe Chriſtum, & præterea omnem eum, qui eſt perfectè Chriſtianus, qui enim hujusmodi eſt, non amplius vivit ipſe, ſed in ipſo vivit Chriſtus, & ideò de eo dici poteſt Mariæ: Ecce filius tuus Chriſtus. Hæc ex Origene. O liceret idem de te dicere! & ut liceat, ſæpius ora dicendo cum Idiota. lib. Contempl. de Virg. Mar. Cap. 5. O miſericordiſsima Virgo Maria, ego ſceleratiſsimus peccator talis ſum, & talem me feci, quod nomen meum præ confu-
ſione

ſione non auſim nominare, quia nomen Chriſtiani habebam, ſed nunc peccatoris. Idcircò adjuuare me digneris pijſsima Virgo Maria, ut Chriſtianus re & nomine euadam,& ſic perſeuerando, gratiam, te, & tuum filium laudandi obtineam in vitam æternam. Hactenus Idiota. Sed eleganter Damaſcenus. Orat. 1. de Nativ. Lætentur inquit. Cœli, & exultet terra, commoveatur mundi mare, in ipſo enim concha gignitur, quæ cœlitùs ex Divinitatis fulgetra in utero concipiet, & Chriſtum ingentis pretij unionem pariet. Hæc ille. Hunc unionem ô Chriſtiane cordi tuo affige,ut ſicut in Ignatij Martyris corde,ita & in tuo,cernatur IESVS,ſed non absq; Maria, quam pretioſiorem margaritis, vocat primus Venetorum Patriarcha S. Laurentius Iuſtinianus. de Caſt. Connub. Verbi & animæ. Cap. 9. O Vniones! IESVS ET MARIA!

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

Annon dignum animadverſione, Chriſtum miracula crebrò operatum fuiſſe Sabbato? Teſtatur Mattheus 12: in homine ma-

num aridam habente, & Luc. 13. & 14. in muliere inclinata, & hydropico. Ioan. 5. in languido. 38. annorum. Ioan. 9. in cœco nato. An quia Sabbatum Sanctissimæ Matris cultui dicandum erat?

O Christiani! Christum nedum æmulamini? agite per Deum immortalem, & quàm maxima potestis miracula, hoc est, illustriora virtutum opera, Sabbato aggredimini, novi Thaumaturgi.

CAPUT QVINTVM.

MATER DIVINÆ GRATIÆ.

Excepto Christo, tanta gratia Virgini à Domino data est, quanta uni Creaturæ puræ dari possibile esset.
S. Bernardinus: tom. 1. Conc. 61. art. 2. Cap. 10.

STIMVLVS PRIMVS.

Considera 1. Meritò Mariam dici Matrem Divinæ gratiæ, quia æternam illam, ac substantialem gratiam quæ Deus ipse est, suis visceribus excepit, & in omnium salutem, Anno ab Orbe con-

condito circiter quater millesimo in Bethlehem fœlicissimè enixa est. Pulchrè S. Ambros. in Cap. 1. Lucæ. Benè plena gratiâ dicitur, quæ sola gratiam, quam nulla alia meruerat, consecuta est, ut gratiæ repleatur Authore. Pulchrè Petrus Dam. Serm. 3. de Nativ. B.V. O nouum & inauditum Angelicæ salutationis obsequium! plenam appellat gratiâ, quia ipse in eam descendebat, per quem omni mundo collata est gratia. Pulchrè Hieronymus Serm: de Assumpt. B. V. In Mariam totius gratiæ plenitudo quæ in Christo est, venit; qui si per plenitudinem, Christum ipsum intelligit, quidni plenissima gratiá illa, quæ eum continuit, qui omnem in se continet gratiam? O fœmina plena & superplena gratiæ, de cujus plenitudinis exundantia respersa reviviscit omnis creatura, ait S. Bonav. in Spec. B. V. C. 7. Eja Anima mea, ad hanc plenitudinis exundantiam accurre, propera ad eandē gratiam, quam Maria in utero concepit, & tibi sub speciebus cibi proponit, Maria enim, ut loquitur S. Ambros. in Psal. 21. Cibum dulciorem melle defluxit, quem qui edere neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit. Proh quàm placent Marianæ Reliquiæ! Capilli qui Romæ asservantur. Peplum seu

velum Treveris. Lac Parisijs. Annulus Perusij. Subucula Aquisgrani: ut taceam alias, de quibus Petrus Spinellus in suo de Sanctissima Deipara, opere. Cap. 29. n. 52. & seqq. & non placebunt reliquiæ quas Maria in cibo Eucharistico nobis reliquit? Quid si in eo reperias, ut asserunt nonnulli, aliquem sanguinem qui idem omninò & sub eadem prorsus forma in Mariæ venis continebatur? Quid si in eo invenias particulam aliquam ipsissimæ carnis Mariæ, quæ in prima formatione corporis Christi ab eo suscepta fuit, & prius anima Beatissimæ Matris informabatur? Franciscus Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 2. S. 2. asserit. Substantiam carnis à Christo ex Maria assumptam, nunquam fuisse omninò dimissam, nec actione continuâ caloris naturalis resolutam, sed eandem omninò fuisse conservatam Verbo Dei unitam, quod ex temperatissimo cibo quo Christus utebatur, & ex speciali providentia ac voluntate Christi factum fuisse existimat. Placet Augustinus in Psal. 98. qui loquens de Filio Virginis, ait. De carne Mariæ carnem accepit, & ipsam carnem Mariæ nobis manducandam ad salutem dedit. O reliquias Marianas! S. Bernardinus eandem carnem quæ fuit Virginis Matris, asserit factam esse

car-

carnem filij Dei. O reliquias Marianas! Augustinus lib. de Assumpt. Cap. 5. Caro IESV, caro est Mariæ, caro enim Christi quamvis gloriâ resurrectionis fuerit magnificata, & potenter super omnes Cœlos ascensione glorificata, eadem tamen carnis mansit & manet natura, quæ suscepta est de Maria. O utinam cor meum, his è reliquiis fieret reliquiarium! leges apud Io. Eusebium Nierembergium, qui Cap. 23. refert, quendam purpuratorum Patrum, natione Hispanum, sub ultimum morbum, vitæque extrema eò deductum fuisse, ut ad sumendum Sacrum viaticum os aperire nullo modo posset, verùm è cœlis adest Maria, virgineaque sua manu, clientis labia disjungit, osque aperit, atque eo modo, Christi corpore pastus est fortunatus hic Cardinalis, non tam à purpura celebris, quàm à pretiosis Christi ac Mariæ reliquijs.

STIMVLVS SECVNDVS.

Considera 2. An non Mater divinæ gratiæ Maria, cujus viscera adeò plena fuêre gratiâ, ut nec præcipuus Seraphinorum, nec cœlitum aliorum primus, cum tanta gratia viam, vitamq; suam consumâ-

ſumârit, quanta illa eam cæpit. An non Mater divinæ gratiæ Maria, quæ (cum meriti radix gratia ſit & charitas) plus merebatur quando Chriſtum pannis involveret, quàm Laurentius cum pro Chriſto candentem craticulam toleraret. An non Mater divinæ gratiæ, quæ adeò reſplenduit à donis ſupernaturalibus & ampliſsimis meritis, ut meritò cum Auguſt. de bono conjugali C. 21. dicere poſsis. Quæ ſint, inquit, Mariæ merita, quis ignorat? Lege Suarium tomo 2. in 3. part. diſp. 18. & invenies, quàm admiranda de Virginis meritis aſſerat ille. An non admirandum dum ait Sect. 2. Certum eſſe B. Virginem toto tempore vitæ ſuæ continuè meruiſſe dum vigilaret? An non admirandum dum ibidem inſinuat, veriſimile eſſe, etiam inter dormiendum, illam meruiſſe? quæ merita ſomni & vigiliæ quomodo intelligat, vide ibi. An non admirandum, in ipſo Conceptionis inſtanti, quo hæc Sanctiſsima Virgo concepta fuit, gratiam talem accepiſſe, quæ major fuit maximâ, quam ullus hominum vel Angelorum unquam acceperit, ut docet idem Suarez & alij; & quod obſtupeſcas, ſemel acceptam gratiam continuato incremento absque ulla interruptione altero tanto adauxit. Lege apud Cor-

Cornel. à Lapide in C. 1. Lucæ, & reperies, quod primo instanti suæ Conceptionis, amans laudansq; intensissimè Deum, superârit amorem & consequẽter meritum supremi Angeli. Secundo operationis & amoris sui instanti, ex gratiæ augmento, quod primo instanti merita erat, & re ipsa acceperat, gradus amoris & consequenter meriti duplicârit. Tertio instanti, eosdem duplicando, meritum cum gratia quadruplicârit. Quarto instanti pari quapruplicationis duplicatione, & progressu idem octuplicârit, & ita consequenter per singula amoris & operationis instantia, gratiam acceptam continuè duplicârit, usque ad annum ætatis 72. quo sanctissime è vivis excessit. Sed audi iterum Suarez Sect. 4. Dico probabiliter credi potest, B. Virginem consequutam esse plures gradus gratiæ & caritatis, quam sint in omnibus sanctis hominibus & Angelis etiam collectivè sumptis, itâque si mente concipiamus ex multitudine gratiarum Sanctorum omnium unam intensissimam gratiam consurgere, non adæquaret intensionem gratiæ Virginis. Hæc ipse. O Matrem verè divinæ gratiæ! proh quantam illa sibi peperit! quantam ex prodiga, si ita loqui fas est, manúque liberalissima Dei accepit! Ineffabilis est, inquit An-

 sel.

ſel:de excell: Virg. C. 3. & ſtupenda omni ſæculo, hujus mulieris gratia & exaltatio: & C. 8. ait. Quid amplius dicere poſſum Domina? immenſitatem quippe gratiæ & gloriæ, & felicitatis tuæ conſiderare incipienti, & ſenſus deficit, & lingua fatiſcit. O Anima mea quid tu ad hæc? forte cum Damaſceno Orat. 2. de Aſſumptione. Mariam vocabis gratiæ abyſſum? forte cum Epiphanio Orat. de laudibus Virginis, ejus gratiam vocabis immenſam? fortè cum Bonav. in Spec. B.V. Cap. 5. dices. Immenſa certè fuit gratia, qua ipſa fuit plena: fortè cum Ildephonſo ſerm. 6. de Aſſumpt. Cæteris electis ex parte gratia datur, huic verò Virgini tota ſe infudit plenitudo gratiæ: fortè cum S. Bernardino tom. 2. ſerm. 51. art. 3. Cap. 1. ſenties, qui aſſerit B. Virginem quando conſenſit in Conceptionem Filij Dei, tunc plus meruiſſe quàm omnes Creaturas, tam Angelos quàm homines in cunctis actibus ſuis: fortè huc afferes revelationem illam de eodem conſenſu ex hiſtoria Virorum illuſtrium tertij Ordinis Sancti Franciſci, ubi proditur cuidam fuiſſe revelatum, Beatam Matrem, eo temporis articulo Numini obediendo, Angeloque credendo, habuiſſe plus meriti, quàm Angelos omnes Deo obſe-

quentes, quàm Martyres omnes in suis certaminibus, quàm in tam multiplici maceratione corporum, virgineàque servatâ integritate Confessores omnes ac Virgines. Fortè cum S. Antonino, 4. part. tit. 15. C. 2. §. 15. inquies. B. Virginem omnes gratias generales & speciales omnium creaturarum habuisse in summo. Secundò: habuisse eam illas gratias à quibus omnis creatura vacua fuit. Tertiò: suam gratiam tantam fuisse, quod pura creatura majoris gratiæ capax non fuerit. Denique fortè cum Suarez pronunciabis, B. Virginem circa finem vitæ, unico actu amoris Dei per unum momentum plus meruisse, quàm omnes Sancti & Beati homines, & Angeli, qui sunt, erunt, fuerunt, omnibus simul sumptis meritorijs actibus, eò quod actus ille fuerit intensione & perfectione major, quàm omnes simul sumpti omnium Sanctorum simul sumptorum. Ah si sapis, Virginis gratiam prædica ubique, & ad ubique prædicandam, alios etiam hortare, ut tibi aliquando accidat quod Martino Gutterio è Soc: Iesu, Viro Sanctissimo, cui spectabilis facta Maria, gratias egit, propter operam sui causâ egregiè collocatam, hortatu enim illius Franc: Suarez, primus inter Recentiores (nam inter

ter antiquiores illam docuit tom. 1. Ser. 61, art. 3. Cap. 3. S. Bernardinus) de cumulatâ ſupra omnes ſimul Cœlites Deiparæ gloriâ ſententiam ſparſit in vulgus. O præconem Marianum!

STIMVLVS TERTIVS.

Conſidera. 3. Quam benè etiam gratiæ illius, quâ coram Deo juſti ſimus, mater appellari poſsit Maria, ſi quidem plures Cœlo olim non aſſerendi, ex quo in lucem prodiit ipſa, ejus advocatione aſſeruntur & ſalvantur. Quis ſcit. ait Petrus Damianus ad illam, quoties refrigeras iram Iudicis, cum juſtitiæ virtus à præſentia Deitatis egreditur; in manibus tuis ſunt theſauri miſerationum Domini. Carthuſianus Lib. 2. de Laud. Virginis art. 23. èam vocat, ſingulare perditorum refugium, miſerorum ſpem, advocatam omnium iniquorum ad ipſam confugientium, & per ipſius preces & merita apud Chriſtum Mundi compellat Salvatricem. Cyrillus homil. 6. in Neſtor. ipſam alloquens. Per te inquit, omnis creatura idolorum errore detenta, converſa eſt ad agnitionem veritatis, & fideles homines ad ſanctum Baptiſma pervenerunt, te adju-

trice,

trice, gentes veniunt ad pœnitentiam. P. Sebastianus Barradas dicere solebat, se, & cæteros peccatores (in quorum numerum, licet Sanctissimus esset, se referebat) intuitu Sanctissimæ Matris à Deo tolerari. P. Salazar in Cap. 8. Proverb. vers. 12. n. 43. ait. Sanctas illas & congruas cogitationes, quibus ad piè sanctéque vivendum ex Dei gratia permovemur, ipsa (loquitur de B. Virgine) moderatur atque suis precibus nobis impetrat. Sed ipsam Matrem divinæ gratiæ audi, quæ ut refert Blosius in monili S. Brigittæ viduæ, hæc de se narravit. Quantumcunque (inquit ad eam Maria) homo peccet, si toto corde cum vera emendatione & charitate ad me confugerit, statim parata sum recipere venientem, nec attendo quantumquis peccârit, sed quali intentione ac voluntate ad me redit, nam peccatoris, quantumlibet sit vilis ac sordidus, non dedignor ejus plagas tangere, ungere, & sanare. O verba plena amore! plena melle! plena humanitate! si pertimescis. inquit Hugo de S. Victore in sententijs, supplicaturus ad Deum accedere, respice ad Mariam, non illic invenis quod timeas, genus tuum vides. Angelicus autem Doctor Thomas. Opuscul. 8. agens de plenitudine gratiæ Virginis, cùm eam

probasset plenam esse, primò in anima; secundò quoad redundantiam animæ ad corpus, de qua incarnatus est filius Dei; tertiò, inquit, plena fuit gratia non solùm in se, sed etiam quantum ad refusionem in omnes homines: magnum enim est in quolibet Sancto, quando habet tantum de gratia quod sufficit ad salutem multorum, sed quando haberet tantum quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo, tunc esset maximum, & hoc est in CHRISTO & BEATA VIRGINE, nam in omni periculo potes obtinere salutem ab ipsa Virgine gloriosa. Cant.4. mille clypei (id est remedia contra pericula) pendent ex ea: item in omni opere virtutis potes eam habere in adjutorium, & ideò dicit ipsa Eccles.24. in me spes vitæ & virtutis. hæc S. Thomas. Heus ergò ó peccator, huc accurre, hîc vota fige, hîc preces funde, & dum veniam speras, dum gratiam Dei præstolaris, crede Concil. Basiliensi. sess. 43. inter omnes, inquit, qui cœlestem Regem pro nobis interpellant, præcipuè ad gloriosissimam illam, & omni laude dignissimam Dei Genitricem Mariam est recurrendum, quæ quantò altior existit, tantò humilius ad nos respicit, omnes ad se trahere cupiens pro quibus in utero gestavit Salvatorem.

STI-

STIMVLVS QVARTVS.

Considera. 4. Generatim inter gratias divinas numerari, gratiam justificantem, & alia beneficia ac favores qui cœlitùs nobis conceduntur, quæ omnia simul & velut collectivè si recogites, proh quot gratiarum Mater est Maria! ut meritò dicere poſsis, aut cum S. Anselm. Tibi solùm loquor Domina, beneficiis tuis plenum esse mundum. Aut cum Germano, Serm. de Zona Domini, sic Virginem alloquente. Non est ulla satietas tuæ defensionis. non est numerus tuorum beneficiorum. Aut cum Bernardo Serm. 98. de Maria pronunciante. Omnibus misericordiæ sinum aperuit, ut de plenitudine ejus accipiant universi. Aut cum Bonav. in Spec. C. 8. asserente, Mariam per beneficia innumerabilia, ostendere hominibus misericordiam. Imò audacter dicas, beneficiorum ad quæ ipsi non attendimus, vel etiam ignoramus, myriades nobis obtinere Mariam. Dicas, multa cætero qui nequaquam concedenda, quia Mariæ interpositu, atque auctoritate petimus, liberaliſsimè libentiſsiméque illi elargiri Deum. Dicas quod

benè dixit antè. Ioan. Euſeb. Nierembergius. lib. de affectu ergà B. Virginem. Cap. 2. nimirum, quod ſi aliquid à Filio Virginis petamus, aut ab aliis cœli civibus, etſi de Deiparâ ne cogitantes quidem, nedum illi preces votáque noſtra commendantes: Deus nullatenus indulgeat niſi à Virgine exoratus: Dicas deníque Deum decreviſſe nihil facere, nullam gratiam conferre niſi per B. Virginem. Pulchrè S. Bernardinus Senenſis tom. 1. Serm. 61. in fer. 4. poſt Reſur. art. 1. Cap. 8. Non timeo dicere, quod in omnium gratiarum effluxus, quandam jurisdictionem habuerit hæc Virgo. Pulchrè Bern. Serm. 3. in Vig. Nat. Domini. Quia indignus eras cui donaretur, datum eſt Mariæ, ut per illam acciperes quicquid haberes. Pulchrè ad B. Virginem Germanus Serm. de Zona. Nemo eſt cui donum concedatur, niſi per te. Sed age, & nonnulla beneficia obiter inſpice, quæ ab hac divinæ gratiæ Matre, retulêre mortales. An non ingens illud, quod ad Societatem Ieſu, B. Staniſlaum Koſtkam, P. Bernardinum Realinum, Alphonſum Rodriquez, Ioannem Nunium, Virum Sanctiſsimum, qui deinde Patriarcha præfuit Æthiopiæ, P. Thomam Sanchez P. Iacobum Ledesmam, alioſque plurimos, apertè

vocâ-

vocârit Maria? qua de re vide Ioan. Bourghesium Libello. Societas Iesu Mariæ sacra; & annuas literas passim. An non stupendum quod Sancto Fulberto Episcopo Carnotensi sibi addictissimo, in cujus laudem ille librum conscripsit & Basilicam extruxit, ægrotanti, invocata adfuerit, & Virginea quæ olim puer Iesus suxerat ubera, eidem sugenda in os dederit? Baron. Anno 1028. Annon celebre illud, quod Anno 1619. Ioanni Suicardo, Moguntino Archiantistiti, Electoríque, ita præsens dixerit Maria. Constanter age Suicarde, noli timere, elige Ferdinandum. O Ferdinandum II. vel hoc titulo, æternâ memoriâ dignum, quia in Cæsarem, Mariæ calculo electus! In Mar. Agoniz. praxi XI. Tu ubiq; & in omnibus, ut Mariæ calculos promerearis, eam præ reliquis Cœlitibus colas unicè; si enim ipsos ad hæc, aut illa beneficia obtinenda habemus Patronos, ut pro dentibus. S. Apolloniam: pro oculis. S. Luciam: pro gutture S. Blasium &c. si illos huic & isti Vrbi Patronos præfigimus. S. Ianuarium Neapolitanæ. S. Luciam Syracusanæ. Catanensi S. Agatham Nolanæ Sanctos Felicem & Paulinum. &c. Si Artium, Facultatumque amatores, suos agnoscunt Patronos, ut S. Thomam Theolo-

gi, S. Ivonem Advocati, Sartores S. Homobonum Cremonenſem. Sutores SS. Criſpinum & Criſpinianum Romanos, &c. quidni omnia beneficia, ab una recipias Maria, de qua Arnoldus Carnotenſis. Maria creaturis conſtat omnibus, quidquid enim Creator ſingulis diſtributor juſtus contulit, Matri adornandæ congeſsit. De qua Tho. de Villan. Archiepiſcopus Valent. in ſerm. 1. de Aſſump: ita ſcribit. Nihil unquam alicui Sanctorum ſpeciali privilegio conceſſum eſt, quod non à principio vitæ cumulatius præfulgeat in Maria. De qua Idiota in Contempl. Virg. C. 2. Cæteri Sancti jure quodam patrocinij, pro ſibi ſpecialiter commiſsis, plus poſſunt prodeſſe in Curia Altiſsimi, quàm pro alienis, Beatiſsima verò Virgo Maria, ſicut eſt omnium Regina, ſic omnium Patrona & Advocata, & cura eſt illi de omnibus. Sic ille.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

QVod vel à ruſtico diſcendum, nam teſte Thoma Cantipratano Lib: 2. Cap. 50. is cum meſſoriæ artis eſſet, Sabbato quodam ſocios

piè adhortari auſus, ut labore ſub occidentem jam Sabbati diem tantiſper intermiſſo, ad ſacram Ædem ſeſe ad preces conferrent. O Eccleſiaſtem Sabbatinum! qui cum oleum & operam ſeſe perdere adverteret: O Metamorphoſim! ipſe falcem in Marianam coronam commutat, templum adit, confeſsione noxas expiat, poſteráque die ſacro epulo ſeſe reficit, ſub lunæ diem ad falcem redit, riſu à ſocijs excipitur, at in primo falcis hemicyclo ſeu tractu, ſub demeſſa meſſe magnum auri pondus reperit, cum hac felici epigraphe. Hanc auri maſſam illi à DEO, DeíqueMatre mitti, in ſignum quòd ſacri Sabbati Diem honorârit, in Cœlo autem æternam illi coronam paratam. En quæ gratiæ à Matre divinæ gratiæ profluunt!

CAPUT SEXTUM.

MATER PURISSIMA.

Propone tibi B. Mariam, quæ tantæ extitit puritatis, ut Mater Domini eſſe mereretur. Hieronymus Epiſt. 22. ad Euſtachium, de cuſtodia Virginitatis.

STIMVLVS PRIMVS.



ONSIDERA. I. Stupendam Mariæ puritatem ex Patrum testimonio. Sanctus Anselmus asserit illam puritate vincere Angelos ipsos: imò de Concept. Virginis Cap. 18. ait puritatem Virginis esse talem, quâ major sub Deo nequit intelligi; S. Thomas in 1. sent. dist. 44. q. unica, art. 3. ad 3. potest inquit, aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit, & talis fuit puritas B. Virginis. Albertus Magnus apud S. Antonium 4. part: tit: 15. Cap. 20. §. 7. vult ibi esse majorem puritatem spiritualem, ubi est major gratiæ participatio; sed in Virgine Beata (inquit S. Antoninus ex Alberto) respectu purarum creaturarum fuit gratia in summo, ergò & appropinquatio ad Deum in summo, ac proindè puritas in summo supra Angelos etiam dum esset in via: hæc S. Antoninus. Et quidni purissima illa, quam Laurentius Iustinianus Serm. de Annunciatione, vocat ab omni labe peccati extraneam? Origenes hom: 1. ex varijs

Matrem

Matrem immaculatam. Matrem incorruptam. Matrem intactam. Quam Sophron. Epiſt. Syn. in. 6. Syn. Act. 11. dicit ab omni contagine corporis animæ & mentis fuiſſe liberatam. De quâ Petrus Dam. Serm. 3. de Nativitate Virginis ait. Quid rogo vitij in ejus mente vel corpore vendicare ſibi potuit locum, quæ totius Divinitatis meruit eſſe ſacrarium. De qua Cyprianus Cap. de Nativitate Chriſti ſic loquitur. Non ſuſtinebat juſtitia, ut illud vas electionis communibus laſſaretur injurijs, quoniam plurimum à cæteris differens, natura cõmunicabat, non culpa. Ad quam Rupertus lib. 3. in Cantica. Nunquam adventus ſpiritualis accipitris tibi eſſe improviſus, aut te conſequi, imò nec tibi appropinquare potuit. Deníque ipſimet impij Mahometani in ſuo Alcorano, quem Evangelij loco habent, Maria, inquiunt, filia Ioachim, nihil malitiæ aut pravitatis, cùm viveret, unquam operata eſt, ſed in bonitate perſeveravit. Iudæi verò ut refert Galatinus lib. 7. de Arcanis, Cap. 2. 4. & 11. veteresque Rabbini, omnes certiſsimè ſentiebant, etiam ante Chriſti Domini adventum, ejus Matrem ab omni labe peccati immunem fore. Eja Sodalis Mariane! lætare de tantâ, tamque ſublimi Virginis

ginis puritate. Dic ei cum Fulberto Carnotens: qui ut Canis. notat lib. 1. Cap. 7. sic eam salutat. Ave Maria electa, quæ immaculata semper extitisti ab exordio tuæ creationis, quia paritura eras Creatorem totius Sanctitatis. Dic ei cum Iacobo 1. Archiepiscopo Ierosolimitano in Liturgia. Dignum est, ut te verè beatam dicamus Deiparam semper beatam, & omnibus modis irreprehensam. Voca eam cum Damasc. Orat. 2. de Assumpt: immaculatam, quæ cum terrenis affectibus nihil habet commune. Voca eam cum eodem lib. 3. de fide C. 2. semper sanctam. Voca eam cum Hesychio Concione 2. de B. Virgine. Tomo 7. Biblio. Sanct. Præclarum nostræ naturæ ornamentum, gloriam luti nostri, quæ Evam pudore, Adamum comminatione liberavit, audaciam dæmonis contrivit, quam concupiscentiæ fumus non attigit, neque vermis voluptatis læsit. Denique ut & tu de hac puritate Virginea nonnihil participes, age quod ipsa Virgo egit. Virgo. inquit. S. Thomas opuscul. 8. Angelos quantum ad puritatem excessit, non solùm erat pura in se, sed etiam procuravit puritatem alijs.

STIMV-

Conſidera. 2. Cur ut loquitur mellifluus Bernardus Epiſtolâ 174: decuit Reginam Virginum ſingularis privilegio ſanctitatis absque omni peccato ducere vitam. Angelicus Thomas tom. 12. part. 3. q. 27. art. 4. affert quatuor rationes, quibus hanc puriſsimam Matrem, ab omni etiam levi actionis peccato defendat. Prima ſic ſe habet. Non fuiſſet idonea Mater Dei ſi peccaſſet aliquando, quia honor parentum redundat in prolem, ſecundùm illud Proverb. 17. Gloria filiorum Patres eorum, undè & per oppoſitum, ignominia Matris ad Filium redundaſſet. Hæc ille. Adſtipulari videtur Eccleſiaſticus, qui utramque partem complexus eſt. C. 3. Gloria hominis ex honore patris ſui, & dedecus filij Pater ſine honore. Altera ratio Angelici Doctoris eſt hujusmodi. Tum etiam quia ſingularem affinitatem habuit ad Chriſtum, qui ab ea carnem accepit, dicitur autem. 2. ad Corinthios 6. C. Quæ conventio Chriſti ad Belial? Sic ipſe. Tertiam rationem his verbis expreſsit. Tum etiam quia ſingulari modo Dei Filius, qui eſt Dei ſapientia, in ipſa habitavit, non ſolùm in anima, ſed etiam

in ute-

in utero, dicitur autem Sapien. 1: in malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Hæc ibi. Quarta ratio Sancti Doctoris eſt hæc. Et ideò ſimpliciter fatendum eſt, quod B. Virgo nullum actuale peccatum commiſit, ut ſic in ea impleatur quod dicitur Cantic. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. ita S. Doctor. O pulchritudinem omni humanâ pulchritudine pulchriorem! Sed heu quàm pauci eam ambiunt! nitet auro, argentoque corpus, & non raro peccatis anima ſquallet! eheu mortales! quid prodeſt ornatus carnis, ſi defuerit puritas mentis? Pura (inquit Anſelmus C. 9. de excell. Virginis. loquens de B. V.) ſanctitas, & ſanctiſsima puritas, pijſsimi pectoris ejus, omnem omnis creaturæ puritatem, ſive ſanctitatem tranſcendens, incomparabili ſublimitate, hoc promeruit, ut reparatrix perditi Orbis digniſsimè fieret, Hæc Anſelmus. Audi Chriſtiane, ſi magnas apud Deum promereri velis gratias, puritatem Marianam ſectare, fuge peccata, ora cum P. Carolo Spinula, qui teſte P. Thauſ. Mat. Doloroſ L. 3. pr. 17. n. 5. ſic ſolebat orare. Domine per Cor beatiſsimæ Virginis, da mihi gratiam, ut nunquam te peccato aliquo offendam.

dam. Deníque ut absque omni peccato vitam agere poſsis, ad cœleſtia auxilia ſeriò te diſponas, nam hæc puriſsima Mater, de ſe ab omni peccato præſervatâ, dixit olim S. Brigittæ, l. 3. Revel. Cap 8. Tam affluenter me totam replevit Spiritus Sanctus, quod nihil in me vacuum reliquit ad peccati alicujus introitum, & ideò ego illa ſum quæ nunquam peccatum commiſi: ego quippe in charitate Dei tam ardens eram, quod mihi nihil placuit, niſi perfectio voluntatis, fervebat enim in corde meo ignis Divinæ charitatis.

Stimulus Tertius.

Conſidera. 3. Ea quæ Anſelmus de excell. Virginis. C. 3. adnotat. Nulli dubium, caſtiſsimum corpus, & ſanctiſsimam animam, fuiſſe ab omni macula peccati protectam, utpotè Aulam, quam ſuus & omnium Creator Deus, corporaliter inhabitaturus, & ex qua hominem in ſuæ perſonæ unitate ineffabili fuerat operatione ſuſcepturus. Idem Anſelm. ſubinde attexit. Et quid mirum? nam inter homines uſus obtinuit, cum præpotens aliquis, & perſona dives, aliquo vadit hoſpitaturus,

ut clientes percurrant,& locum muniant,ornent,& cuſtodiant, quo venienti Domino ſuo aptus ad inhabitandum, & congruus fiat. Quod ſi talis apparatus fit pro terreni hominis adventu, & momentaneæ poteſtatis, qualis apparatus omnis boni putamus fiebat pro adventu cœleſtis Regis, & æterni, in corde ſacratiſsimæ Virginis, quæ illum non ſolum erat in ſemet tranſitivè hoſpitatura, ſed etiam ex ſubſtantia ſua factum hominem paritura. Diſce hinc Anima Chriſtiana, vel tunc maximè puritati ſtudere, quando omnium Creatorem in Euchariſtico ferculo,intra te es ſuſceptura. Quod ſi nonnullis maculis te reſperſam videris, ablue illas ſacrâ exhomologeſi, memor Sodalis illius, de quo. Annuæ Soc. A°.1588. in Collegio Monac: qui cum cogitata,dicta, actaq; ſua recognoſceret,& puriſsimã hanc Matrem obſecraret, omnia errata fas eſſet ſibi confiteri, ne uno quidem prætermiſſo; ecce de ſublimi, ante faciem orantis, pagella decidit, candore eximio, quæ minutis quidem litterulis, elaboratis tamen, quoddam illius peccatum exprimebat, hoc addito; ſi illud aperiret, piéque Roſarium in honorem Deiparæ recitaret, ſecum benè actum iri. Age Sodalis Mariane,utrumque prius fideliter exequere,

quere,

quere, tum ad Sacram Synaxim purißimus accede: ah quidni favores cœlestes, quidni gratias Marianas illic experiaris! similes fortè, quas exhiberi quibusdam vidit Gloriosa S. Gertrudis; refert enim Libro 4. Insin. Divin. C. 49. dum moniales ad communionem accederent, se conspexisse Beatißimam Virginem, cujuslibet accedentis dextrum latus cingentem, pallio suo floribus orationum adornato contegentem, dicentemque Christo, in gratiam mei hanc respice dulcißime Fili: ad petitionem verò Mariæ, Christum mirè in animabus ijs sibi complacuisse. Vive & tu sub tutela Matris purißimæ, ut sibi in te complaceat Iesus.

STIMVLVS QVARTVS.

Considera 4. Cur hæc purißima Mater, quæ nitidior erat nive, candidior ebore, quæ Solem & astra puritate vincebat, quæ nullis maculis virginale corpus infuscârat unquam, tamen purificari voluerit. Perpende Legem illam Levit. C. 12. ubi mulier ordinario modo pariens, Legi purificationis subjicitur; à qua quidni exempta fuisset Divina hæc puerpera, utpotè facta gravida non-

nisi purissimo afflatu, sive obumbratione Spiritus Sancti: utpote enixa infantem Deum, absque immunditia: utpote Virgo manens & simul Mater talis Filij, qui miraculosa virginalis corporis penetratione, clauso Matris utero natus est in mundum. Disce hinc Anima Christiana, disce exemplo Mariæ, ultrò admittere ea, ad quæ teneris, cum illa legalem purificationem admiserit, ad quam non tenebatur. Quod si adeò caligant oculi, ut amplius nævos tuos, & impuritates videre non possis, accurre ad Matrem purissimam, de qua Richardus à S. Laurentio. Libro 7. de Laud. Virg. ait. Maria Lux, quia rimas, & angustissima foramina sua illustratione manifestat existentibus in domo, id est, etiam minima peccata suæ gratiæ infusione facit perceptibilia his qui convertuntur ad cor. Audiendus hic Absalan Abbas, cujus hæc sunt verba. Serm. 28. qui est de Nat: B: Virg. In ipsis tenebris tuis, eo quo potes respectu B. MARIAM intuere: in lectulo tuo illam cogita, & tene in memoriâ cordis tui, quoniam & res in quam directè radius solis non dirigitur, ex repercussione luminis quandoque irradiatur, & infirma conscientia, quæ radio aspirantis gratiæ non tangitur, per vitam justorum, & exemplo
bono

bonorum operum quandoque mutatur in melius. Audiendus hîc etiam Auctor Margaritæ. quæſt. ultimâ morali, qui hæc habet. Reſpicientes Chriſti, & Virginis divinum vultum,non poſito actuali obice, ſtatim movebantur ad deteſtationem peccatorum, emendationem vitæ, & maximam devotionem, ex quodam cœleſti fulgore, ex eorum vultibus radiante. Porrò ſi adhuc in terris degens Maria, & viſa ſolùmmodò ad pœnitentiam, vitæque puritatem ſpectatores vocabat, quemadmodum & Filius ejus Chriſtus, quid faciet jam in Cœlis exiſtens, ſi vel piè invocetur, & colatur? quemadmodum fecit Tyro ille, de quo Pater Nicolaus Lancicius. Tom. 2. Opuſculo 15. capite 17. ſic narrat. Noſter Franciſcus Godojus,cum Patre Ignatio Aſebedio affectus martyrio, cum novitius eſſet, & in culina verſaretur, ita ſartagines, tripodes, ollasque ferreas tergebat, ac defricabat, ut mundiſsimas & ſplendentes relinqueret: cuidam dicenti, cur tantum laborem in rebus illis, ita extergendis poneret, quæ mox eſſent iterũ inficiendæ? reſpondit,ſe quotidie veſperi offerre Sacratiſsimæ Virgini, omnia opera quæ illo die feciſſet, pudere autem ſe rem aliquam illi offerre malè terſam,& non ſatis mundam, ideoq; opus non rectè peractum.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

DEsine mirari. S. Ludovicum Francorum Regem, Sabbati diebus, pedes egenorum lavantem, exſiccantem, exoſculantem. Deſine mirari. S. Radegundem Clotarij Regis conjugem, Sabbati die, leproſum, ſuis manibus abluentem: Sanctius, utiliusque balneum, in quo ſordes animæ tuæ expurges, oſtendit Arſenius, magni Cæſaris, magnus Aulicus, qui Sabbati diem, imperturbatæ cuidam quieti dabat, ut in hebdomadam eo die omnem inquireret. Quidni puriſsimus poſtmodum exiret ex tam delicatis, ſpiritualibusq; Thermis!

CAPUT SEPTIMVM.

MATER CASTISSIMA.

Sit vobis tanquam in imagine deſcripta vita Beatæ Mariæ, de qua velut in ſpeculo, refulget ſpecies caſtitatis. S. Ambroſ. lib. 2. de Virginitate.

STI-

STIMVLVS PRIMVS.

Considera. I. Quid admirabilius Matris hujus castitate? Mater est, & tamen castissima simul Virgo, à sæculo enim, ut D. Bernardus asserit, non est auditum, ut aliqua simul Mater esset & Virgo. Serm. 10. super Missus est. Majus est: inquit Theophylactus. Christum à Virgine nasci, quàm à mortuis resurgere: & Ambros: de instit. Virginis. C. 5. ait. Minus erat hominem resurrexisse, quàm Virginem parturire, etenim Eliæ precibus, Elisei orationibus, mortui resurrexerant, nunquam autem ante, nunquam postea Virgo generavit; ita Ambros. Ex quo Maria Virgo: inquit Bonav: in spec. Cap. 4. de Spiritu Sancto divina est prole fœcundata, nequaquam Virginitas ejus, tali ex prole est vitiata. Anima Christiana: hæc dum miraris, humili fide crede, nam ait Ambros: Epist. 81. ad Papam Siricium. Non excedit fidem quod homo exivit de Virgine, quando petra fontem profluum scaturivit, ferrum super aquas natavit, homo super aquas pedibus ambulavit: ergo si hominem unda portavit, non potuit hominem Virgo generare? ita ille. Pulchrè S. Cyrill: Catech: 12. Virginem

nem Dei virtute poſſe concipere & parere, his rationibus oſtendit Gentilibus. Qui, inquit, dicitis projectos lapides in homines mutari, quomodo Virginē parere poſſe negatis? Qui ex Iovis cerebro natam filiam fabulamini, quomodo ex utero virginali naſci aliquem impoſsibile dicitis eſſe? qui de femore veſtri Iovis prognatum falsò eſſe dicitis Bacchum cur noſtram veritatem rejicitis? Ambroſ: l. 5. Hexam. C. 10: argumentum ex vulturibus, quos absq; maſculorū ſemine generare teſtatur, ad Deiparæ virginitatem Ethnicis ſuadendum, ſic ducit per admirationem. Impoſsibilene, ait: putatur in Dei Matre, quod in vulturibus poſsibile non negatur? Avis ſine maſculo parit, & nullus refellit, & quia deſponſata Viro Maria peperit, pudoris ejus faciunt quæſtionem. Huc, huc Mariæ amatores, properate, adeſte, & caſtimoniam hujus Matris Virginis illibatam ubíque prædicate. Dicite pleno ore, quod Chryſologus Sermone 142. In tuo, inquit, conceptu, in tuo partu, crevit pudor, & aucta eſt caſtitas, integritas roborata eſt, & ſolidata Virginitas. Dicite quod dixit Chryſoſtomus Sermone de B. Virg: Cùm enim, ait B. Maria ſupra omnem humanam naturam caſtitatem ſervaret, propterea Chriſtum
Domi-

Dominum concepit. Quod ſi aliquis adhuc vobis obſtrepat: non cum Ignatio Loyola plus æquo tunc ferventiore, qui Maurum Virginitati Mariæ obtrectantem, ſtatuerat confodere, armis confodite, ſed calamo, ſed verbo. O calamum cryſtallo dignum qui Mariam dilucidat! O linguam cœlo dignam, quæ Mariam loquitur! juxta illud Eccleſ. 24. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

STIMVLVS SECVNDVS.

Conſidera. 2. Penſiculatius aliquantulum, & magis in particulari, Virgineam illam caſtimoniam, qua Mater hæc caſtiſsima, & quidem primò, ante partum unigeniti ſui filij refulſit, ut meritò audiat Virgo ante partum, juxta illud Lucæ 1. Miſſus eſt Angelus Gabriel ad Virginem &c: juxta illud Eccleſiæ in ſymbolo fidei. Incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: juxta illud Auguſtini Serm. 11. de tempore. Diligamus præ omnibus caſtitatem, quia ut placere hanc ſibi Chriſtus oſtenderet, pudicitiam uteri Virginalis elegit. Quare non absque fundamento. Franc. Suarez: tom. 2, in 3. part. quæſt: 28: art. 1. aſſerit, ſimpliciter con-

fitendum eſt, Matrem Chriſti Virginem concepiſſe, contrarium enim pertinet ad hæreſim Hebionitarum, & Cerinthi, qui Chriſtum purum hominem arbitrabantur, & de utroque ſexu eum natum putaverunt: ita ipſe. Et diſp. 5. Sect. 1. addit. Suppono. B. Mariam uſque ad Conceptionem Filij Virginem permanſiſſe, quod eſt de fide certum: ita ibi. Quid igitur perverſe Hæretice caſtiſsimam hanc Matrem calumniaris? cur notam ei virginitati inurere attentas, quam illa etiam voto firmavit? nam S. Ioſeph ante deſpenſationem, uti ipſa caſtiſsima Mater revelavit S. Brigittæ. lib. 7. revel. cap. 25; intellexit in Spiritu Sancto, B. Virginem voviſſe virginitatem, immaculatamque eſſe cogitatione, verbo, & opere. Verùm Ioſephi mentione factâ, hunc ipſum, ejusque cum Maria conjugium, tibi ſufficienter adſtipulari aſſeres? at fruſtra, veriſsimum enim matrimonium fuit, ratum quidem, ſed non conſumatum; lege Sanctos Patres, & manus dabis. Etſi enim ut docet Suarez quæſt. 29. diſp. 7. Sect. 1. tom. 2. in 3. part: verum ac proprium matrimonium ratum cum Ioſeph contraxerit, tamen penitùs illibatum virginitatis florem, divinæ apiculæ Chriſto conſervavit. Crede quod docet Fides,
nem-

nempè inter Mariam & Ioſeph, nullatenus interceſsiſſe matrimonium conſumatum. Crede Hieronymo lib. adverſus Helvidium. Tu dicis Mariam Virginem non permanſiſſe, ego mihi plus vendico, etiam ipſum Ioſeph Virginem fuiſſe per Mariam, ut ex virginali conjugio, Virgo filius naſceretur. Crede Petro Damiano Epiſt. 11. ad Nicolaum Pontificem C. 4. Numquid ignoras Dei Filium adeò carnis elegiſſe munditiam, ut ne quidem de pudicitia conjugali, ſed de clauſula potius incarnatus ſit virginali? & ne hoc ſufficere videatur, ut tantummodò Virgo ſit Mater, Eccleſiæ fides eſt, ut fuerit Virgo & is, qui ſimulatus eſt pater. Crede deniq; Auguſtino. Deſponſata eſt Viro juſto, non violenter ablaturo, ſed potius contra violentos cuſtoditur, quod illa jam voverat. At inquies: ſi voto virginitatis obſtricta, ergo peccati rea, in matrimonium conſentiens. Minimè profectò, quia votum non abſolutum, ſed conditionatum (niſi Deus aliter ſibi placere revelaverit) fuiſſe, docent nonnulli, quod etiamſi abſolutum dares, non ideò votum infregiſſet, eo quod haberet revelationem, ſibíque conſtaret, neutiquã matrimonium conſumandum. Vide ergo hæretice, quàm pura, quàm caſta, & Virgo

ante partum Maria. Sed tu Catholice, tu Sacerdos, ut hinc emolumentum aliquod capias, ſæpius relege quod ſupra citatus Petrus Damian. ep. 11. ad Nicolaum Pontificem C. 4. ſubjungit. Si igitur Redemptor noſter, tantoperè dilexit floridi pudoris integritatem, ut non modò de Virgineo utero naſceretur, ſed etiam à nutritio Virgine tractaretur, & hoc cum adhuc parvulus vagiret in cunis, à quibus nunc obſecro, tractari vult corpus ſuum, cum jam immenſus regnet in Cœlis?

STIMVLVS TERTIVS.

Conſidera 3. Graviſsima Patrum teſtimonia, quibus hæc caſtiſsima Mater aſtruitur Virgo, etiam in partu. An non graviſsimum illud S. Bernardi. hom. 2. ſuper Miſſus eſt dicentis. Et quidem Deum hujus modi decebat nativitas, qua nonniſi de Virgine naſcereretur, talis congruebat, & Virgini partus, ut non pareret niſi Deum. Annon illuſtre illud S. Ignatij. epiſt. ad Heronem. Adæ corpus ex 4. elementis confectum eſt, Evæ corpus ex ipſius Adæ latere, & inſolens, admirandusque partus ille Domini ex ſola Virgine. Annon præclarum illud

illud Leonis Papæ. Serm. 1. de Nativ. Meritò virgineæ integritati nihil corruptionis intulit partus ſalutis, quia cuſtodia fuit pudoris editio veritatis. Annon ponderoſum illud Procli Ciriceni. Homil. de CHRISTI Nativit: in Conc. Epheſ. Tom. 6. Cap. 7. qui ſic argumentatur. Si ea quæ genuit Virgo non permanſit, neq; is qui natus eſt, aliud quam purus homo extitit. An non clariſsimum illud Auguſtini. Serm. de Natali Domini. Paries Filium, & virginitatis non patieris detrimentum. Sileat ergo & obmuteſcat impius Iovinianus, inquiens, virginitatem in partu amiſiſſe Mariam. Credat Iſai. Prophetæ teſtanti. C. 7. Ecce Virgo concipiet & pariet. Credat Romanæ Eccleſiæ dicenti. Conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine. Credat vel elingui illi paginæ, de qua Roderic⁹ Sanctius. in hiſtoria Hiſpanica. part. 2. Cap. 40: qui refert: à Iudæo librum vetuſtiſsimum dum vineam foderet inventum, in quo triplici lingua ſcriptum erat. Filius Dei naſcetur ex Virgine Maria, & pro ſalute hominum patietur. Credat denique vel cadaveri illi, aut mutæ ſtatuæ, habetur enim in hiſtorijs à Paulo Diacono Sigiberto & alijs conſcriptis, ut notat Angelicus Doctor. 2. 2. q. 2. art. 7. ad 3. Conſtan-

tini tempore, & Helenæ, ut ait S. Thom. ſeu potius Irenes, repertum fuiſſe ſepulchrum, in quo jacebat homo, auream laminam habens in pectore, cum hac inſcriptione. Chriſtus naſcetur ex Virgine, & ego credo in eum, ó Sol ſub Irene & Conſtantini temporibus, iterum me videbis. Cave quisquis Sodalis Mariani titulo gloriaris, ne caſtitate deperditâ, ipſo quoque titulo ſpolieris. juxta illud

Si re priveris, nec nomen habere mereris.

Quis enim nomen Mariani mereatur, qui nomen caſti non habuerit? Hinc Evangeliſta Lucas Cap. 7. loquens de Magdalena, quæ adhuc peccatis ſordida, ad convivium perrexerat, vocat eam mulierem & non Mariam. Ecce, inquit: mulier quæ erat in Civitate peccatrix. Mariam vocare noluit, ne tam ſanctum nomen vocabulo peccatricis quodammodò pollueret. At Cap. 8: non amplius mulieris, ſed Mariæ nomine compellat, utpotè non jam peccatricem, ſed puram. Quare pulchrè Richardus Lib. 1. de Laud. Virg. Capite 2. Nomini Mariæ Sanctitas inſeparabiliter eſt adjuncta, quod cum agit Beatus Lucas Capite 7. de pœnitentia Magdalenæ, propter hujus nominis reverentiam, non auſus

ſus fuit Mariam, ſed mulierem nominare, ſed paulò poſt, ſcilicet Cap. 8. cum dicit eam juſtificatam à Domino, de ſuis facultatibus illi miniſtrare, vocat Mariam. Hucuſque Richardus.

STIMVLVS QVARTVS.

Conſidera. 4. Quàm conveniens fuerit, pro complemento virginalis caſtimoniæ, eam Maria conſervaret, non tantùm ante, & in partu, ſed etiam poſt, & ſemper. Quapropter deteſtandam hæreſim, nimirum, hanc caſtiſsimam matrem, poſt partum Chriſti, alios filios ex Ioſeph concepiſſe (cujus authorem fuiſſe Elvidium, indicat Auguſt: hæreſ: 84: & Ildephons. Lib. de virginitate Mariæ. Cap. 2.) quis æquo animo ferat? incontinentis enim & ingrati animi ſignum fuiſſet, divinitus conſervatam virginitatem prodere, & thalamum Conceptionis Chriſti polluere, ut loquitur Siricus Papa. Age Sodalis Mariane, & quo niſu potes, hunc errorem è mente aliorum evelle, tecumque & cum errantibus ſic diſcurre. Maria poſt partum caſta, quia in Concilijs ſæpè caſtiſsima hæc Mater vocatur, ſemper Virgo immaculata, ut in 5. Synod. Can. 6.

Et 6.

Et 6. Syn. Act. 11. dicitur. Mariæ virginitas ante partum, in partu, & post partum intemerabilis. Maria post partum casta, quia locum illum Ezech. 44. Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & Vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam: exponens Augustinus, in ser. 14. de Natali Domini, qui est. 18. de Tepo: non longè à principio. Tom. 10. dicit. Quid est porta in Domo Domini clausa, nisi quod Maria semper erit intacta: & quid est, homo non transibit per eam, nisi quòd Ioseph non cognoscet eam, & quid est, Dominus solus intrat, & egreditur per eam, nisi quod Spiritus Sanctus impraegnavit eam, & Angelorum Dominus nascetur per eam: & quid est, clausa erit in æternum, nisi quod Maria Virgo est ante partum, & Virgo in partu, & Virgo post partum. Maria post partum casta, quia doctiss. Suarez. tom. 2. in 3. part. disp. 5. Sect. 3. ait. Dicendum. B. Virginem perpetuam virginitatem coluisse, neque Virum unquam cognovisse, est de fide. Maria post partum casta, quia prodigio sanè stupendo veritas hæc stabilitur. An non stupendum? Theologo cuidam de Virginitate Mariæ dubitanti, cum obvius esset S. Ægidius Franciscanus, terrâ baculo percus-

percuſsâ, ait. Frater Prædicator. SS. Deipara Virgo eſt ante partum. O rem miram ! eo vix dicto pulcherrimum illic exoritur Lilium. Iterum humo percuſsâ. Frater Prædicator. inquit. S. Maria Virgo eſt in partu. O rem æquè miram ! rurſus pulcherrimum enaſcitur Lilium. Tertiò deníque percuſsâ terrâ, dicit, Frater Concionator. S. Maria Virgo eſt poſt partum. Et ecce lilium tertium comparet. O homo ! Lilia ratione carentia perpetuam virginitatem Mariæ teſtantur, & tu non teſtaberis ? ah Lilium tu quoque eſſes ! Lilium, quod caſtiſsimæ Matri offerri poſſet ! nam ſuaviſsimâ morte defunctis duobus ex Ordine Servitarum, ſive Servorum Mariæ, in ipſo mortis momento, vidit B. Philippus ejusdem Ordinis, duo candidiſsima lilia jam jam à radice reciſa, Beatiſsimæ Virgini offerri. O lilium eſſes ! lilium, quod intaminatam Mariæ caſtimoniam teſtaretur, non tam verbis quam factis, & imitatione ! Sophronius enim ſerm: de Aſſumpt: aſſerit. Chriſtum idcircò matrem Virginem elegiſſe ut ipſa omnibus eſſet exemplum caſtitatis. Et Hailgrinus ait. Beata fuit, non ſibi tantùm ſed & nobis, non ſibi tantum caſta, vel pulchra, ſed nobis quoq; caſtitatis monitoria, ideò comparatur monilibus,

quæ dicuntur monilia, quasi castitatem monentia, nam ad continentię munditiam, ipsa per exemplum nos commonet, & invitat. Conclude cum S. Bernardo, qui in serm. super Salve Reg. ait. Agnoscit Virgo, & diligit diligentes se, & propè est in veritate invocantibus se, præsertim his quos videt conformes sibi factos in castitate, & humilitate.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

O amatricem castissimæ Matris, vel impuram illam mulierem, de qua Augustinus Mannus. in Histor. rerum memorabilium in Eccles. gest: C. 80. Hæc publico luxui patebat liberalis lupa: huic tota hebdomada, Veneris dies erat; attamen id honori & amori Beatissimæ Virginis dedit, ut Sabbato se, aliosve fœdare constantissimè nollet. Hanc tu Sabbathis imitare. Hanc tu reliquis diebus detestare.



CAPVT

CAPUT OCTAVUM.

MATER INVIOLATA.

Verè Virgo hortus deliciarum, in quo consita sunt universa florum genera, & odoramenta virtutum, sicque conclusus ut nesciat violari. Sophron: de Assum:

STIMULUS PRIMUS.



Onsidera. I. Quando unquam hic deliciarum hortus, ut Mariam vocat Sophronius, peccato aliquo graviori violatus? Quando unquam in hunc amœnissimum paradisum fera aliqua irrepsit? Ad hunc inquit Damascenus Orat. 2. de Assump: paradisum, serpens aditum non habuit; loquitur autem de Maria. Paradisum esse Mariam dubitas? Audi Proclum Episcopum Constantinopolitanum de Deipara. Hæc ait. Spiritualis est secundi Adam Paradisus. Audi Ephræm. Oratione de Deipara ad eandem. Ave. inquit. paradise deliciarum. Audi Andream Cretensem.

Oratione de Annunc: ubi Deiparam dicit eſſe intellectualem vividi ſalutis noſtræ ligni paradiſum. Audi S. Iacobum in ſua Liturgia Virginem ſic alloquentem. Tibi quæ es templum ſanctificatum, paradiſus ſpiritualis &c. univerſa Creatura gratulatur. Quod ſi hortum, ſi paradiſum eſſe Mariam agnoſcis, perpende quàm inviolatus, & intactus ſemper manſerit, ut meritò illa publicetur Mater inviolata: & primò quidem à culpa mortali. Audi loquentem Idiotam. Libro Contemplationum. de B. V. Cap. 2. Tota pulchra es Virgo glorioſiſsima, & macula peccati mortalis non eſt in te. Audi S. Brigittam Viduam. Lib. 3. Revel: ubi teſtatur. Mariam nunquam mortaliter peccaſſe. Audi Richar. de S. Victor: qui apud Suarium tom. 2. in 3. part. diſp. 4. Sect. 4. ait. Omnes Virgines eſſe ſpecies Chriſti, Beatam autem Virginem eſſe ſpecialem ejus ſpeciem, quæ ſpeciem ſuam nunquam per aliquod peccatum mortale maculavit. Idem teſtatur Angelicus Aquinas. dum 3. p. q. 27. art. 4. aſſerit. B. Virginem nullum peccatum mortale admiſiſſe. Huc quoque ſpectat quod ex Alberto Magno. affert S. Antoninus. 4. part. tit. 15. C. 44. §. 9. ubi ſic. Inceſſabilitatem. inquit, habuit Beata Maria ſuper

Seraphim;

Seraphim; quod ſic probat Albertus. Magis inceſſabile eſt quod non ceſſat, nec poteſt modo ceſſare, nec unquam potuit ceſſare, quam quod non ceſſat, nec poteſt ceſſare, ſed tamen potuit aliquando ceſſare. Sed charitas Seraphim, etſi non poteſt modò, potuit tamen aliquando ceſſare, ſcilicet in prima eorum conditione, quod patet per exemplum Luciferi, qui ſecundum B. Gregorium, ſupremus fuit de ordine Seraphim, qui à charitate ſibi collata cecidit de Cœlo. Sed Charitas B. Mariæ nunquam potuit ceſſare, quod oſtenditur per hoc, quia charitas non poteſt ceſſare niſi per mortale peccatum, ſed nunquam potuit peccare mortaliter, quia in utero ſanctificata, antequam poſſet peccare per ipſam ſanctificationem, ita fuit confirmata in gratia & charitate, quod poſtea peccare non potuit etiam venialiter, unde nec amittere charitatem, quod tamen potuerunt Seraphim agere, & defacto aliqui amiſerunt, ſcilicet Lucifer cum ſuis. Hucuſque S. Antoninus ex Alberto Magno. Verùm ne plura absque neceſsitate in hanc rem teſtimonia congeras, potius cum Anaſthaſio Synaita. Anagogicarum quæſtionum. Lib. 6. dicas. Quis mihi dic quæſo, aut ex hominibus, aut ex dæmonibus audebit dicere, quod

ea, quæ eſt ejusdem ſimul cum Deo eſſentiæ, quod ad carnem attinet, non ſit ad imaginem & ſimilitudinem ejus qui ex ipſa natus? quomodo eſt enim Mater ejusmodi Filij, non ferens in ſe illæſam fœtus ſui imaginem? Potius cum Auguſtino. Lib. de natura & gratia. Cap. 36. concludas. De Sancta. inquit. Virgine Maria, nullam prorſus, cum de peccatis agitur, habere volo quæſtionem, indè enim ſcimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quòd concipere ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum: ita Auguſt. O Mariam verè Matrem inviolatam! ô felicem ejus animam, quia nunquam lethiferâ labe commaculata! Ah poſſes tu moriens dicere, quod olim dixit hæc Mater inviolata ad S. Brigittam L. 3. Revel. Cap. 8. Ego illa ſum, quæ nunquam commiſi peccatum mortale. Quod ſi dicere non licebit amplius, ſaltem à novis perpetrandis abſtine, ne aliàs tibi contingat, quod Sodali illi, de quo Caſp. Lechner. in Sodal. Parth. Lib. 3. Cap. 9. Infœlix hic, dum Vrbem cum ſocijs obambulat, & grave ſcelus animo verſat, Vir grandævus, vultu gravi & ſubirato adoritur, & percuſſo fortiter pectore; Tune inquit. qui B. Virginis ſodalitio nomen

men dederis, hæc mente concipere, hæc animo audeas tractare facinora? Ad quæ cùm ſubitò linquente animo corruiſſet juvenis, accurrunt comites, & nullo percuſſore conſpecto territi, ad Sacerdotem perducunt. O felix culpa quæ talem meruit habere monitorem! Time hunc monitorem, imò ſi pecces, ne deteriorem experiare.

STIMVLVS SECVNDVS.

Conſidera. 2. Quando unquam hic deliciarum hortus vel levi peccato violatus? quando unquã in hanc pretioſam vineam, in qua primùm conſpectus fuit dulciſsimus ille botrus Ieſus, vulpecula aliqua vel minima ingreſſa, quæ demoliretur illam? Benè ergò Eccleſia, Mariam vocat Matrem inviolatam. Benè S. Brigitta Vidua. Lib. 3. Revel: aſſerit, illam nunquam venialiter peccaſſe. Benè innuit Concil. Tridentinum. Seſſ. 6. Can. 23. Eccleſiam tenere Beatam Virginem ex ſpeciali Dei privilegio, omnia peccata venialia vitaſſe. Benè denique notat Suarez tom. 2. in 3. part. diſp. 4. Sect. 4. de fide eſſe, illam nunquam peccaſſe venialiter; quod definitum eſſe fertur ſub Vrbano. II. in Concilio

cilio Claremontano, ut refert Vega Lib. 14. in Trid. Cap. 18. Sed audi Richard. de S. Victor: loco cit. apud Suarium, ubi inquit, omnes Virgines esse species Christi, Beatam autem Virginem esse specialem ejus speciem, quæ speciem suam nunquam per aliquod peccatum veniale maculavit. Audi Idiotam in Contempl. Virg. Cap. 2. Tota pulchra es Virgo gloriosissima, & peccati venialis macula non est in te. Audi Angelicum Thomam. 3. part. qu. 27. art. 4. ubi docet, Beatam Virginem nullum commisisse veniale, et si illud commisisset, non futuram fuisse dignè idoneam Matrem Christi. O excellentissimum Virginis privilegium! o gratiam singularissimam Mariæ! Nonne singularis? siquidem adeò fuit confirmata in gratia statim in sua Conceptione, ut ne venialiter quidē unquam peccaret. Nonne singularis? siquidem nullus Sanctorum adultorum, præter Christum & Mariam, vixit absque veniali culpa; quod enim aliqui pauci id asserant de S. Ioanne Baptista, & de S. Iosepho, & sanctificatis in utero, communiter tamen à Theologis rejicitur. Vnde huc quadrare videtur illud Angelici Doctoris 3. part. q. 27. art. 6. ad 1. B. Virgini præstitum est, ut de cætero non peccaret, nec mor-

mortaliter nec venialiter, alijs autem ſanctificatis creditur præſtitum eſſe, ut de cætero mortaliter non peccarent, divina eos gratia protegente. Ah Anima mea quid agis? ubi applauſus? ubi aggratulationes? Auguſtinus Lib. de Spirit. & Lit. Cap. 2. dicit. Si quis de aliquo Sancto affirmet, nunquam peccaſſe, non proprijs viribus, ſed gratia & dono Dei, non multum eſſe cum illo contendendum, ſed potius ſi id ſufficienter oſtendat, illi eſſe gratulandum. Gratulare igitur quo affectu potes Matri inviolatæ, de ſingulari hoc privilegio. Extolle illud ſupra omnium hominum puritatem. Confirma illud, teſtimonio ipſiusmet Virginis, quæ S. Brigittæ L. 3. Revel. Cap. 8. dixit. Ego illa ſum quæ nunquam commiſi peccatum veniale, vel mortale.

STIMVLVS TERTIVS.

Conſidera. 3. Quam parum officiant, imò nihil, huic Matri inviolatæ, nonnulla Scripturæ loca. Violatam fortè dixeris ſpiritu ambitionis, aut inanis gloriæ, quando Ioannis 2. miraculum à Filio poſtulavit, inquiens. Vinum non habent. O te mortalium ſtupidiſsimum! Audi Bonav. in Spec.

B. Virginis. Cap. 5. Balſamum Spiritus Sancti in Maria, nec melle carnalitatis, & mundanæ conſolationis, nec oleo vanæ laudis fuit vitiatum. Quod ſi reprehenſam putes à Filio. Audi Iuſti. Martyr: Quæſt. 136. ad Gent. Non verbo Matrem objurgavit, qui facto honoravit. At inquies, violatam quis non dicet, arrogantiæ Spiritu, quando Matth. 12. Marc. 3. Luc. 8. Filium publicè prædicantem interpellavit, propter quod ab ipſo acerbè excepta. Quæ eſt Mater mea? O te ignarum omnium! diſce vel à fœmina, Sancta Mechtilde nimirum, quæ de B. Virgine in 1. Lib. ſuarum Revel. ſic ait. Ita modeſtè de ſe ſentiebat, ut cùm tot gratias haberet, nulli creaturæ ſe prætulit, nec antepoſuit. Verba autem illa Chriſti, quid neceſſe eſt dicere, reprehenſionis fuiſſe, quæ erant ſolùm inſtructionis, ut circumſtantibus indicaret, propter carnaliter junctos, nequaquam opus Dei eſſe intermittendum, ut adnotarunt Auguſtinus, & Bernardus. Quod ſi ulterius contendas, eam in Filij paſſione perturbatam, leges modeſtiæ violaſſe, audi Advocatos Mariæ. Ambroſ. de inſtit. Virg. Cap. 7. Stabat ante Crucem Mater, & fugientibus Viris, ſtabat intrepida. Simonem Metaphra. Orat. de Vita & dormi.

Deíp. Dicunt. inquit: hi qui de his rebus tractarunt, eam ab initio uſque ad finem ſe fortiter & conſtanter geſsiſſe, honeſtè quidem & non indecorè utentem motu animi, factis tamen ſe oſtendentem Matrem, ſed omninò Matrem illius, qui amico mortuo & oſtendit amorem, & motum animi certis finibus continuit: ita Metaphr. Breviter Bernard. de Lamentatione B. Virginis. Non deſperabat, ſed piè & juſtè dolebat. O Mariam verè Matrem ubíque inviolatam! O Mariam ubíque honorandam! Claudat. inquit. Ambroſius Epiſt. 5. ædit. Rom: ſua ora perfidia, obmuteſcat, ne matrem Domini aliquo audeat temerare convicio. Sed age Anima mea, & quam inviolata fuerit Maria vel hinc etiam collige: in eâ ut docent Theologi, nunquam fuit actus fomitis in actu ſecundo, cum dicat aliquid indecens & inordinatum rationem præveniens. In ea fomes etiam in actu primo extinctus fuit, ut docet Suarez. tom. 2. in 3. p. diſp. 4. Sect. 5. & alij; & ne putes, primò poſt conceptum Verbum, ut putavit S. Thomas: ideò liberè dicas, à ſua immaculata Conceptione: ſi enim Deus fomitem in Virgine voluit impedire in actu ſecundo, cur dic amabo, reliquiſſet in actu primo, qui aliquid

imperfectum ſonat, & de ſe niſi impediatur, ad malum inclinat? Lætare hinc Sodalis Mariane, qui amore tantæ Matris æſtuas. Dic cum Angelo, in ſermone quem ſuo ore dictavit S. Brigittæ, Cap. 14. Quis. inquit. mirari debet, quod Deus hanc Virginem ſuper omnes maximè dilexerit, cum ipſa ſola excepta, neminem à Viro & muliere generari prænovit, cujus animus (alias VOLVNTAS) ad mortale, ſeu veniale peccatum interdum non fieret inclinabilis. Dic cum Davide Pſ. 45. Venite & videte opera Domini quæ poſuit prodigia ſuper terram, auferens bella usque ad finem terræ. Terra iſta de qua bella omnia finetenus auferuntur, eſt Maria, juxta illud Prophetæ. Veritas de terra orta eſt. Vnde gratioſè Richardus Victorinus Lib. 2. de Emmanuele. C. 31. In cæteris. inquit. Sanctis magnificum habetur, quod à vitijs non poſsint expugnari, in Virgine mirificum videtur, quod à vitijs non poteſt ipſa, vel in modico impugnari. Hîc ſubſiſte Viator. Subſiſte & pauliſper recogita, quam cautè tamen, & circumſpectè ambulârit in terris Maria, & tu fragilis, nulliſque fermè gratijs divinis præventus, media pericula audax & incautus intrabis? Audi quid dicat Rogerius Ordinis Minorum.

Quam-

Quamdiu homo facit. inquiebat ille. quod in ſe eſt, peccati occaſiones fugiens, Deus quoq; eum à malis præſervat, at ſi peccati periculo ſe exponat, juſtum eſſet, ut Deus eum propriis viribus relinquat. Appoſitè Mater inviolata Maria, ſuaſit olim, ut leges apud Bonifac. L. 4. C. 9. Hiſt. Virg. Virgini illi ſanctimoniali, cui nomen Ioanna; hæc de cœlo cadentem epiſtolam conſpexit, cujus erat inſctiptio. Maria Mater Dei Filiæ Ioannæ ſalutem: in ea verò Epiſtolâ inter alia hæc erant. Filia mihi admodum chara, Viros fuge, & omnium conſuetudinem vita, qui tibi ad virtutem, & veram animi libertatem capeſſendam minus prodeſſe videbuntur. Quid tu ad hæc Sodalis Mariane? audi, tibíque hoc Lemma aſſume. Malo mori quàm fœdari, Tu ſis homo ille, de quo B. Catharina Genuenſis affirmabat, ut refert Lancicius tom. 2. Opuſc. 16. de fuga pec. venialis Cap. 2. Quod ſi homo gloriam Mariæ Virginis, & voluntate, & re ipſa, & diſpoſitione divina poſsideret, ſicut ipſamet Domina noſtra poſſidet, deinde audiret, oportet te cum iſta gloria, ſcintillam imperfectionis ab omnipotentis Dei voluntate diſcrepantis in te cernere, certa ſum (modò dulcem hanc veritatem perſpiceret) reſponſurum.

Nolo illam gloriam hac conditione, quin potius relega me in infernum. Hæc ibi.

Stimulus Quartus.

Considera 4. Horrendas illas anxietates & timores, quos experiuntur in morte ij qui à puritate Mariæ degeneres, vitijs habenas laxârint. Si enim illa pura est & purorum amans, ut docet Damascenus Orat. 2. de dorm. ergo à contrario impurorum ac peccatorum erit tunc inimica. Si illa teste Damasc. lutum omne fugit, ac cænosas affectiones aversatur, ergo & peccatores luto deformiores fugiet tunc illa. Si illa, ut ait Damasc: quolibet vitio offenditur ac discrutiatur, ergo & tunc offensam sese ostendet peccatori. Si simile appetit sibi simile, juxta tritum illud axioma, ergo tunc execrabitur illa peccatorem sibi adeò in puritate dissimilem. Heu miser peccator sic deprehensus quo fugiet? quem adjutorem quæret? fortè Cœlites? fortè Christum ipsum? Sed audiat quid doctissimus Salazar in Proverb: Cap. 8. in vers. 18. doceat. Nihil boni Sanctorum preces nobis obtinere possunt, nisi Mariæ etiam impetratio accedat; & in eodem ver-

su 18.

ſu 18. n. 191: ait. Gregorium Venetum (fuit hic Minorita, Vir pietatis doctrinæque non vulgaris) deducere ex quadam ſimilitudine Lunæ, de qua nos infra: nihil boni etiam à Chriſto in nos defluere (ad minimum de bonis Spiritualibus loquuntur) quod Virgine intercedente non capiamus. O anguſtias! ô terrores! ó damnationem imminentem! At inquies, ad homines, ad piorum ſuffragia, ac preces recurram. Aſt quid ſi ſilentium eis imponat Maria? quid ſi dicat, quod cuidam Viro illuſtri (qui ne Anatolius Vir impius morte ſed potius exilio mulctaretur agebat) dixit ipſa. Quousque defendis cauſam Anatolij, qui tum me, tum Filium meum, tantis onerat contumelijs? Sed dices iterum, ipſam Mariam ſupplex adibo, & votis onerabo. Verùm quid ſi indignus veniâ, nec non ſerio propoſito deſtitutus, & hîc repulſam patiare, inſtar præfati Anatolij de quo Euagrius Libr. 5. hiſtor. Cap. 17. & 18. qui cum velut ſceleris reus, juſſu Imperatoris Tiberij, Conſtantinopolim abducendus eſſet, ad imaginem Deiparæ fune in carcere ſublime appenſam accurrens, manibus à tergo complicatis, ſe ei ſupplicare, precesque adhibere oſtendit, illa autem eum velut ſacrilegum deteſtata, & ut Deo inviſum

coar-

coarguens, penitùs ab ſe avertit. O ſpectaculum horribile! ô motivum efficax ad puriorem vitam ducendam! qui hæc legis, ſi ſapis, Mariæ fortiſsimè adhære, ejusque puritatem ſectare, ne aliàs moriens ſentias quod olim ſenſit infelix ille Iulianus Apoſtata. Senſit hic, teſte S. Baſilio, S. Mercurij Martyris haſtam, ſed impactam ejus lateri juſſu Mariæ.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

PRoh quam violatam vidimus aliquando animam Auguſtini! ſed io triumphe! damna reparata, culpæ deterſæ, ſterilitati ſucceſsit fæcunditas, poſtquam ſacratiore lymphâ immaduit Auguſtinus, nam Sabbato ſacro baptiſmatis fonte à Divo Ambroſio ablutus legitur. Audi pæana. Te Deum laudamus. &c. Adde tu. Te Mariam inviolatam confitemur. Adde verbis opera Sabbato maximè: ut enim acriorem ſtimulum ad Sabbatinum Mariæ cultum, haberent Sodales Mariani, ijs pro Sabbatis ſingulis, indulg. plen. conceſſas eſſe aſſerit Compend. ind. Sodalit.

CAPUT NONUM.

MATER INTEMERATA.

O Sanctissima, quæ principatus & potestates fefellisti, immaculata conservata in Dei Sponsam.
Damascenus Orat. 1. de Nativit. B. V.

STIMULUS PRIMUS.



Onsidera. I. Quibus laudibus, atque encomijs digna sit illa, quam mundus proclamat Matrem Intemeratam, & ab omni culpa originis immunem. Tota pulchra es, inquit Idiota Lib. Contempl. Cap. 2. Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, & macula peccati, sive mortalis, sive venialis, sive originalis, non est in te, nec unquam fuit. Idem Cap. 6. hæc habet. Invenisti Virgo Maria gratiam cœlestem, quia fuerunt in te ab originis labe præservatio, Angelica Salutatio, Spiritus Sancti superventio, & Filii Dei conce-

ptio. Non ineleganter. S. Ildephonſus antiquiſsimus Auctor, in Lib. de perpetua Virginitate, & parturitione B. Virginis, ſic ait. Conſtat eam ab omni peccatò originali immunem fuiſſe, per quam, non ſolum maledictio Evæ ſoluta eſt, verum etiam benedictio omnibus condonata. Breviſsimè autem Laurentius Iuſtinianus, in Libro de Perfectionis gradibus. Cap. 1: hæc profert. Ab hoc quippè originali delicto nullus excipitur, præter illam, quæ genuit mundi Salvatorem. Abulenſis ſuper Prologum D. Hieronymi. Cap. 6: ita ſcribit. B. Virginem ſine originali macula conceptam eſſe, nullo modo nego, ſed toto animo confiteor. O prærogativam uni ſoli Virgini conceſſam! O Matrem verè intemeratam! quia absque originali labe concepta. Quam veritatem adeò defendit communis pietas ac devotio, ut pro ea tuenda ſtent, velut in acie, ſummi & imi. Docti & indocti. Provinciæ & Regna. Audi Apoſtolos. S. Andreas morti proximus, de immaculata Virginis Conceptione ſic loquitur. Sicut primus Adam fuit formatus ex terra, antequã eſſet maledicta, ita ſecundus formatus eſt ex terra virgineâ nunquam maledicta. S. Iacobus Major hæc habet. Mariam non tetigit primum peccatum.

Hæc

Apud Salazar. Lib. de Concep. Cap. 42. in 1. ſæculo: cui ſi non credas, nec apud ipſum Teſiphonti, Iacobi hujus Diſcipulo, aſſerenti, B. Mariæ à peccato originali immunitatem, ab Apoſtolis ipſis definitam fuiſſe, crede Apoſtolorum Succeſſoribus, Summis Pontificibus. Nonne fortiſsimè pro eadem veritate ſtant illi ipſi? Nonne Adrianus. IV. ad Petrum Pontiniacum, Librum ſcripſit de immaculata Virginis Conceptione? Nonne Innocentius VII. Ioannem Monteſonum, qui in Concione docuerat, Virginem in peccato fuiſſe conceptam, ad palinodiam canendam coegit? Nonne Sixtus IV. in Extrav. plurimas indulgentias impertitur, hanc Feſtivitatem modo à ſe præſcripto piè colentibus? Nonne Iulius II. Religionem Sanctimonialium immaculatæ Conceptionis, quæ ſub Sixto IV. inceperat, benignè confirmavit, eique Regulam præſcripſit? in cujus Cap. 2. hæc profeſsionis norma aſsignatur. Ego N. ob amorem Domini noſtri, & Immaculatæ Conceptionis, ejusdem Genitricis, voveo &c. Nonne idem Iulius. II. multas Indulgentias impertijt Caſtellanis, qui in pectore ferrent imagines immaculatæ Conceptionis? Nonne Adrianus. VI. fundatam Toleti in honorem immacu-

latæ Conceptionis Confraternitatem approbavit? Nonne Leo. X. in Conceptionis honorem multa Templa extruxit? Indulgentias multas contulit, feſtum ejusdem celebrantibus, & imagines deferentibus? Nonne deníque (ne prolixior Pontificum catalogus texatur) Pius. V. confirmatis Sixti. IV. Legibus, Feſtum Conceptionis toto Orbe celebrari juſsit? Quod ſi hæreticorum more, oſor Pontificum, Cæſares potius intueri affectas, qui immaculatæ Conceptionis propugnatores extitiſſent. Intuere obſecro, ſapientiſsimum Orientis Imperatorem Leonem, qui Anno. 891. Librum, & Orationes pro Virginis immaculatæ Conceptione conſcripſit. Intuere Auguſtiſsimum Romanorum Imperatorem Ferdinandum. II. qui ab Vrbano VIII. obtinuit, ut per omnia ſua Regna & Provincias, feſtus etiam in foro, immaculatæ Conceptionis dies ageretur. Intuere non degenerem Filium Ferdinandum. III: qui omnes ſcientiarum Profeſſores, atque ad gradum dignitatis promovendos, voto immaculatæ Virginis defendendæ obligari fecit. Aſt quia ſolis Imperatoribus nequaquam contentus, etiam Reges aliquos inſpicere deſideras. Inſpice Ioannem. I. Navarræ Regem, qui edicto cavit in Comi-

Comitij Cathalauniæ,ne quis concionando, aut diſputãdo, immaculatæ Conceptioni contrairet. Anno 1451. Inſpice Catholicum Hiſpaniarum Regem, Philippum. III: qui à Paulo. V. Pontifice Maximo. Bullam impetravit, ne quis in publicis actibus docere poſſet ſententiam, quæ immaculatæ Conceptioni adverſatur. Inſpice eundem, imò loquentem audi. Si neceſſarium omninò putarem, (inquit ipſe apud Salazar, in Præfatione de Concept.) me Romæ adeſſe, & ad pedes Sanctiſsimi Patris noſtri provolvi, ut pro Virginis originali juſtitia extremam ſententiam ferre, & cauſam iſtam per Sancti Spiritus aſsiſtentiam definire, ac terminare vellet, quamprimum fieri poſſet, alijs quibuscumque rebus poſthabitis, & omnibus ſuperatis difficultatibus, Romam contenderem, & Sanctiſsimo Patri me ſiſterem. Inſpice deníque hunc ipſum Philippum. III. & IV. Hiſpaniarum Reges, qui Legationes celeberrimas ad Sedem Apoſtolicam, pro immaculata Conceptione ablegavêre. Pineda in monit. ad Lect. Verùm quia

Regis ad exemplum totus componitur Orbis.

Madriti, Sodalitati Immaculatæ Conceptionis à Philippo. III. inſtitutæ, Principes domeſtici om-

nes, omnes Hiſpaniæ Magnates, ViceReges, Duces, Marchiones, Comites, alijque è Nobilitate, ſua nomina dedêre. Civitas Hiſpalenſis, verba hęc: BEATA VIRGO MARIA SINE PECCATO CONCEPTA; meris gemmis & adamantibus in tapete deſcripſit, pretio, ut relatum fuerat. 80. millium ducatorum. Academiæ. Pariſienſis. Valentina. & aliæ, ita ſtant pro immaculata Virginis Conceptione, ut nullus ad Doctoratum Theologiæ admittatur, niſi prius ſub juramento promittat, nunquam ſe oppugnaturũ illibatam Matris intemeratæ Conceptionem, absq; labe originali, ut adnotavit Mendoza. Deníque quàm gloriosè pro immaculata Virginis Conceptione deſudârit ampliſsimus ille Sacroſancti Concilij Tridentini Senatus, audi P. Nicolaum Lancicium. tomo 2. ſuorum Opuſculorum. Opuſculo XI. Cap. 13. hæc dicentem. Legi & deſcripſi. Año 1599: ex Actis Originalibus Concil. Tridentini (quæ aſſervabantur in Caſtro. S. Angeli Romano, & cum licentia expreſſa Clementis. VIII. fuerunt P. Petro de Arubal. Profeſſori Theologiæ, in Coll. Romano, & mihi ejus Socio ad aliquot horas exhibita, à Cardinali Cæſio.) ex aliquot decadibus Epiſcoporum, deputatorum ad tractandum

dum de hoc puncto Conceptionis B. Virginis Mariæ, omnes aſſeruiſſe, illam eſſe conceptam ſine peccato originali, ſolos quinque contrarium dixiſſe. Poſtea in alia Seſſione fuiſſe concluſum, ut tandem determinaretur à Concilio Tridentino, illam eſſe conceptam ſine peccato originali, ſed ob inſtantiſſimas preces aliquot Epiſcoporum & Theologorum S. Dominici, qui illi Concilio aderant, rogantium, ne hac vice propter notam quæ inureretur Ordini S. Dominici, hoc Decreto illud ederent, ſed ſuperſederent, & ad aliud tempus illud rejicerent. Concilium ſuperſedit, Decretum illud non vulgavit, hanc ſolam ob cauſam. Ita habetur in illis Actis Concilij. Hæc ad verbum citatus Lancicius. O Amatores Mariæ! huc huc accurrite, huc properate, & hanc opinionem vos pro virili defendite, hanc ſententiam vos toto corde diligite, hanc doctrinam vos ſemper tenete. Agite, & ſæpius perpendite, (absque ulla tamen contrariæ ſententiæ cenſura) illud, quod D. Anſelmus in quadam ſua epiſtola, cujus meminit Suarez. tom. 2. in 3. part. diſp. 2. Sect. 5. ad Epiſcopos Angliæ ſcripta, fertur propoſuiſſe, nimirum. Non eſſe verum amatorem Virginis, qui hoc Feſtum non celebrat: & illud Luthe-

ri,

ri, quod ille nequiter usurpare ausus est. Nullum Festum odit Anima mea magis quàm Festum Corporis Christi, & Conceptionis B. Virginis.

Stimulus Secundus.

Considera. 2. Quàm multi ab ipsis adversariorum castris, ad signa Matris intemeratæ desciverint, & pro immaculata Conceptione non minùs fortiter, quàm gloriosè decertârint. Intuere gloriosissimum Ducem & Patriarcham Dominicum, quàm generosè gladium vibret ille, dum in tractatu quodam contra Albigenses de Sanctissimo Sacramento, hanc Virginis puritatem asserit. Intuere dignum tanto Patre Filium Thomam Aquinatem, quàm audacter hostibus insultet, dum in expositione Angelicæ salutationis, his verbis de Maria loquitur. Ipsa purissima fuit quantum ad omnem culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit. Et iterum in 1. Sent. dist. 20. art. 3. loquens de puritate, affirmat, B. Virginē à peccato originali, & actuali fuisse immunem. Audi divinum illum Thomæ Magistrum Albertum Magnum, quid de Matre intemerata loquatur, cui

coro-

coronam 12. ſtellarum texens, concedit eam ſolam exemptam ab illa Regula Pauli ad Rom. 3. Omnes in Adam peccaverunt. Audi quid ſacer ille Eccleſiaſtes, ex eadem D. Dominici Familia, Taulerus, in quadam Concione Purificationis dicat. Hinc illi acceſsit decor, quod culpæ originalis perpetuò expers fuit, à qua præſervârat illam Filius ejus, ita ut ne momento quidem temporis, vel iræ filia, vel vas immundum, vel diabolico (ſicut nos alij omnes) ſubjecta dominio fuerit. Quod ſi Purpuræ magis placent. Audi eum, qui primus è D. Dominici Religione, Cardinalitiâ Dignitate, ab Innocentio. IV. Anno. 1244. ornatus fuerat, nimirum Hugonem Cardinalem, doctrinâ & ſanctitate conſpicuum. Hic in Concione quadam, poſtea Pariſijs impreſſâ. Anno. 1506. ait. Vnam èx ſtellis Coronæ Virginis, eſſe ejusdem generationem, & conceptionem, & hanc quidem eſſe cœleſtem, à maledictione Evæ immunem. Si ergo cœleſtem vocat Virginis generationem, quomodo in peccato geniali conceptam cenſuiſſet? Sed audi alterum è Purpuratorum numero Patrem, Cajetanum, qui licet in contrariam opinionem magis inclinet, tamen in 3. part. Tho. q. 27. art. 2. Mariam ſecundùm naturam in pecca-

ti maculam incurſuram fuiſſe dicit, niſi munus prævenientis gratiæ illam in ipſo inſtanti infuſionis animæ impediviſſet. Verùm quia plures D. Dominici Religioſos, qui immaculatam Virginis Conceptionem admittant, citatos legeres apud Ioannem Pinedam è Soc. Ieſu, in Oratione panegyrica de hoc ipſo argumento, lege unicum ex eodem ſacro Ordine, P. F. Matthiam Aquarium, in almo ſtudio Neapolitano celebrem Doctorem. Opinio, inquit in Cap. 3. ſent. d. 3. quæ tenet Beatiſsimam Dei Genitricem Virginem Mariam ab omni originalis peccati contagio, fuiſſe penitus præſervatam, eſt magis pia, devotioni populi accomodata, & conformis rationi naturali, quia Deus eſt agens perfectum: & morali, quia Deus magis inclinatur ad amandum quàm odiendum: & politicæ, quia Deus eſt legislator, & ſic reſpectu ſuæ Matris potuit diſpenſare in lege: & Theologicæ, quia Deus inſtituit Circumciſionem, & tamen ſuſpendit eam in deſerto: & quia producit effectum ſibi gratum, puritas autem ſuæ Matris eſt ſibi gratiſsima. Ergo præſervavit eam ab omni macula. Hactenus ille. Age Anima mea. Age continuis apud Cœlites precibus, in plurium auribus perſtrepant verba illa, quæ Angelicus juvenis

venis è Societate Iesu Berchmans, moriturus dixerat, uni ex eadem Societate Sacerdoti, Reverentia semper tueatur immaculatam Conceptionem Virginis usque ad mortem. Age, & apud immaculatæ Matris immaculatum Filium effice, verba illa, omnium omnino, Religiosorum maximè corda penetrent, ita ut nullus sit, qui Angelicum illum juuenem Berchmannum non imitetur; inventa enim est ejus sanguine subscripta schedula, in qua jure jurando confirmat, se semper defensurum immaculatam CONCEPTIONEM.

STIMVLVS TERTIVS.

Considera 3. Quàm stupenda prodigia hanc immaculatam Conceptionem circumdent undequaque! sive enim in Cœlum oculos tollas, sive in terram deprimas, sive ignem, sive aquam, aut aërem intuearis, ubiq; admiranda sese ingerunt, ubiq; spectacula. Spectatorem si agas, vel Auditorem, en ipso initio suavissima auditur melodia: hoc est

Pium Osanna.

MAtri intemeratæ, absque originalis peccati la-

be conceptæ, ab Hiſpalenſibus puerulis, divinitùs inſpiratis prõptum, & Latinè utcunque redditum ex Hiſpanicis Rhytmis excuſis.

Veridici infantes,
Qui morantur Hiſpali,
Alphabetum lallantes,
Vt tinnitum crotali:
Negant originale
Tetigiſſe Virginem,
Peccatum, quod tam malè
Defædavit hominem. &c. &c.

Cætera proſequitur Pined: in Libello de Concept: Immacul. B. Virg.

Quod ſi Prologum audire placet. Audi Matrem intemeratam, quæ ad Brigittam. Lib.6. C.49. hæc loquitur. Veritas eſt quòd ego concepta fui ſine peccato originali. Eadem immaculata Mater, teſte Caniſio. Lib. 1. de Deipara C.7. hæc ait. Scito quod Conceptio mea, non omnibus nota fuit, quia voluit Deus, quod ſicut ante Legem ſcriptam præceſsit Lex naturalis, & electio voluntaria boni & mali, & poſtea veniret Lex ſcripta, quæ cohiberet omnes inordinatos motus, ſic placuit Deo, quòd Amici ſui piè dubitarent de Conceptione mea, & quili-

quilibet oſtenderet zelum ſuum, donec veritas clareſceret, in tempore præordinato. Ipſiſsima Maria, teſte Alphonſo Rodriquez, ei patefecit, Societatem Ieſu adhoc inter alia potiſsimum à Deo per Ignatium excitatam, ut illius immaculatam Conceptionem, per Orbem cõmendaret. O prologum excellentiſsimũ! ó prologum eloquentiſsimum Mariã! Sed SCENAS ipſas intuere, quæ omnes aut Feſtum Conceptionis, aut immaculatã Virginis Conceptionem tibi repræſentant. PRIMA SCENA, Cœlum tibi exhibet, ſed ſimul Feſtum Conceptionis; ait enim S. Vincentius. Serm. 2. de Nativ. Virg: loquens de Conceptione. Non credatis quia fuerit ſicut in nobis, qui in peccatis concipimur, ſed ſtatim atque anima fuit creata, fuit ſanctificata, & ſtatim Angeli in Cœlo fecerunt Feſtum Conceptionis. SCENA SEDVNDA, voraciſsimum elementum, ignem nimirum producit, at ſuæ naturæ oblitum; nam ab impijs hæreticis ter in ignem injectus fuerat Liber ille de Sanctiſsimo Sacramento, quem S. Dominicus Patriarcha, contra Albigenſes ſcripſerat, ubi aſſeruerat conceptam abſq; peccato B. Virginem; & tamen integer exilijt, ut obſervat Loco Cit. Pineda. SCENA TERTIA, aëris meminit, ſed

immaculatæ Conceptionis laudes ubique personantis, tot videlicet, quot aut pro immacul. Concept. disputassent in Scholis, aut dixissent in templis, aut quoquo modo palàm perorassent; inter quos Iacobum Laynez in Concil. Trident: Summi Pontifi. Theologum adducit, licet quartanâ laborantem, tamen. 3. continenter horis pro immaculata Conceptione perorantem, & quo magis dicendo progrederetur, eò magis vires corporis sibi accrescere sentientem, sèque se ipso valentiorem fieri. SCENA QVARTA, inimica illa ad se invicem elementa, aquam & ignem mirabiliter unit. Refert Ioan. Eusebius Nierembergius in Lib. 1. de miraculosis naturis in Europa. Cap. 68. Quo die Cursor Regius, Pauli. V. Summi Pontificis diploma (eo sententiam asserentem quod B. V. fuerit concepta in peccato originali, deinceps in publicum efferri vetuit, sive in scholis sive in templis, concionibus, lectionibus, conclusionibus, alijsque quibuscunque publicis actibus.) Madritum detulit, ubi descendisset ex equo, lampas nocturnis tantum horis coram imagine purissimæ Virginis accendi solita, mediâ plateâ, clarâ die, eo ipso cum Cursor appelleret momento, cunctis obstupescentibus spontè

arde-

ardere cæpit, consumptoque exiguo, quod à præterita nocte supererat oleo, perduravit flamma, ipsa quæ supposita erat aquâ ignis fomentum suppeditante. SCENA QVINTA, Terram ostendit cum rosa pulcherrima, quam ipsa in testimonium immaculatæ Conceptionis protulisse videtur; nam Nicolaus Pratensis, Vir religiosissimus, & Deiparæ studiosissimus, dum effecisset, ut octava hujus Festi Conceptionis, in suo Ordine Cœlestinorum instituęretur, præ lætitia hortum ingressus, rosam omnium quas ibi viderat pulcherrimam, coram B. Virginis imagine venerabundus reposuit, illis verbis: Mater si tibi gratum fuit, quod noster Ordo de Octava tuæ immaculatæ Conceptionis me agente constituit, rosa hæc rubicunda, quam tibi offero, vertente anno, recurrente hoc ipso die, viriditatem suam, pulchritudinemq; conservet. Dictum factum, rosam enim in anniversario die integram, pulchramq; conspexére multi, ut testatur Antonius Solarius Carpinas. Lib. de vener. & invoc. Sanctorum. Verùm quam prologum agentem spectasti Mariam, eandem epilogum & quasi grates referentem intuere. Alphonsus Rodriquez è Soc: Iesu: 40. annis quotidie immacul. Conceptionis B. V. Officio.

ciolum recitabat, quod gratum esse B. V: ab ipsa Virgine in Refectorio sibi apparente intellexit. O Spectacula cœlitibus jucundissima! ô Comœdiam Matri intemeratæ acceptissimam! Age Christiane, & in periculis maximè ad immaculatam Virginis Conceptionem recurre, nam in mari cuidam Britanno Abbati apparuit S. Nicolaus, periculum evasurum promisit, si ille promitteret anniversariam deinceps immaculatæ B. V. memoriam agere, & alijs agendam prædicare, promisit & evasit, ut refert Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum. Lib. 1. Cap. 42. Age Sodalis Mariane, & licet ad fundum peccatorum demersus, spera tamen vitam spiritualem per immaculatam Conceptionem Virginis, Canonicum enim submersum, solitum sibi suas horas decantare, ad vitam revocavit illa, post alia dicens. Precor te, inquit, ut Festum Conceptionis meæ devotè celebres annuatim. 6. idus Decembris, & ubique celebrandum prædices: (Claudius Rota Ordin. Præd:) & te ad spiritualem non revocabit? Age denique quisquis ad cœli gaudia aspiras, age quod agendum suadet Maria, quæ tempore Caroli Regis Francorum, apparens Clerico cuidam, Regis Vngariæ Germano, (rem narrat citatus Clau-
dius

dius Rota. Cap. 185.) ſic poſt alia ipſum affata eſt. Si Conceptionis meæ Feſtum annuatim. 6. idus Decemb: ſolemniter celebraveris, & celebrandum prædicaveris, mecum in Regno Filij mei laureatus eris.

STIMVLVS QVARTVS.

Conſidera 4. Rationes nonullas quibus immaculatam Virginis Conceptionem tueri poſſis. Prima ſit: quia Apoſtoli illam docuerunt. Secunda: quia Summorum Pontificum authoritas approbat eam, tum feſto publico, tum Officio, Miſsâ, atque indulgentijs. Tertia: quia tot Sanctorum Patrum graviſsima ſuppetunt teſtimonia. Huc facit regula illa. S. Auguſtini. Lib. 5. cont. Iulian. C. 9. Eum qui nunquam actualiter peccavit, neq; originale contraxiſſe: ſubſume. Atqui Maria nunquam peccavit actualiter. Ergo &c. Huc facit etiam Concil. Trident. Seſſ. 5: ubi in calce Decreti ſubjicitur. Declarat tamen hæc ipſa Sancta Synodus, non eſſe ſuæ intentionis, comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam & immaculatam Virginem Mariam. Quarta: tot Viri doctiſsimi, piam hanc ſententiam ſcriptis conſigna-

ſignarunt, ut illorum cenſum facere ſit perquam difficile: ex ſola Societate Ieſu. Salazar. Cap. 42. in ſæculo 16: numerat nonaginta. Quæ Societas, adhuc in ſuis primis incunabulis, cum Romæ primas Theſes Theologicas vivente adhuc Ignatio expoſuiſſet, in ijs princeps Quæſtio, immaculatam Conceptionem aſſerebat. Quinta: Antiquiſsima hujus Feſti celebritas, nam in Eccleſia Græca, ante 1000. annos celebrari cæpit, ut refert Galatinus. Lib. 7. Cap. 4. In Eccleſia autem Latina introduci cæpit ante 500. fortè annos, ut ex epiſtola Bernardi conſtat. Sexta. Prodigia & miracula, atque revelationes in hujus veritatis confirmationem effecta; quam veritatem tu confirma primò. Quia nullum gratiæ beneficium alicui puræ Creaturæ conceſſum eſt, quod Matri huic intemeratæ negatum fuiſſet. Atqui hoc beneficium gratiæ, nimirum creari in gratia, conceſſum fuit primis noſtris parentibus. Ergo & illi. CONFIRMA ſecundò. Præſervata fuit à peccato actuali ex ſpeciali Dei gratia, ergo multò magis ab originali, quod ut advertit Suarez tom. 2. in 3. part. diſp. 3. ſect. 5. major eſt macula, quam aliquod veniale. Notat Cordubenſis. Lib. 1. q. Theol. q. 48. Virginem potius eligere debuiſſe carere

rere originali peccato, quàm eſſe Matrem Dei, quia ſi præcisè hæc conſiderentur, magis deteſtanda culpa quàm carentia cujuscunque boni. CONFIRMA tertiò. Quia piè credendum eſt, Filij Dei adverſus amantiſsimam Parentem, effuſiſsimam charitatem, voluiſſe præ cæteris hoc modo honorare illam, juxta illud Aſſueri Regis ad Heſter. 15. Non pro te ſed pro omnibus hæc lex eſt conſtituta: aut juxta illud Vlpiani. Princeps legibus ſolutus eſt; Auguſta autem licet legibus ſoluta non eſt, Principes tamen eadem illi privilegia tribuunt, quæ ipſi habent, L. princeps. §. de legibus. Diſce ex huc uſque dictis Anima Chriſtiana, credere immaculatam Virginis Conceptionem. Diſce pro tam intemerata Matre ubique zelare, exemplo Ioannis Berchmans, qui voverat, ſi quos aliquando libros editurus eſſet, primum ingenij ſui partum fore de immaculata Mariæ Virginis conceptione. Sequere præeuntem eundem Angelicum Iuvenem, qui in hæc verba coram auguſtiſsima Euchariſtia Matri Virgini ſeſe obligat. Ego Ioannes Berchmannus indigniſsimus Societatis Ieſu Filius, Tibi, Filioque tuo, quem hic præſentem in Euchariſtia veneror, polliceor, me perpetuum fore aſſertorem, vindicemque immaculatæ

Conceptionis tuæ. O formulam dignam quam ſpectante totâ Curiâ cœleſti excipiat illa, de qua ſola inter omnes mortales prædicari poteſt.

Concepta eſt ſine peccato originali.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

Annon albo ſignanda lapillo Sabbati dies? eo quippe die conceptam, ſuſpicantur nonnulli, Matrem intemeratam, omniſque genialis labis expertem Mariam. Venite igitur omnes, & monente Eccleſia, cum jucunditate Conceptionem B. Mariæ celebremus, ut ipſa pro nobis intercedat ad Dominum Ieſum Chriſtum. Aſſerit S. Auguſt. Ep. 118. apud veteres Chriſtianos, alicubi, ſingulis Sabbatis, in uſu fuiſſe Communionem. Et nos vel Sabbatis in Matris intemeratæ honorem, ejuſque immaculatam Conceptionem, idipſum agere detrectabimus?

CAPVT

CAPUT DECIMUM.

MATER AMABILIS.

O Domina quæ rapis corda hominum dulcore, nonne cor meum Domina rapuisti? ubi quæso posuisti illud, ut ipsum valeam invenire? ô raptrix cordium, quando mihi restitues Cor meum?
S. Bernard: super. Salve Regina.

STIMULUS PRIMUS.



Onsidera. I. Quàm amabilis, quàm pulchræ dilectionis sit Maria, siquidem adeò illam dilexit ipsemet Deus, ut dicat Ansel. Lib. de excell. Virg. Cap. 4. Ostendit amorem erga Matrem, quo nullum putemus esse majorem: idem infra. Quid ergo, inquit, hic dicemus? estne putatis ulla mens hominis, quæ modum hujus dilectionis, quam Deus ad hanc Virginem habuit, queat penetrare? idem iterum infra. Poteſtne quæso ul-

lus hominum, aut Angelorum, iſtius amoris immenſitatem penetrare? unde meritò Aug. prout refert Bonav. in Speculo Mariæ C. 6: ad hanc Matrem amabilem ſic loquitur. *Te ipſe Rex Regum, ut Matrem veram & decoram ſponſam præ omnibus diligens, amoris amplexu ſibi aſſociat.* Suarez etiam tom. 2. in 3. part. diſp. 18. Sect. 4: aſſerit, illam plus diligi à Deo, quam reliquos Sanctos omnes. O immenſitatem Divini amoris erga Virginem! quam immenſitatem, teſte S. Anſel: nullus hominum vel Angelorum penetrare poteſt. O amorem non ſpeculativum duntaxat, ſed practicum ſimul! Practicum, quando Maria in Dei Matrem electa. Practicum, quando tot gratijs exornata. Practicum, quando teſte Bernardino. Sermone. 15. de Feſtivitatibus Virginis. C. 3. Chriſtus potius venit pro ſola Virgine redimenda, quàm pro cæteris hominibus omnibus. Practicum, quando ſupra omnes Cœlites exaltata. Practicum, quando Regum, Cæſarumque, imò omnium cultui & amori expoſita. O homo lætare, de tam ſublimi Dei in Mariam amore, & ſequere Carolum, Sanctæ Brigittæ filium dicentem. *In tantum ego gaudeo quod* DEUS *Virginem* MARIAM MATREM

ſuam habet ſuper omnia chariſsimam, quòd nulla Creatura, vel corporalis delectatio eſt in mundo, quam ego in permutationem illius gaudij reciperem, imò illud gaudium omnibus terrenis delectationibus præferrem. O homo! tu non amabis hanc Matrem amabilem, quæ ſola magis amatur à Deo, quàm omnes homines & Angeli ſimul ſumpti? O homo! tu amore ſpeculativo contentus, practicum ſpernes, ad quem ſuo exemplo te invitat Deus, invitant Cœlites? S. Stephanus Rex Vngariæ, Matrem amabiliſsimam Mariam, ſuorum bonorum hæredem ex aſſe conſtituit, & ut plus reſtaret, parcius vivebat, teſte Baronio ad annum. 1043. O amorem practicum! Pientiſsimus ille ex ſacro purpuratorum Patrum Collegio, Bellarminus, medium Cor Chriſto, alterum dimidium legavit Mariæ. O iterum amorem practicum! Sophronius inter opera Hieronymi. Serm. de Aſſumpt. ſuadet. Amate Mariam quam colitis, colite quam amatis, quia tunc verè colitis & amatis ſi imitari velitis. O conſilium amoroſa praxi pleniſsimum! Diſce ô Chriſtiane practicè amare Mariam. Diſce diligere eam, quam P. Didacus Martinez cupiebat ſolus tantum amare, laudare, venerari, quantum Sancti ſimul

uni-

universi; idemq; optabat membratim & frustatim concidi in honorem Mariæ. Disce ab Alphonso Rodriquez, qui quadam die, in has voces ausus est prorumpere: O Domina. ego te impensius longè quàm me ipsum amo; te amplius diligo Mater mea, quàm tu me diligas. Verùm amabilissima Mater, nequaquam se superari passa est, nam cum se illi visendam præbuisset, non ita est. ait. ut sentis mi Alphonse, sed ego te impensius amo, quàm tu me diligas. O certamen amoris, in quo vinci & vincere sit æquè optabile & gloriosum! Disce denique, & memoriter edisce eruditas illas lectiones Ioañis Berchmans, quas tibi & mihi, & omnibus sic dictat. Nunquam. inquit. quiescam, donec obtinuero amorem tenerum erga dulcissimam meam Matrem Mariam. & iterum; rogatus si mille corda haberet, nonne Mariam mille cordibus amaret: respondit, mille cordibus amarem: & iterum, si amavero. inquit. Mariam, securus sum salutis, impetrabo quicquid libuerit à Domino, adeoque omnipotens ero. Tandem. quam. inquit. conatus sum amare in vita, & ipsa amabit me in morte, & alter alterum amabimus in æternum. O lectiones omnibus Theologicis eminentiores! ô amores reciprocos! juxta illud Cant. 2, Dilectus meus mihi, & ego illi. STI-

STIMVLVS SECVNDVS.

Considera. 2. Quàm amabilis Maria ob ingentem decorem, atque ſtupendam ſuam pulchritudinem, quâ unicâ adeò rapiuntur mortalium corda & oculi. O Domina. ait Anſelmus, pulchra es ad intuendum, amabilis ad contemplandum. Nazianzenus in Tragœdia. Chriſtus patiens: vocat eam inter pulcherrimas primam. S. Ioan. Damaſcenus. Orat. 1: de Aſſumpt: appellat eam: ornamentum generis humani, & univerſæ creaturæ decus. De ea quidam apud Euſeb. Nieremb. lib. de affectu erga B. Virginem, â Martino Sibenio in latinum verſo. Cap. 17. in margine. ait. Si omnes arenæ maris, omnia terræ gramina, omnes atomi ſolares, omnes ſtellæ cœli mutarentur in totidem ſoles, hi ſimul tamen juncti, non æquarent claritatem Mariæ. Verùm ne multum diſputes, de qua pulchritudine hæc dicta, lege Albertum cognomento Magnum, qui naturalem Virginis pulchritudinem tantam fuiſſe autumat, quanta nunquam Reginæ Eſther, Iudit, Racheli, & Rebeccæ pulcherrimis Matronis eſt tributa. Vt enim Chriſtus ſpecioſus fuit forma præ filijs hominum. Pſal. 44: ita amabi-

lis hæc Mater mulieres omnes forma ſuperavit. O pulchritudinem! ó venuſtatem! cedant ergo venuſtiſsimæ huic Virgini, illuſtres illæ & adeò à pulchritudine laudatæ Heroinę. Geneſ. 12. Sara pulchra nimis. Gen. 24. Rebecca decora nimis. Gen. 29. Rachel venuſto aſpectu nimis. Regina Eſther, de qua. C. 2. legitur: erat formoſa valde, & incredibili pulchritudine omniū oculis gratioſa & amabilis videbatur. Cedant deníq; Nymphæ illæ formoſiſsimæ, de quib' apud Iob. C. 42. ſcribitur. Non ſunt inventæ mulieres ſpecioſæ ſicut filiæ Iob in univerſa terra. Sed audi ipſum Albertum Magnū, qui de corporali Virginis pulchritudine loquens ait. Quemadmodum inquit, Corpus Chriſti eſt perfectiſsimum atque pulcherrimum in natura quod fieri potuit, ſecundum ſtatum viæ, ſic corpus Virginis fuit pulcherrimum ſecundùm ſtatum viæ quod natura per ſe operans facere poteſt: ita ille in Lib. de B. V. apud Dionyſ: Carthuſ. Lib: 1. de Laud. Virg: art. 34. Pergit ibidem Albertus. Ideo dicimus. inquit. quod ſicut Chriſtus fuit ſpecioſus forma præ filijs hominum, ſic Virgo pulcherrima fuit inter filias hominum, & quod ipſa habuit ſummum & perfectiſsimum in pulchritudine, quod potuit eſſe in mortali

cor-

corpore fœmineo ſecundum ſtatum viæ, operante natura. ita ille. Audi Raimundum Lullum Eremitam- in Lib. de Laud: B. V. Ca. 15. ſic ait. In ipſa B. Virgine eſt pulchritudo corporalis in tanta magnitudine quæ reſpondet pulchritudini filij ſui, quæ eſt pulchritudo major omni pulchritudine creata. Audi deníque illud, quod Sermone. 86: his ſimpliciſsimis aliàs verbis narrat Meffret. Quidam Eremita. ait ipſe. faciem Virginis cùm adhuc viveret, deſiderans videre, audivit vocem Domini dicentem, ibis in Hieruſalem, & ibi faciem Matris meæ videbis, ut diu deſiderâſti. Surgens ille, multo tempore laboravit, tandem illuc pervenit, & hoſpitium Virginis ſollicitè quærens, ad montem Sion ſub quo habitabat, ductus, venit ad manſionem ejus, quam clauſam reperiens pulſavit: & ecce juvenis devotus, oſtium aperiens, & advenam cernens, ſui adventûs cauſam inquirit, ille autem ei intimavit, quæ fuerant à Deo ſibi promiſſa: cui juvenis, (fuit ipſemet Ioannes qui hoc ſcribit.) faciem. inquit. ejus videbis, ſi tibi oſtendere voluerit, expectabis ad nonam, & regredientem aboratione ſi ei placuerit eam videbis. Iuxta tempus nonæ cùm regrederetur Virgo, ait Ioannes, Domina filius tuus

direxit ad te quendam ſenem, repromittens ei quod debeat faciem tuam videre; at illa ſubſiſtens, dimiſſo pallio quod ſuper caput gerebat, converſa ad ſenem ait. Vide nunc faciem famulæ Dei, quam cùm intuitus fuiſſet, præ nimia claritate ſtare non potuit, ſed cadens in terram, dixit. Eja Mater miſericordiæ, ſi nunc facies tua adeò eſt gratioſa, qualis erit in patria. Hæc ipſe. O prodigioſam Matris verè amabilis pulchritudinem! ó venuſtatem omni humanæ venuſtati anteponendam! hinc cuidam Vngariæ Regis Fratri nuptias cogitanti, & in officio Mariano decantanti verba illa: pulchra es & decora lia Hieruſalem; apparens Maria dixit; ſi ego ſum pulchra & decora, quid eſt quod dimittis me, & Sponſam aliam quæris? numquid ego non ſum pulchrior illa? ubi vidiſti tam pulchram? ſi Sponſam cui adhærere vis, amore mei dimiſeris, me Sponſam in cœleſti Regno habebis. Heus Sodalis Mariane! ſequere monitum cœleſtis hujus Sponſæ; dic illud Sap. 8. Hanc amavi, & exquiſivi eam mihi Sponſam ſumere, & amator factus ſum formæ illius. Contemplare die noctúque decoram hanc faciem; certè Beato Amedeo ab Archangelo Gabriele revelatum legitur, Mariam in Cœlis, non ad la-

tus

tus dumtaxat Filij eſſe, ſed illi ex adverſo oppoſitam, quò vultum ipſius perpetuò inſpiciat, & ſi quando Chriſtus, ejusque ſanctiſsima Mater, loco ſe moveant, id ſemper ita facere, ne caput alter ab altero avertant, verum ut indeſinenter invicem ſe reſpiciant, ac contemplentur. O aſpectus amoroſos! ſed licitos, ſed ſanctos.

STIMVLVS TERTIVS.

Conſidera. 3. Quidni Mater Amabilis vocetur à nobis Maria, quæ omnium noſtrûm, filiali affectu ſeſe colentium, verè eſt amabiliſsima Mater; & quidem ita ſuorum amans, ut nulla ſit tam vehemens filiorum amatrix parens, quæ ad amorem Mariæ pertingat, quo illa deſpectiſsimum quemlibet hominem amplectitur: hinc meritò B. Staniſlaus KOSTKA illam in communi ſermone appellabat Matrem ſuam; & cum ab Emmanuele Sa, celebri Theologo Soc. Ieſu, interrogatus fuiſſet, an diligeret B. Virginem, humili geſtu, ſimul & ore blandiſsimo reſpondit, quid Pater mi quæris? Mater mea eſt. Sophronius inter opera Hieronymi. Serm. de Aſſump. Matrem gentium eam vocat.

Omnium parentem, Ephrem Serm. de laud. S. Bonaventura Cap. 8. Matrem omnium fidelium universalem; quod gratiosè confirmant verba amabilis hujus Matris, quæ ipsa olim S. Brigittæ vigilanti in oratione dixit Lib. 4. Revel. Cap. 138. Ego sum Mater Dei. Ego sum Mater omnium qui sunt in superiori gaudio, sum etiam Mater omnium qui sunt in purgatorio. Ego sum Mater totius justitiæ quæ est in mundo, & sicut materna manus semper parata est ad opponendum se periculis in cordis Filij sui defensionem, si aliquis niteretur in sui læsionem, ita ego sum parata jugiter justos qui sunt in mundo defendere, & de omni spirituali periculo liberare. Ego etiam quasi sum Mater omnium peccatorum se volentium emendare. O verba amoris plena! ô Mariam amabilissimam Matrem! sed audi illam iterum apud S. Gertrudem. Li. 4. Insinuationum. Div. C. 4. Cùm B. Gertrudis in Missa de Christo audiret cani illud: Primogenitus Virginis Matris, cogitabat dici congruentiùs, Vnigenitus Virginis Matris, quia nullum alium genuit, & ecce adfuit ei Maria blanda serenitate respondens. Nequaquam unigenitus, sed congruentissimè primogenitus dulcissimus meus Iesvs, quem primum procrea-

procreavi, & post ipsum, imò per ipsum, omnes ipsi in Fratres, mihi in Filios maternæ charitatis visceribus adoptando generavi. O Filios felicissimos! ô Matrem amabilissimam!

Incipe parve puer risu cognoscere Matrem. Incipe ab hac Matre nutriri, nam S. Bonav. in Ser: super illa verba. Astitit Regina. Sic ait. Maria quidem in Iesu parvulo, parvulos alios alere, & nutrire didicit. Incipe ruere in amplexus, & suavissima basia, forte tibi quoque continget quod B. Abundo Monacho (ex Chronic. M. 5.) qui adeò fuit familiaris Mariæ, ut manum ejus osculari mereretur, à qua etiam oris osculum accepit. Incipe deníque in ea erumpere vota, in quæ P. Didacus Martinus Soc. Iesu, qui adeò sibi hanc Matrem conciliavit, ut in præcipuis ejusdem Festivitatibus à terra attolleretur, ad audiendum quomodo illas Angeli peragerent & celebrarent, à quibus edoctus in id genus vota erumpebat. Vtinam ego unus vitas possideam hominum omnium, ut easdem obsequio Dei Matris impendam. Vtinam habeam voluntates, affectusque omnes Sanctorum & Sanctarum omnium qui in Cœlis sunt, amemque Sanctissimam Virginem perfectissimo eorundem, ardentissimo & infatigabili amore!

STI-

STIMVLVS QVARTVS.

Considera. 4. Annon amabilis Maria ob ingentia in nos beneficia, quæ tanta esse deprehenduntur, ut sint Patres qui non dubitent asserere, universum mundum, nisi per ipsam stetisset, pridem periturum fuisse, ejus unius meritis patrocinioque adhuc consistentem. Quare meritò pronunciat Anselmus: beneficijs ejus plenum esse mundum. D. Bonav. in Spec. Cap. 3. ait. Omnia flumina intrant in mare, dum omnia charismata intrant in Mariam. Flumen enim gratiæ Angelorum intrat in Mariam, flumen gratiæ Patriarcharum & Prophetarum intrat in Mariam, flumen gratiæ Apostolorum intrat in Mariam, flumen gratiæ Martyrum, Confessorum & Virginum, & Doctorum intrat in Mariam, omnia flumina intrant in Mariam. Sed quid mirum, si omnis gratia in Mariam confluxit, per quam tanta graria ad omnes defluxit. Salazar Cap. 8. in Proverb: in versu 18. ait. Propterea Deus ex omnibus omnium bonorum & gratiarum generibus, Mariæ impertivit, quia scilicet Maria ex omnibus hisce bonorum & gratiarum generibus, plurima bona, & gratias, alijs impetratione sua

ne ſua erogatura eſſet; ne ſi quam gratiarum non haberet, illam alijs impendere non poſſe quisquam putaret. Sed audi iterum eundem Salazar, qui c. 8. in proverb. exponens verſum: Mecum ſunt divitiæ & gloria, opes ſuperbæ & juſtitia: inquit. Accipe quæ novus, ſed locuples Auctor, de hac Virginis, (intelligit B. V.) in temporalibus bonis erogandis aut expendendis poteſtate, contemplatus eſt. Solent quidem Viri generoſi, & uxorum amantes, eisdem plurimum fidentes, pecuniæ claves, & tutelam illis committere, & quidquid domeſticarum expenſarum eſt, illis tradere, ipſi verò aliquibus gravioribus muneribus vacant. Ergo ad eundem modum, Deus Optimus Maximus, Sponſæ ſuæ ſanctiſsimæ Mariæ, tantundem tribuit ac fidit, ut ipſi temporalium bonorum tutelam & claves dederit, adeò ut quidquid horum bonorum in hac magna mundi domo expenditur, id per Mariæ manus recenſitum tranſeat, & illius arbitrio diſtribuatur, ita ut jure dicere poſsit: mecum ſunt divitiæ & gloria, opes ſuperbæ & juſtitia, id eſt in mea poteſtate. Hæc ibi. O poteſtatem Mariæ! ô divitias! ô beneficia! Tu vel unicum recole, ſed illuſtre, ſed ingens illud, quod defuncto jam Everardo Mercuriano, Soc: Ieſu Ge-

su Generali, accidisse commemorat Ioannes Bourghesius, in Libello cui Titulus Societas Iesu Mariæ sacra, qui sic loquitur. P. Claudium Matthæum, Provinciæ Franciæ Provincialem, magnâ sanctitate virum, ferunt ea quæ præcedit electionem orationis hora, intentius precantem, hoc cœlitùs immissum habuisse visum, quo Sanctissima Virgo Dei Mater una cum S. Bernardo, Abbate Clarevallensi ad P. Claudium Aquavivam de cœlo delaberetur, tum veluti medium ab ijs assumptum; ad cœlestem Christi Domini Salvatoris Thronum fuisse deductum, illíque cum prece & gratia oblatum, commendatione dignum, qui suæ Societatis clavum teneret, summamque ejus loco ac nomine gereret præfecturam; quibus benignissimo vultu Salvator annuerit, Patríque Aquavivæ suam sit elargitus benedictionem. Coluit certè B. Virginem & S. Bernardum præcipuo cultu. Id temporis Parisijs Pater Thomas Albiger, natione Scotus è populari suo P. Iacobo Tyrio. S. Theologiæ tum professore quæsivit, num nosset inter Patres, qui in Vrbe Generali intererant Conventui quendam nomine Claudium; respondit P. Tyrius, se nosse, sed quorsum id quæreret? ille candidè quid sibi elapsa proximè nocte
eve-

evenisset aperuit; surrexeram de nocte, Deum oraturus pro felici Patris nostri Generalis electione, tum mihi apparere dignata est clementissima Mater, & Spiritu me in Patrum Conclave deduxit, ac cæteros inter, juniorem quendam Patrem, Claudium nomine manu prehensum produxit in medium, tum Patribus aggregatis indicare videbatur, hunc vobis eligite in Præpositum Generalem, cui promptissimis animis Patres omnes annuerunt. O rem miram! ô beneficentiam Mariæ! cura illi est de omnibus, ut ait Idiota de contempl. Virg. Per Mariam inquit. Bernardus.Sermone. in Salve, speramus nos posse consequi quidquid totius bonitatis Auctor dignatus fuerit gratiæ nobis impertiri. Qui autem, ait Anselmus de excell. Virg. Cap. 4: in dilectionis erga Mariam suauitatem transit, non diffidendum quin in retributionis ejus participium transiturus sit. Age igitur Anima Christiana, age, & vel spe proemij ama hanc amabilem Matrem. Ad tumbam S. Brynolphi, cujus memoria redit. 6. Februarij: precantem D. Brigittam, suavissimi odores afflarunt, miranti supervenit cum Brynolpho Filioque maximo magna Mater, & hic (simul digito, oculisque Brynolphum loquebatur) hic est

dixit, qui me dum vixit, vitâ chariorem habuit. O elogium invidendum! ô charitatem æmulandam! quis nos ſeparabit à charitate Mariæ? Nitebantur quidem olim aliqui, à ſodalitio Matris hujus amabilis, retrahere Sodalium unum, ſed cum nil proficerent, ei tandem denuntiarunt, niſi ab ea Sodalitate ſe abduceret, non ei opẽ laturos, ſiquid ipſi ab adverſa fortuna mali obtingeret, at reſpondit ille: tanto ergo impenſiori ſtudio partes Marianas mihi ſequendas video, ut ſi vos me deſeratis, à Patrona mea, quæ neminem deſerit, præſidium paratum habeam. Gaſ. Lechner in Sodal. Parth. Lib. 2. Cap. 5. N. 7.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

UBi amor regnat, ibi exulet neceſſe eſt Majeſtas. Cerne id in Sebaſtiano Luſitaniæ Rege, hic Mariæ impensè addictus, cujus imaginem ſemper pectori applicitam geſtabat, ſingulis Sabbati diebus in ejus honorem duobus Miſſæ Sacrificijs piè intererat, eorumque alteri ipſe miniſtrabat, uti Antonius Vaſconcellus. Ann. 1578. refert.

Proh

Proh pudor! Angelicum hoc Officium ſubterfu-gient impoſterum ſervi, quod ambiunt Reges?

CAPUT VNDECIMVM.

MATER ADMIRABILIS.

Omnia in Virgine ſunt admirabilia, & naturæ vires excedentia, in qua Deus ſuam exercuit potentiam.

Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus. Orat. de Zona Virg.



Onſidera. I. B. Virginem Matrem eſſe admirabilem, colligi vel ex ipſis Patrum, Virorumque doctiſsimorum elogijs ac laudibus quas ei deferunt; nam à S. Epiphanio vocatur, miraculum ſtupendum in Cœlis & in terra: à S. Ephrem, miraculum præſtantiſsimum univerſi Orbis terrarum: à S. Bernardo, negotium ſæculorum: à S. Ioanne Damaſceno, miraculorum officina: à S. Chryſoſtomo, magnum ſemper miraculum:

 à S. Igna-

à S. Ignatio Martyre, cœleste prodigium: à S. Bernardino Senense, miraculum miraculorum: ab Andrea Cretensi, divinæ incomprehensibilitatis summa: ab Hesychio Episcopo Hierosolymitano. hom. 2. de S. Maria, universum Trinitatis complementum; vix non à Dionysio Areopagita, Dea fuit vocata & pro tali habita. Hic enim ut refert Carthusianus in 1. Sent. dist. 16. q. 2: dum in terram sanctam venisset, & Ioannem Apostolum accessisset, rogassetque se ad præsentiam S. Virginis introducere dignaretur: quo facto, in tanto splendore, sublimitate, ac gloria, ostensa fuit Dionysio Maria, ut ipse præ stupore in terram ruens defecerit, & ad se reversus dixerit: nisi ex ratione, fideque cognoscerem invisibilem Deum, non aliam putarem Deitatem, quàm Virginem hanc sublimem. Verùm quid juvat hæc audire, nisi ad hæc elogia Patrum, & tu tua addas. Beatus Stanislaus Kostka cum alijs pium certamen inijt, quis magnifica magis, quis magis tenera Virgini laudandæ epitheta, & titulos reperiret: at fortè occines, & objicies illud, quod cecinit olim celebris ille Doctor Petrus Comestor.

Si fieri posset, quòd arenæ, pulvis, & undæ,
Vndarum guttæ, rosa, gemmæ, lilia, flammæ,

Aether, Cœlicolæ, nix, grando, sexus uterque,
Ventorum pennæ, volucrum & pecudum genus omne,
Silvarum rami, frondes, avium quoque pennæ,
Gramina, ros, stellæ, pisces, angues, & aristæ.
Et lapides, montes, convalles, terra, dracones,
Linguæ cuncta forent, minimè depromere possent
Quæ sis, vel quanta, ô Virgo Regina Maria.

ita ipse.

Ah timide & pusillanimis homuncio, frigida nimium isthæc excusatio, unico etiam epitheto honoratur illa, unico etiam titulo oblectatur; scire cupis quo maxime? audi. Ipsamet olim indicavit P. Iacobo Rem è Soc: Iesu, inter encomia quibus in Litanijs Lauretanis ab Ecclesia afficitur, nullum allubere sibi prę isto, MATER ADMIRABILIS, nam dum eæ canerentur, ille cupidus intelligere, quod ei magis placeret; ad illud. MATER ADMIRABILIS: repentè Deipara ipsi apparuit, sat significans, hoc sibi præ reliquis arridere; tum ille ex angulo prorumpens in medium, & stupentibus sodalibus exclamat, ingeminent tertio voces illas. MATER ADMIRABILIS: Cognovisse se, quam sit Virgini Matri gratum carmen illud. Et hoc tu sæpius in die nõ offeres Mariæ? patrocinia ab illa expectas, & tamen eam tibi devincire negligis, quæ adeò tibi

tibi patrocinari poteſt, juxta illud Germani. Orat. de Zona. Omnia tua, inquit ille, admirabilia ſunt ô Deipara, omnia ingentia, propterea & patrocinium tuum majus eſt quam intelligentia apprehendi poſſit.

Stimulus Secundus.

Conſidera 2. Mariam eſſe Matrem admirabilem, propter admiranda illa, quæ Deus in ea operari dignatus eſt, ut quod ab æterno illam ſuam in Matrem elegerit: à peccato originali præſervârit; cum Maternitate Virginitatem ejus conſervârit; quod in ipſo conceptionis momento eam uſu rationis donârit; in gratia confirmârit; fomitem peccati exſtinxerit; naturaliter ad omnem virtutem propenſam effecerit; quod ad divinæ eſſentiæ claram viſionem, non ſemel, juxta probabilem Theologorum ſententiam, in hac mortalitate adhuc degentem ſublimârit; loquelæ uſum ei accelerârit; dono linguarum ornârit; ſpecie externa poſt Chriſtum formoſiſsimam fecerit; quod nullum gratiæ donum alicui puræ creaturæ cõmunicârit, quod ſimili vel pefectiori modo, niſi ſexui repugnet, non conceſſerit Matri huic admirabili; quod gratiam ingentem, velut

velut ex opere operato, aut liberaliter, nullo ad merita ejus respectu donârit, uti in participatione Sacramentorũ, Sancti Spiritus adventu, pasione &c. de sola gratia in Filij incarnatione, leges apud Eusebium. Nieremb. lib. de affectu erga B. V: præter gratiam respondentem actui obedientiæ, humilitatis, ac charitatis, tunc aliquomodo etiam sacramentaliter, non attendendo ad ipsius merita, sed opus quod in ea operatus est Sanctus Spiritus, incarnationis videlicet, & hypostaticæ unionis, uberiorem gratiam acquisivisse Mariam, quam homines ad unum omnes, usu & participatione. 7. Sacramentorum, & quotquot umquam in Dei causâ, durissima & acerbissima quæque perpessi sunt Martyres: adeò ut gratia quæ soli data est Mariæ, seposita cogitatione de ingentibus ipsius meritis, copiosior fuerit, quam quæcumque suo modo data est creaturis cæteris, sive Cælo illæ sunt adscriptæ, sive æternis ignibus cruciantur: hæc ibi. Item quod sola inter mulieres baptizata fuerit à Christo mundi Salvatore; de sua prædestinatione certa facta; præsentis & futuræ suæ felicitatis conscia; tandem super omnes Angelos in Cœlum ab obvio Christo assumpta, ubi gloriâ omnes Sanctos simul sumptos illa

una ſuperat. O Mariam verè Matrem admirabilem! ut meritò Damaſcenus. Orat. 1. de Nativ. B. Mariæ eam appellet miraculum omnium miraculorum maximè novum, imò & miraculorum abyſſum. Eccur ergò ferventius non inſervis huic tam admirabili Matri? non ob mercedem velut mercenarij, ſed purè quia ipſius admirabilis dignitas & excellentia ſuper reliquas creaturas id exigit. Audi & imitare Magdalenam Duciſſam Bavariæ, hæc ut refertur in concione funebri & rugitu Leonis. Añō 1628. dicere ſolebat. Et ſi Cœlum non eſſet, conveniens tamen eſſet, ut Deo, & Mariæ, millies magis & ferventius ſervirem.

STIMVLVS TERTIVS.

Conſidera. 3. Añon Mater admirabilis Maria, propter admiranda opera quæ ipſa patravit. Statim in ipſo Conceptionis momento perfectè tunc & deinceps Deum amavit: utero Matris adhuc clauſa jam Deum contemplabatur etiam dormiens: prima inter mortales votum virginitatis vovit, & quidem antequam nata; prima Deum hominem natum vidit & adoravit: quolibet ſingulari

lari

lari opere gratiam priorem duplicavit : quidquid ageret gratiæ quam poſsidebat, ac Sancti Spiritus motioni congruenter operabatur, idque ita indeſinenter, ut nec ſomnus illius, meriti expers eſſet: minimâ actionum ſuarum amplius meruit, quam per totum vitæ decurſum, maximus Sanctorum: quæ pulcherrima erat, tamen ſuo aſpectu in alijs caſtitatis amorem ingeneravit; concupiſcentiæ motus exſtinxit; ſua præſentia pietatis & devotionis ſenſum cæteris afflavit: denique refert S. Ignatius Martyr, qui tempore B. V. vixit: ex multis mundi partibus homines confluxiſſe, ad ſpectandam B. Virginem, tanquam cœleſte prodigium, quibus tam admiranda videbatur, ut incredibili gaudio afficerentur, quotquot eam conſpexiſſent, vel allocuti eſſent. Audi Ignatium Epiſt. 1. ad Ioannem Euangeliſtam, ubi hæc ſcribit. Sicut nobis à fide dignis narratur, in Maria Matre Ieſu, humanæ naturæ natura ſanctitatis Angelicæ copulatur, & hæc talia excitaverunt viſcera noſtra, & cogunt valdè deſiderare aſpectum hujus, ſi fas eſt fari, cœleſtis prodigij & ſacratiſsimi ſpectaculi. O Sodalis Mariane, utinam tu quoque aliorum corda & oculos in te converteres! fama de venuſtate Mariæ, & majeſtate, olim pervagata, tanta fuit,

ta fuit, ut nonnulli in errorem lapſi, Deam aliquam Virginem eſſe putaverint, te ſaltem hominem, ſed pium, ſed ſanctum, pro Dei gloriâ putent omnes, ſectare Matris hujus admirabilis pietatem, ſectare devotionem, nam P. Caſpar Tauſch Lib. 1. de Matre doloroſa. Cap. 4. §. 2. ait. Non eſt dubium quin B. V. intra unum diem aliquot actuum Sanctorum milliones elicuerit. O ſimiles tu eliceres! O merita meritis accumulares! certè in ſermonibus diſcipuli, (ita ſe appellat modeſtię causâ erudit⁹ aliàs ſcriptor.) Leges revelationem cuidam religioſo factam de perfectione meritorum & gratiæ B. Virginis, quâ cæteros Sanctos tantoperè dicitur præſtare, ut ſi in unum acervum ſimul cogatur ipſorum gratia & gloria, illam tamen exſuperet unius Marię beatitudo, id quod à Sancto Gabriele didicit quoq; B. Amedeus. Proh quam admirabilis Maria! ſanè admirabilis in omnibus & per omnia, ut meritò exclamare poſsis, & dicere quod alibi jam dixit S. Epiphanius. O virgo ſanctiſsima quæ exercitus Angelorum in ſtuporem deduxiſti.

STIMVLVS QVARTVS.

Conſidera. 4. Infinita propemodum miracula

cula per Mariam patrata, annon meritò reddant illam Matrem admirabilem: adeò ut audeat dicere Andreas Cretenſis. Orat. 2. de Aſſump: omnium miraculorum quæ quomodocunque facta ſunt, aut fiant, effectricem eſſe Mariam; quid? annon vel hinc admirabilis? ſiquidem ad ſolas ſuas imagines, præter naturæ vim, planéque divinitùs, tam multa facta ſunt, & fiunt, ut plurimas tales imagines numerare, imò vix numerare poſsis; Adde, primi illius celeberrimi miraculi, quod Chriſtus in vitâ ſuâ patravit, quando nimirum in nuptijs in Cana Galileæ aquam in vinum mutavit, cauſam fuiſſe hanc ipſam Mariam, cujus interceſsione patratum eſt; quare pulchrè S. Bernardinus Senenſis. tom. 3. Serm. 9. Si hoc. inquit, non rogata perficit, quid rogata perficiet? ſi hoc viatrix exiſtens, quid cum regnat in patria? Si hoc apud filium temporali morti ſubjectum, quid cùm mortem ſuperavit? Verùm quamvis Maria ſit abyſſus miraculorum, ut eam vocat Damaſcenus Orat. 1. de Nat. B. V. tamen eheu! quâm pauca aut nulla hucuſque tecum patravit! tot alij Mariana miracula in ſe experti, deprædicant, tot ejus apparitionibus gloriantur, tot ſanitate ab illa donantur, tot doctrinam prodigioſè re-

 cipiunt,

cipiunt, tot ex manifestis periculis eripiuntur, tot his & illis gratijs ac beneficijs afficiuntur, & tu vix ullis. Causas inquire, cur ad te similibus gratijs plena non descendat hæc admirabilis Mater: vide ne tu ipse obstacula ponas. S. Bonitus. Epis: (memoria ejus 15. Ian:) dum nocte intempesta, in templo precibus vacat, adspectabilem habet Mariam, cum Cœli Aula, hujus imperio rem divinam facit, (homini Cœlitibus inservientibus) in laboris præmium vestem adfert mirè candidam; simile sperare postea ausus è successoribus unus, eodem se contulit, verùm quia merita hominis abludebant, dissimili modo acceptus, & arcana vi in domum suam est reportatus. Sur. Cave ne quid simile contingat, quando gratias alijs concessas, tibi quoque concedi postulas. Cave ne demeritis tuis portam præcludas, qua Mater hæc admirabilis, admirabilia in te operatura adveniret: certè Abbati Cyriaco, ut refert Eviratus, dormienti se monstravit Maria, cùm verò ille orasset, ingrederetur, restitit ipsa, & ita loquuta est. Habes inimicum meum, & invitas ingressum? quo dicto indignans recessit: evigilans autem Cyriacus invenit duos libros Nestorij hæretici, sicq; agnovit hunc esse Dominæ nostræ inimicum.

MEMEN-

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

Apage hinc quisquis illuſtrioribus gloriaris titulis, illuſtriſsimum lege; MATER ADMIRABILIS. O titulum glorioſiſsimum! O titulum quem tot miracula Sabbatina publicant mundo univerſo! nam Sabbato multoties legitur, B. V. miracula patraſſe, ac beneficia peccatoribus præſtitiſſe, & hanc rationem affert Pelbartus lib. 12. Stellarij par. 1. n. 2. Cap. 4. ex Anſelmo, & hiſtorijs, cur Sabbatus dies, ſit Virgini ſacer: tu cor tuum illi conſecra, in quo miracula patret MATER ADMIRABILIS MARIA.

CAPUT DVODECIMVM.

MATER CREATORIS.

Verè rerum omnium conditarum Domina effecta eſt, cum Creatoris Mater extitit.
Damaſc; Lib. 4. de Fide, Cap. 15.

STIMV-

STIMVLVS PRIMVS.



COnſidera. I. Quibus encomijs, quibus concentibus, quibus melodijs & adſalutationibus, non ſit excipienda rerum omnium Creatoris Mater Maria: quæ ſola cum omni veritate de ſe dicere poteſt illud Eccleſ. 24: qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. Hinc Ephrẽ. Serm. de Laud. Virg: eam adſalutans ait, Ave throne Creatoris mei glorioſiſsime. Andreas Cretenſis de dormit. & Orat. de Annunciatione: Salve inquit urna aurea, quę eum fers qui dulce manna reddit. Epiphanius ſermone de Laud. Virg. eam vocat menſam, quæ panem vitæ nobis ſuppeditavit. Georgius Nicom. ſermone de oblat: civitatem Dei animatam. Ambroſius de inſtit: Virg. Cap. 7. Dei aulam. Ex Andrea Cretenſi. orat. de dormit: Virg: & Damaſceno orat. 1. de Nativ: eſt mons Sion, mons coagulatus, mons pinguis, mons ille. Pſal. 67: in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo. Rupertus Lib. 5. in Cantica, eam Cœlum Dei appellat. Pulchrè Heſichyus. homil. 2. de B. V. alloquens univerſi Creatorem ait. Si tu es gemma, meritò

meritò illa est arca, & quia Sol existis, necessariò Virgo vocabitur Cœlum. O Cœlum hoc sæpius inspiceres! ut dicere posſis cum Ignatio Loyola. Heu quàm sordet terra dum Cœlum aspicio! Sed age, & ad Proclum Episcopum Ciricenum accurre ocyùs, (vide. 1. Tom: Concilij Ephesini) qui Mariam vocat illam nubem, quæ super Cherubim sedentem, in corpore suo gestavit. Vellus mundisſimum, cœlesti pluviâ madens, ex qua pastor ovem induit. Pontem, per quem Deus ad hominem descendit. Admirandæ illius Oeconomiæ telam, ex qua & in qua ineffabili quodam modo admirabilis illius unionis tunica confecta, cujus textor extitit Spiritus Sanctus, netrix virtus ex alto obumbrans, lana vetusta villosaque Adami pellis, trama impolluta Virginis caro, radius textorius, immensa gestantis gratia, artifex Verbum per auditum illapsum: ita ille. O si tu hæc tam gloriosa encomia pensiculatius considerares, quàm aliter de Mariæ dignitate sentires, siquidem ex hac Maternitate, tanta in Mariam profluxit dignitas, & gratia, ut meritò putet Dionysius Richelius. Lib. 2. C. 8. de præconio & dignit. Virg: eo quod Maria veri omnipotentisque Dei Mater vera facta sit, tantam gratiæ plenitudinem contineri,

quantam ne ipſa quidem Virgo, niſi Dei contempletur eſſentiam perſpicere poſsit. O dignitatem maximam! ô Matrem inter omnes matres principem! Stupendum miraculum in cœlis, inquit Epiphan. Mulier amicta Sole. Stupendum miraculum in Cœlis, mulier geſtans lucem in ulnis. Vides, inquit Heſychius Pręsbyter Hieroſolymitanus, quanta & qualis eſt Deiparæ & Virginis dignitas, unigenitus Dei filius, mundi Conditor, velut infans ab ea geſtabatur. ita ille: Gratiosè Guerricus Abbas. Serm. 2. de Aſſump. Veni inquit electa mea, & ponam in te thronum meum. Communicaſti mihi quod homo ſim, communicabo tibi quod Deus ſum. Gaude Anima mea de hac ſummæ Matris prærogativa & excellentia, æmulare S. Carolum filium S. Brigittæ, qui magnam hauſit voluptatem quod Maria à Creatore mundi in Matrem eſſet electa, & proteſtatus eſt (ô proteſtationem dignam quam Angeli conſcribant, conſignentque æternitati!) ſi poſsibile eſſet illam uno momento à dignitate in qua modo eſt excidere, ego. inquiebat. ne id fieret, eligerem potius æternum cruciari inferno. O vota digna Carolo! digna Angelo! digna illo, cujus Cor, amat Mariam. Huc ſpectat illud Birgittæ ad Deiparam

param sibi apparentem. Sic amo te Maria, ut ma- lim me Birgittam numquã natam, imò damnatam, quàm ut Maria filia Ioachim, non fuerit Mater Dei.

STIMVLVS SECVNDVS.

Considera 2. Quas mutuas causalitates hîc non admirabitur & admittet Christianus Philosophus, si vel obiter perlegat ea quæ gravissimi Patres de hac Matre Creatoris posteritati tradiderunt. Lege Chrysologum Serm. 142. Virgo concipitur ex te Auctor tuus, tua ex te oritur origo, in tuo germine est genitor tuus. Lege eundem serm. 143. Verè benedicta portavit eum qui portat orbem, nutrivit omnium viventium nutritorem. Lege Gregorium Thaumaturgum. Oratione de Annunciatione. Sola. inquit. ferens eum, qui verbo portat omnia. Lege Methodium Oratione in Hypapantem. Tu cuncta continentis & comprehendentis comprehensio, tu illius gestatrix, qui verbo suo portat universa. Lege Ildephonsum in serm. de Nativ. B. V. Quanta ait fuit hæc dignatio, ut crearetur ex te, quam creavit, portaretur manibus quas formavit, sugeret tua ubera quæ ipse implevit. Idem

ſubjicit verba ex Auguſtino petita. 2. Serm. de Aſſump. Lacta ergo Mater cibum noſtrum, lacta panem cœleſtem, lacta cibum Angelorum, lacta eum qui talem fecit te, ut ipſe fieret ex te. Idem in ſer. 1. aliqua marte proprio immiſcens ait. Lacta Maria Creatorem tuum. Lacta panem Cœli. Lacta pretium mundi. Præbe lambenti mamillam, ut ipſe pro te præbeat percutienti maxillam. Tu illi ut Mater temporalem miniſtra ſubſtantiam. Lacta eum qui fecit te, qui talem fecit te, ut ipſe fieret ex te. Lege Damianum Serm. 3. de Nativ. Mariæ. Meritò B. Maria dicitur parens parentis, fons fontis vivi, origo principij, quia ille ex ea prodijt per materiam carnis, qui caput eſt, & initium omnium rerum per eſſentiam Deitatis. Obſtupeſce Anima mea ad hoc inauditum mutuæ cauſalitatis prodigium, & dic cum Eccleſia.

Qui te creavit provide
Lactaſti ſacro ubere.

Dic cum Bernardo Serm. in Apocal. 12. Quantam inveniſti gratiam apud Deum? in te manet, & tu in eo, veſtis eum, & veſtiris ab eo, veſtis eum ſubſtantia carnis, veſtit ille te gloriâ ſuæ majeſtatis, veſtis Solem nube, & Sole ipſa veſtiris. Dic cum Ildephonſo,

phonſo, qui Serm. 1. de Aſſumpt. ait. Qui cuncta paſcit, cœleſtia & terreſtria ſimul regit, hunc ſacratiſsima Virgo lacte carnis aluit & nutrivit; ad cujus nutum univerſi reguntur, ſub ejus diſciplina vel arbitrio infans Deus verſatur. Heus Anima Chriſtiana! cur hæc ſæpius non recogitas? cur hæc frequentius non ruminas? inquies cum Anſelmo. Lib. de Excel.B.Virg: qui ait. Supereminentem omni quod poſt hominem Deum creatum eſt, excellentiam B. Matris Dei, quomodocunque & ſaltem lippienti oculo cordis contemplari anhelans, horreo & valde timeo. Ah timorem excute, quin imò audacior facta, dic cum Methodio. Oratione in Hypapantem qui alloquens Mariam, ſic ait. Quæ debitorē illum habes, qui omnibus ſub fœnore mutuatur, Deo namque univerſi debemus, tibi verò ipſe debet. Dic cum S. Bernardino Senenſe: tom. 3. Serm. 11. art. 2. Cap. 2. O ſtupendum inquit miraculum, & inauditæ altitudinis faſtigium, ut à muliere Dei Filius quodam modo recognoſcere videatur, ſuum eſſe humanum. Ita ſanè id Deus recognoſcit à Maria, & tu tuum non recognoſces ab illa? proh quoties fortè jam mortuus, ſive temporali ſive æternâ morte fuiſſes, niſi Maria præſto ſuccurriſſet! Heu

si sapis, hanc continuò invoca, auxilium implora, & quo facilius impetres in tuam singularem Advocatam & Patronam elige, tibique sit stimulo quod sequitur. B. Borgias advertens nonnullos Tyrones, non delegisse sibi in Patronam Deiparam, illis malè metuens, monuit Magistrum Novitiorum, eorum saluti præcipuè invigilaret: & ecce illi ipsi defecerunt omnes. (in Imagine 1. Sæculi Soc: Iesu.) eheu! cur Mariam non eligis?

STIMVLVS TERTIVS.

Considera 3. Quantulus pusio, quam parvus, quam exiguus fuerit hic Creator Vniversi, quando, è suprema Regia, in uterum descendit Virginis. Si enim teste Aristotele, quem affert. S. Thomas. in 3. Sent. dist. 3. q. 5. art. 2. ad 3. mas qui quadragesimo die à conceptione, ex utero ejicitur, apparet cum membris jam inde discretis, magnitudine formicæ majusculæ: cogita proh Deum immortalem! quantulus ergo fuerit Creator mundi, in instanti suæ conceptionis, antequam per nutritionem pervenisset ad quãtitatem illam, quadraginta dierum spatio alijs fœtibus proportionatam.

Abu-

Abulenſis Cap. 25. Fuit. inquit. Corpus Dominicum ſub valdè parva quantitate formatum, cum fuit perfectè organizatum, ita quod nullum unquam corpus humanum fuit in aliqua Regione, quod tam parvæ quantitatis exiſteret, cum perfectè organizatum eſſet. ſic Abulenſis. Suarez verò aſſerit tom. 2. diſp. 11. Sect. 2. Corpus Chriſti formatum eſſe in minima quantitate, quæ tali corpori poterat eſſe naturalis, conſiderata ejus complexione & diſpoſitione. O ſtupendam rerum omnium Creatoris exinanitionem! O immenſam Mariæ humilitatem! Quia ergo inquit Bonav. in Pſalterio. Domina humillima fuiſti, Verbum increatum, ex te carnem ſumere coëgiſti. Ita eſt, humilitate enim potiſsimum ad Deum utero concipiendum ſe comparaſſe Virginem, colligunt SS. Patres, ex reſponſo illo ad Angelum. Ecce Ancilla Domini: quod mox Creatoris conceptio, & incarnatio eſt conſecuta. Chriſtiane hæc tu audies & non imitaberis? tu parvus eſſe non poteris ubi Vniverſi Creator parvulus efficitur? audi S. Brigittam, quæ Matrem hujus Creatoris alloquens. Lib. 3. Cap. 29. ait: Benedicta ſis, B. Virgo, in qua Deus magnus factus eſt puer parvus: antiquiſsimus Dominus, fa-

ctus

ctus est pusillus filius, sempiternus Deus & Creator invisibilis factus est visibilis Creatura. Proh si sapis oculos aperi, & humilitatem Matris & Creatoris imitare, ut tu quoque Creatoris Mater efficiaris: modum inquiris? audi Sanct. Gregorium. hom. 3. in Evangelia. Sciendum, inquit, nobis est, quia qui Christi Soror & Frater est credendo, efficitur Mater prædicando, quasi enim parit Dominum, qui eum cordi audientis infundit, & Mater ejus prædicando efficitur, si per ejus vocem amor Domini in proximi mente generatur. Audi Hieronymum Epist. 22. ad Eustochium dicentem. Potes & tu Mater esse Domini, nimirum spiritualiter. Audi deníque ipsum Orbis Creatorem, qui Matthæi, 12. ait. Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. Olim primis illis temporibus, è Divi Dominici religiosissima Familia alumni, Virginis Fratres appellabantur, quos postea Prædicatores Ecclesia nominavit. Et tu renues fieri vocaríq; mater Creatoris?

STIMVLVS QVARTVS.

Considera. 4. Qua veneratione digna dies

illa,

illa, in qua tam admirandum mysterium peractum, ut Creator fieret filius creaturæ, creatura fieret Mater Creatoris. Certè de illa die dici potest, quod Numer. 28. legimus. Dies prima venerabilis & sancta erit. Vnde Franciscus Mayro in serm. quodam de Virginis Annunciatione. Incarnationis in utero Virginis solemnitatem, si id quod in ea gestum spectemus, alijs solemnitatibus ad Christi humanitatem pertinentibus, dignitate præcellere affirmat, eamque cum plerisque confert; ait enim ipse. Incarnatio in utero Virginis peracta, transcendit primò solemnitatem Dominicæ Nativitatis, est magna solemnitas propter incarnationem hodiernam, quia si ista non præcesśisset, Deus homo natus non fuisset. 2. Transcendit solemnitatem Oblationis quando fuit præsentatus in templo, sanctior enim fuit uterus Virginalis, quàm templum Salamonis. 3. Solemnitatem Transfigurationis, quia ibi denovo fuit solum corpus illustratum, in incarnatione verò anima Christi fuit illustrata intellectualiter, sublimiori lumine gloriæ. 4. Solemnitatem Consecrationis sui corporis & sanguinis, quia in consecratione panis & calicis, non fuit Divinitas Verbi ex vi verborum, sed solùm ex concomitantia,

at in Annunciatione fuit Divinitas ex vi incarnationis, quoniam ſcilicet humanitas hypoſtaticè unita eſt Verbo. 5. Solemnitatem Redemptionis humanæ, quæ celebrata fuit in morte Chriſti, quia mors iſta non fuiſſet ſufficiens pro redemptione hominum, niſi humanitas illa fuiſſet Verbo Divino unita, undè valorem infinitum habuerunt Chriſti actiones ad nos redimendum. 6. Solemnitatē infernalis expoliationis, quia in infernum non deſcendit niſi Anima cum Divinitate, at in utero B. V: fuit hodiè Divinitas cum anima & corpore. 7 Solemnitatem Reſurrectionis, quia in hac fuit anima Chriſti unita cum corpore, at in incarnatione Divinitas cum humanitate, cujus unitatis extrema, ſi præcisè eorum naturam ſpectemus, ſunt nobiliora. 8. Solemnitatem Aſcenſionis, ſicut enim humanitas tunc aſcendit ad dexteram Patris, quaſi localiter, ita nunc humanitas aſcendit perſonaliter, quia aſſumpta ad perſonam filij: at verò majus eſt, cum quis in Regem aſſumitur, quam cum in throno collocatur. 9. Solemnitatem Pentecoſtes; cum Spiritus Sanctus in Apoſtolos deſcendit in ſpecie ignis, nam ignis non erat Spiritui ſancto hypoſtaticè unitus, ſed ſolum erat ejus ſignum, in quo apparere voluit, at in

incar-

incarnatione Verbum humanam naturam ſibi hypoſtaticè univit, ut per eam operaretur, actiones quippè ſunt ſuppoſitorum: hæc ex Mayrone; qui de Annunciationis die, ait dici ad literam Malachiæ 3. Quis poterit cogitare diem adventus ejus, ſcilicet in Virginem, quod eſt myſterium nobis incomprehenſibile per naturam; hæc ipſe. O diem feliciſsimum! ô diem humano generi fauſtiſsimum! Cœlo terræque lætiſsimum! S. Bonavent. in Libro Meditationum vitæ Chriſti. Cap. 4. agens de Incarnatione. Hodie inquit, eſt ſolemnitas Dei Patris, qui nuptias fecit Filio ſuo, in deſponſatione humanæ naturæ, quam hodie filius ſibi univit inſeparabiliter. Hodie eſt ſolemnitas nuptiarum filij. Hodie eſt ſolemnitas Sancti Spiritus propter hoc opus mirificum & ſingulare ipſius incarnationis, quod eidem attribuitur. Hodie eſt ſolemnitas glorioſæ Dominæ noſtræ, quæ à Patre in Filiam, à Filio in Matrem, & à Spiritu Sancto in Sponſam eſt recognita & aſſumpta. Hodiè eſt ſolemnitas totius Curiæ Cœleſtis, quia inchoatur eorum reparatio. Hodie eſt multo magis ſolemnitas humanæ naturæ, quia ejus ſalus incepta & redemptio & totius mundi reconciliatio, & ſublimata eſt atque deifica-

ta. hæc Bonav. Age Anima mea, & hanc diem, quâ potes devotione transige, dilige hanc festivitatem Mariæ, nam quid Festũ inquit Concil. Toletanum. x. Cap. 1. est matris, nisi incarnatio Verbi? Age Anima mea, & hanc solemnitatem maximo quo debes cultu honora, vel exemplo Ignatij Loyolæ, qui Annunciationis pervigilio, terrena arma sua Mariæ sacravit. Age Anima mea, etsi vel mentio solemnitatis hujus incidat, omni cum reverentia eam adora, vel ipso dæmone suadente: quidam enim dum occineretur illud. INCARNATVS EST DE SPIRITV. &c. nec se ad illud inclinans, castigari promeruit, nam adfuit teterrimus dæmon, eique alapam infligens dixit. O ingrate, quomodo sic stas erecto collo? cur non inclinas te? nonne audis quod cantatur, quod Deus propter te factus est homo? Specul. exempl. Dist. 9. exemplo 7. 5. Age igitur Anima mea, & in gratiarum actionem pro tanto in tua commoda beneficio, prorumpe in Te Deum laudamus &c. Quod dum nocte quadam pronunciaret, Lutgardis Sanctissima Virgo, & ad versum hunc ventum esset. Tu ad liberandum suscepturus hominem

non

non horruiſti Virginis uterum, adfuit gratulabundo vultu, & verba illa ſibi pergrata eſſe ſignificavit Maria Mater Creatoris.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

O Mundi cœcitatem! Sabbatis ad fora mercatusque properamus, & quam officinam aperit Vniverſi Creator Deus, præterimus, quotquot nimirum Mariana Templa declinamus. Audi & obſtupeſce. Conſtantinopoli. Feriâ 6: poſt Veſperas, miraculosè nulloque movente, velum quo imago Deiparæ tegebatur, recedebat, quaſi in Cœlum deferretur, ſicque omnium oculis detecta proſtabat imago ad abſolutas uſque Veſperas Sabbati. Si ſapis Sabbatis ſingulis ad officinas accurre, ſed eas in quibus cernere, & adorare liceat, expoſitam venerationi omnium, Matrem Creatoris.



CAPUT DECIMVM TERTIVM.

MATER SALVATORIS.

Per fœminam mors, per fœminam vita, per Evam interitus, per Mariam Salus, illa corrupta secuta est seductorem, hæc integra peperit Salvatorem.

August. Lib. 3. de Symbolo ad Catechum. Cap. 4.

STIMVLVS PRIMVS.



Onsidera. I. Verba illa Ecclesiæ, quibus in Divino officio die Purif. utimur. Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Ioannes videns exclamavit dicens. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Vnde meritò S. Augustinus, vocat B. Virginem, humani generis reparatricem. S. Damascenus. Paradysi reseratricem. S. Irenæus, salutis causam. S. Bernardus, posterorum vivifica-

vificatricem. S. Fulgentius, feneſtram Cœli, Sca-
lam cœleſtem. S. Proclus Epiſcopus Cizicenus, pon-
tem per quem Deus ad homines deſcendit. S. Da-
mianus, totius ſalutis exordium; deníque Carthu-
ſianus. Lib. 2. de Laud. Virg. art. 23. vocat eam,
mundi Salvatricem. O Virginem ſalutiferam! ſic
eam vocat Leo. ſerm. 1. de paſsione Domini. Hæc
primæ Matris: inquit Auguſtinus. ſerm. 35. de San-
ctis: damna reſolvit, hæc homini perdito ſalutem
adduxit. O puellam gratioſiſsimam! Vna puella:
ait Chryſologus. Serm. 146. ſic Deum in ſui pe-
ctoris capit, recipit, oblectat hoſpitio, ut pacem ter-
ris, cœlis gloriam, ſalutem perditis, vitam mortuis,
terrenis cum cœleſtibus parentelam pro ipſa domus
exigat penſione. Per te, ait Cyrillus, vnigenitus
Dei filius vera lux effulſit ſedentibus in tenebris &
umbra mortis. Per te, ait Georgius Nicom. Orat.
de Oblatione Deiparæ, ad eam ſermonem dirigens.
Paradiſum ſumus conſecuti, per te generis Colonia
ad propriam redijt manſioné, per te receſsit rhom-
phæa verſatilis, per te quæ erant clauſæ deliciarum
portæ fuerunt apertæ. Per te ait Bernardus Serm. 4.
de Aſſumpt. Cœlum repletum, infernus evacuatus
eſt, inſtauratæ ruinæ cœleſtis Ieruſalem, expectan-
tibus

tibus miſeris vita perdita data. Et tamen proh quam multi hanc vitam non inveniunt! Quam multi hac vitâ ſpoliantur! quod ne tibi accidat, accurre ad Mariam, tantoque confidentius, quia os noſtrum caroque noſtra eſt, ex primis noſtris Progenitoribus originem ducens, quam rationem ei proponunt, Athanaſius in ſermone de Deipara, cum ejus patrocinium implorat: ſimiliter Petrus Damianus in ſermone de Nativitate. Sed audi Bonav. in Spec. B. Virginis, Cap. 6. Obſecrare inquit poſſumus Mariam, ſicut Abraham obſecravit Saram. Dic obſecro te, quod ſoror mea ſis. (Geneſ. 12.) ut bene mihi ſit propter te, & vivat anima mea ob gratiam tui. O Virgo Maria, ô Sara noſtra, dic quod ſis Soror noſtra, ut propter te bene ſit nobis à Deo, & ob gratiam tui, vivant animæ noſtræ in Deo, ut propter talem Sororem Ægyptij, id eſt Dæmones, nos revereantur, & ut Angeli nobis in acie conjungantur, & ut propter talem Sororem, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, noſtri miſereantur. ita Bonav. O Chriſtiane, quid non à Nepote tuo Salvatore mundi ſperabis, ſi Soror tua accedat precatrix! Si recurras ad Mariam, quam ſalutaris reconciliationis panegyrim vocat Proclus Epiſcopus Cizicenus.
Nam

Nam Angelicus Doctor. Opusculo 8. de Salutatione Angelica. Magnum est in quolibet Sancto. inquit. quando habet tantum de gratia, quod sufficit ad salutem multorum, sed quando habet tantum quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo, hoc est maximum, & hoc est in Christo & Maria, quia omni periculo potes habere salutem per Mariam.

STIMVLVS SECVNDVS.

Considera. 2. Quid non debeat genus humanum Mariæ, pro tanto Salvatore, quem ipsa in omnium salutem enixa est. Et quidem, quid non debeat, quia consensit in sanctissimam ejus conceptionem, de quo consensu S. Bernardinus Senensis. tom. 3. Serm. 6. art. 2. cap. 2. Virgo, inquit, per hunc consensum in incarnationem Filij, omnium electorum salutem viscerosissimè expetijt & procuravit, & omnium saluti & salvationi, per hunc consensum se singularissimè dedicavit. Quid non debeat quando eum in utero gestavit. S. Bernardus Sermone 2. de Pentec: loquens de Christo ait. Tunc jam operabatur salutem nostram in medio

terræ, in utero videlicet Virginis Mariæ, qui mirabili proprietate terræ medium appellatur. ita ille. Quid non debeat quando illum genuit. Christus per fœminam natus, ait Augustinus Lib. 1, de doct. Christ. C. 14. homo homines, mortalis mortales mortuos morte liberavit. sic Augustinus. Quid non debeat pro hoc & illo instanti, in quo illum nobis fovit, aluit &c. Non desunt graves Authores qui asserant. B. Matrem suis manibus hunc Salvatorem adhuc infantulum octavo die circumcidisse. Item lactabat illum ideò ut ei materiam sanguinis, quem pro nobis in cruce funderet, suppeditaret. Eleganter Hailgrinus in Caput. 7. Cant. de lactatione Mariæ ad illa verba. & ubera tua botr. Vbera inquit, botris assimilata sunt, in quo mirabilis prærogativa merendi monstratur in Virgine, quæ non minus meruit fundendo lac de uberibus suis ad Filij nutrimentum, quàm martyres qui per botros figurantur, meruerunt fundendo sanguinem suum in martyrio suo, omnium enim operum merces secundùm radicem charitatis pensatur. Item cùm sciret Patris æterni voluntatem esse, ut filius pro humani generis salute pateretur, moreretur, hoc ipsum illa volebat. Cum ergo (verba sunt Tostati

ſtati in C. 9. Deu:) eum vidit patientem, admirabiliter conſolabatur, quia certiſsimè videbat redemptionem humani generis factam. Et Sanctus Bonav. in 1. diſt. 48 q. 2. ait de Virgine. Placuit ei quod unigenitus ejus pro ſalute generis humani offeretur. Apud S. Mechtildem Lib. 1. Revel. Cap. 59. leges de Virgine in hunc modum. Omni creaturâ in morte Filij Dei dolente, ipſa ſola cum Divinitate immobilis, & gaudens, Filium ſuum pro mundi ſalute voluit immolari. S. Antoninus 4. parte tit. Cap. 20. §. 1. agens de amore Virginis in nos, ait. Quod dicitur de Patre æterno Chriſti, ita & de ejus Matre temporali dici poteſt illud Rom. 8: proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis tradidit illum, ſcilicet paſſum voluntate & affectu, quomodo non etíam cum illo omnia nobis donavit pertinentia ad recreationem noſtram. ita S. Antoninus. Quid tu pro hoc beneficio rependes Mariæ Chriſtiane? quid pro tanto erga te amore referes Matri Salvatoris? poſtquam inquit Hieronymus Epiſt. 22. Virgo concepit in utero, & peperit nobis puerum Deum fortem, Patrem futuri ſeculi, ſoluta maledictio eſt, mors per Evam, vita per Mariam: ſic Hieron: Redama quantum vales amantem, &

fac quod Alphonſus de Obando adoleſcens, qui in terris annos decem & ſeptem cum dimidio vixit, in Societate autem menſes octo, hic nullum opus faciebat niſi amore Virginis, illamque cogitans, & dicere ſolebat, amorem quo Deiparam proſequebatur eſſe panem ſuum quotidianum, quem omnibus ſuæ pietatis exercitijs adjungeret, ſicque ſecum rationari ſolitus. Cùm tantus ſim peccator, per me Deum adire erubeſco, eaque propter, ad Matrem me meam recipio, ut pro me illa intercedat. B. Virginem in omnibus ſuis actionibus ſibi repræſentabat, ſeque ipſe interrogabat quonam hoc modo feciſſet Deipara? Io. Euſeb. Cap. 22.

STIMULUS TERTIUS.

Conſidera. 3. Annon inter iñumera beneficia quæ in te contulit Salvator, fuerit illuſtriſsimũ illud, quando dilectiſsimam ſuam Matrem Mariam, tibi è cruce pendens, dedit in Matrem, téque ei in filium. Ecce filius tuus. Ecce Mater tua. O voces! ô relationes melle dulciores! teſtabatur, inquit. Ambroſius Epiſt. 82. ad Vercellenſem Eccleſiam, de Cruce Chriſtus, & inter Matrem atque Diſcipulum,

lum, dividebat pietatis officia. Et Cyrillus in Ioannem. Commendat inquit Mariam Ioanni, ut officium filij in eam ſervaret; Matri Ioannem, ut parentis in diſcipulum auctoritatem haberet, amore videlicet atque charitate, non minus illos conjungebat, quam ſi naturæ maxima propinquitate conjuncti eſſent. Ita Cyrillus. Neque dicas, felicem Ioannem cui in Matrem data Maria, te infelicem cui negata. Lege è numero Purpuratorum, Toletum in Ioan. 19: Super illud. Mulier ecce Filius tuus. Omnes nos inquit, curæ protectioni & interceſsioni Virginis commendat, nobis autem fiduciam confert, ut tanquam ad Matrem & Dominam, in omnibus noſtris confugeremus, Ioannes nos repræſentabat. Lege S. Præſulem Antoninum. Part. 4. tit. 15. cap. 2. qui ait. Quia verò Ioannes interpretatur in quo eſt gratia, cuilibet etiam qui Ioannes dicitur & exiſtit, in quo ſcilicet eſt gratia, gratum faciens, datur Virgo Maria in Matrem. ita ille: & citat Anſelmum dicentem. Mater Dei facta eſt Mater noſtra: quod etiam probat. Sicut enim inquit, Chriſtus nos genuit verbo veritatis, ad eſſe gratiæ ſpirituale, in cruce patiendo, ita & B. Virgo Maria, nos genuit & peperit in maximis doloribus, Filio compatiendo, pœ-

nas immensas pro nobis patienti. hæc ibi. O amorem excessivum Salvatoris in genus humanum! Gratias age ei. inquit Bernardus. Serm. signum magnum: qui talem tibi mediatricem benignissimâ miseratione providit. O Legatum pretiosissimum, inter summos cruciatus à Salvatore relictum, dum Mariam nobis dedit in Matrem, nosque Mariæ in filios. Ecce Mater tua, ecce filius tuus! Cedat, cedat legato huic, celebre illud Eliæ, quando in curru igneo, per turbinem evectus, ascendens in cœlum, (4. Reg. 2.) Eliseo pallium reliquit, per quod mira effecta legimus: nobilius profectò, longéque opulentius legatum confecit mundi Salvator, quando per turbinem passionis, in curru crucis, undequaque flammis charitatis circumdato evectus, & à mundo recedens, Mariam nobis in Matrem legavit, in qua velut in pallio, novem mensibus obvolutus jacuit. Bene Methodius in hypapantem alloquens Deiparam, eam pallium Salvatoris appellat, dum ait. Tu es inquit, impollutum illius indumentum, qui luce uti vestimento circumfunditur. O homo! utinam sub hoc indumento die noctúque lateres! felices illi, qui sub pallio Mariæ nonnunquam visi. Vidit Sanctissimus Patriarcha Domini-

cus,

cus, ſuæ Familiæ Religioſos, ſub Mariæ Virginis chlamyde. Vidit ſub Mariano pallio, univerſam Societatem Ieſu, ex eadem Religione, pijſsimus P.Martinus Gutterus, natione Hiſpanus. Vidit glorioſa S. Thereſia candidiſsimo pallio amictam Mariam, ſub quo omnes Carmeli athletas complecti, & tutari videbatur. Sub hoc pallio vives æternum, ſi cum veritate de te dicere poteris illud, quod adfert Hieronymus, qui Epiſt. 25. ad Paulam, de obitu Bleſillæ filiæ ejus, introducit ipſam poſt mortem, ſic ad Matrem loquentem. Putas me eſſe ſolam? habeo pro te Mariam Matrem Domini.

STIMVLVS QVARTVS.

Conſidera. 4. Quantopere & quam conſtanter Salvatori Filio, adhæſerit Mater Maria, juxta illud Ariſtotelis ex Ariſtophane. 2. Polit. 2. Amantes, inquit, ex ambob⁹ deſiderant fieri unum, ſed quia hoc fieri nequit, quærunt ſimul eſſe & converſari: ut non immeritò Franciſcus Mayro, in ſermone de creatione animæ Virginis dixerit, ei convenire illud. Sap. 8. Generoſitatem ejus glorificat contubernium habens Dei. Nam ſi hunc Deum

mundíque universi Salvatorem consideres, adhuc Matris utero inclusum, nulla profectò alia Mater, tam diu fœtum animâ rationali animatum, in utero habuit sicut illa, quæ Christum de Spiritu Sancto conceptum, ac perfectissimè organizatum, & animâ rationali animatum, ab ipso instanti incarnationis, in suo utero purissimo. 9. mensibus gestavit, cum in aliarum Matrum fœtibus, anima rationalis ex Philosophorum sententiâ, non ante corporis organizationem infundatur, quæ 40. circiter dierum spatio efficitur, ut colligitur ex Aristotele. Lib. 7. de hist. animalium. Cap. 3. Si jam natum, & in hanc lucem editum spectes. Audi S. Epiphan. hom. 8. qui B. V. vocat perpetuam assectatricem IESV, cum ipso semper existentem. Audi S. Bernardum. tomo. 2. in Sermone de B. V: ubi asserit, eam jugiter Salvatoris adhæsisse lateri, eamque appellat individuam comitem, quæ nullo ferè abfuit itinere. Audi Ildephonsum, Serm. 1. de Assumptione. ubi Marianum cum Salvatore contubernium deprædicans ait. O Sanctissima omnium fœminarum, quæ cum Deo tale tantumque contubernium habuit in terris. Toties inquit. Bernardus Sermone Signum magnum. Maria filium audivit, non modo turbis
loquen-

loquentem in parabolis, ſed & Diſcipulis ſeorſim Regni Dei myſteria revelantem, vidit miracula facientem, vidit in cruce pendentem, vidit expirantem, vidit reſurgentem, vidit aſcendentem. Beatam ſe exiſtimabat Regina Saba, quod Salamonis præſentiâ, aſpectu, alloquio frui poſſet, ejus ſapientiâ erudiri, ejus mores atque inſtituta obſervare ac diſcere. At quam longè beatior Maria, quæ plus quam Salamonem genuit, aluit, vidit, audivit. Absque dubio. inquit Auguſtinus. Lib. de Aſſumptione; omni opere miniſtratrix extitit, quæ hunc in utero geſsit, partúque profuſum aluit, & fovit, in præſepio reclinavit, & à facie Herodis in Ægyptum fugiens, abſcondit, & omnem infantiam ejus Matris affectu ita proſequuta eſt, ut uſque ad crucem, in qua Filium jam Virum perfectum vidit pendentem, ab ejus indubitanter miniſterio non receſsit, conſequuta non ſolum greſsibus pedum, verùm etiam imitatione morum &c. ita ille. O felicitatem Mariæ! quæ non brevi tempore, quemadmodum Regina illa Saba, ſed 30. annis, huic cœleſti Salamoni convixit, antequam reliquos tres annos communes cum alijs habuiſſet; & ne ad fœlicitatem ejus hoc quoque deeſſet, crucifixo adſtitit, & de cruce

pendentis, quod verisimile existimat Metaphr: idemque asserit Nazianzenus in Tragæd. Christus patiens: pedes exosculata est. Quare pulchrè Simeon Metaphrastes Orat. de vita & dorm. Deiparæ. Etenim erit, inquit, inter Virginis magnalia, & præclara, si ostenderimus eam fuisse perpetuò versatam cum Filio, & ei semper assedisse, & ne in tempore quidem rerum adversarum, nec in passione ab eo separatam, quando & discipuli & amici, & omnes noti, alij quidem ipso omnino relicto, se in pedes conjecerunt, alij verò cùm paululum expectassent, negaverunt. ita Metaphr. O homo! accipe monitum Bernardi Serm. 2. in adventu Domini, qui ait; Sed jam advertistis, quoniam Virgo Regia, ipsa est via, per quam Salvator advenit, tenentes ergo viam, studeamus & nos dilectissimi ad ipsum per eam ascendere, qui per ipsam ad nos descendit, per eam venire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram miseriam venit.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

O calamum fatalem! ergone scribes

contra nos amaritudines mortis ô benignissime Salvator? ergo nos consumere vis peccatis adolescentiæ nostræ? Proh quoties salutem nostram expunxit ille è Libro vitæ! sed restitutã, annunciavit ejusdem Salvatoris pientissima Mater. Audite. Impudicus miles, de quo Vincentius lib. 8. hist. C. 102. & 103: in torneamento perimitur: apparet cuidam Maria, eique revelat salvum esse, (ô fœlicem qui verè in morte compunctus fuit!) eò quod in honorem Sabbati, à turpiore quodam peccato abstinuisset. Agite Christiani, & si pericula amare nolitis, vobis hebdomas integra, Sabbatum esto. Tranquillæ mentis conscientia Sabbatum est, ait apud Rhodig. 7. antiquarum Lect. C. 43. Augustinus.

CAPUT DECIMVM QVARTVM.

VIRGO PRUDENTISSIMA.

Saluto te Maria dulcissimum Annæ pignus: quonam modo gravissimum tuum incessum exprimam? quonam modo amictum? quonam modo senilem in juvenili corpore prudentiam? S. Damascenus.

STIMVLVS PRIMVS.


Onſidera. I. Stupendam illam prudentiam, quâ Sanctiſsima hæc Virgo prædita fuit, ut meritò ei hoc loco deferri poſsit elogiũ illud, quod jampridem ipſi detulit S. Epiphanius Orat. de Laud. Virg: dum eam multoculam compellavit. Ambroſius vocat illam prudentem. Ildephonſus unam ex numero prudentum. Ephrem Serm. de Laud. Virg: eam vocat principem omnium prudentiſsimam & ſagaciſsimam. D. Bernardus in Serm. ſuper illa verba. Signum magnum; loquens de Maria, ait. Luna, id eſt inſipientia omnis ſub pedibus ejus, ut penitus abſit Virgo hæc, ab inſipientum mulierum numero, & à Collegio Virginum fatuarum. O ſimili prudentiâ, ſimili ſapientiâ tu quoque præditus eſſes! S. Brigitta in Revel. in Serm. Ang. Cap. 16. ait. Homines lætitiâ affectos fuiſſe ex præſentia & prudentia B. Virginis. O ſi ex tua etiam lætarentur homines! Tullius Romanæ eloquentiæ Parens, 1. Offic: aſſerit: prudentiam eſſe rerum expetendarum fugiendarumque ſcientiam. Vide annon hac prudentia orbatus exiſtas.

Veteres Romani, prudentiam triplici vultu pinxêre, ut quæ tria potiſsimum tempora, præteritum, præſens, futurum complecteretur. O ſi hæc tu conſiderares! O ſi ad hæc tria tempora ſæpius te reflecteres! quàm cautus, quàm circumſpectus, quàm prudens exiſteres. Eſt Virgo Maria, ut ait Caniſius, vera & non fabuloſa Minerva. Quod ſi rem inquit paulò penitius inſpiciamus, annon Virgini noſtræ competunt, quæ tria ſtulti Græci in ſua Minerva, velut eximia prædicant. Virginitas, Prudentia, Fortitudo. Accurre ſi ſapis in omnibus dubijs & anguſtijs ad hanc Divinam Minervam: & quidni prudentiſsima reſponſa, tibique ſalutaria referas? Quidam in re dubia, ut refert Caſp. Lechner in Sodal. Parth. Lib. 3. Cap. 9. n. 9. quæ ejus plurimùm intererat, auxiliatricem experitur hanc Virginem prudentiſsimam, nam nocturno in ſomno, conſpicit Mariam, quæ ei certum hominem nominat, à quo quid facto opus ſit ediſcat. Vix illuxerat cum ille ipſe, quem Deipara edixerat, pro foribus adfuit, ejusque præſenti patrocinio, è certa præſentique ignominia ereptus eſt.

STIMVLVS SECVNDVS.

Considera. 2. Prudentiam Mariæ vel ex sola loquendi parcitate, si enim teste Salamone Proverb. 10. Qui moderatur labia sua prudentissimus est; dic obsecro quàm prudens fuerit nostra Virgo, de qua Bernardus Serm. Signum magnum. Toties Maria Filium audivit, non modo loquentem turbis in parabolis, sed & discipulis seorsum Regni Dei mysteria revelantem, vidit miracula facientem, vidit in Cruce pendentem, vidit expirantem, vidit resurgentem, vidit ascendentem, sed in his omnibus quoties verecundissimæ Virginis, quoties pudicissimi turturis vox memoratur audita. Imò in salutatione Angelica, ubi forte tibi videretur locutione opus fuisse, non est locuta, ut testatur Eminentissimus Pater Cardinalis Damianus. Sem. 3. de B. V. Maria inquit, audito Angelicæ legationis mysterio, solitum modesti silentij rigorem tenuit, & licet ipsa intra se discutere non posset, qualis esset ista salutatio, verbis tamen inquirere superfluum deputavit. Apposité ad hunc locum Bernardus hom. 3. super missus est, ait: Quod turbata est, verecundiæ fuit virginalis, quod non perturbata, fortitudinis, quod

tacuit,

tacuit & cogitavit, prudentiæ, cogitabat autē qualis esset ista salutatio; sciebat prudens Virgo, quia sæpè Angelus Sathanæ transfigurat se in Angelum lucis: ita ille. Disce à Maria, multa cogitare, pauca loqui. Homo sapiens, inquit Scriptura. Eccl: 20. tacebit usque ad tempus, lascivus autem & imprudens non servabunt tempus. Disce ab illa parcitatem in loquendo, siquidem Epiphanius à Nicephoro citatus, de ea asserit, quod pauca admodùm, eaque necessaria locuta sit. Huc facit illud Eccl. 20. Qui multis utitur verbis, lædet animam suam. Illud Prov. 10. In multiloquio non deerit peccatum. Illud Eccl. 19. Qui odit loquacitatem, extinguit malitiam. Maxime autem huc facit illud, quod circa hanc Virginem prudentissimam observatum, nimirum, illam septies tantùm locutam, ut ex sacra Evangeliorum Historia deprehendimus: ter cum Deo, bis cum Angelo, bis cum hominibus. (sæpius locutam ne dubita, sed ex Euangelio argumentum sume, parcissimam fuisse in loquendo) Quod si scire cupias, quænam locuta fuerit, audi. Cum Deo. 1mò. Verbum gratiarum actionis. Magnificat anima mea Dominum. 2dò. Verbum doloris ex Filij amissione. Fili quid fecisti nobis sic. 3tiò. Verbum compassio-

paſsionis, deficiente vino in nuptijs. Vinum non habent. Cum Angelo locuta eſt. 1^{mò}. Verbum caſtitatis. Quomodo fiet iſtud, quoniam Virum non cognoſco. 2^{dò}. Verbum humilitatis. Ecce Ancilla Domini. Cum homine. 1^{mò}. Verbum charitatis, ſalutando Eliſabeth. 2^{dò}. Verbum inſtructionis ad miniſtros in nuptijs Cana Galileæ. Quodcunque dixerit vobis facite. O prudentiſsimam Virginem! dignam ſanè vel ex hoc titulo, ampliſsimis Regnis & Provincijs. Quidam Angliæ Rex, non majoribus natu Filijs, quorum unus fortitudinem, alter pulchritudinem petijt, ſed juniori Filio Regnũ dedit, eo quod interrogatus quid data optione præ omnibus à Deo poſtularet, prudenter reſponderit; collum gruis ut nonniſi benè diſcuſſa verba promeret. O Virginem prudentiſsimam! dignam elogijs Iudithę olim delatis, quam ipſi hoſtes curioſius contemplati, mirabantur, & dicebant alter ad alterum. Non eſt talis mulier ſuper terram, in aſpectu, in pulchritudine, & ſenſu verborum. C. 11. Concludat S: Brigitta, cujus hæc ad B: V: ſunt verba. In hoc mundo Filius tuus, multis annis te permanere permiſit, & tunc per tua verba prudentiſsima, geſtus honeſtiſsimos, & opera virtuoſa, innumerabiles

les Iudæos, & infideles paganos ad Catholicam fidem convertit.

STIMVLVS TERTIVS.

Considera. 3. Quàm magnâ opus cautelâ & prudentiâ, in exarandis epiſtolis, concinnandisque ad amicos literis, verba enim volant, ſed litera manet. Ah proh Deum immortalem! quantam non oſtendit hæc Virgo prudentiſsima, in ijs quas ad nonnullos dediſſe creditur. Lege illam quam ad Florentinos in hunc modum ſcripſit.

Florentia, DEO, & Domino IESV CHRISTO Filio meo, & MIHI dilecta.

Tene fidem, inſta orationibus, roborare patientiâ, his enim & ſempiternam ſalutem apud Deum, & apud homines gloriam conſequeris. O Epiſtolam dignam æternis tabulis! dignam non tantum hominum, ſed etiam Cœlitum Archivio. Dic amabo, quid hic vani? quid hic affectati? ſuperfluum quid? Sed age & alteram Epiſtolam magna cum attentione perlege, quam ad S. Ignatium Martyrem dedit Maria: qui etiam unam ad eandem dederat, quâ ſignificabat ſe innumera dictu percepiſſe de IESV;

cui illa sic respondit.

Ignatio dilecto discipulo, humilis ancilla Christi Jesu. De Iesu quæ à Ioanne audisti ac didicisti, vera sunt, illa credas, illis inhæreas, & Christianitatis votum firmiter teneas, & mores & vitam voto conformes. Veniam autem unà cum Ioanne, te, & qui tecum sunt videre. Sta & in fide viriliter age, nec te commoveat persecutionis austeritas, sed valeat & exultet Spiritus in Deo salutari tuo. Amen.

O Epistolam diviniore prudentiâ refertam! ô Literas singulari humanitate conspersas! Has refert Sixtus Senensis in 2. lib. suæ Bibliothecæ. verbo. Maria. Priores in Concione 25. Octob. Florentiæ explicatæ fuêre. 1495. Tertias ad Messanenses datas, alibi si legeris, statue firmiter sequentia, si tui juris fueris, & sine notâ singularitatis, simili formâ scribendi uti possis. Primò: in scribendis literis imitari hanc prudentissimam Virginem. Secundò: imitari Venturinum Bergomatem, Dominicanum, Virum à sanctitate illustrem, de quo Anton. Flamen: & ex eo Leander: qui Epistolis quas ferè per totum Orbem scribebat, in fronte præponere solebat. Iesus Amor meus; vel, Ave maris Stella; vel, In nomine Patris &c. Tertiò imitari Cæsarem Baronium, Car-

Cardinalem Eminentiſsimum, qui in ſcedulis, libris, tabulis, imaginibus, ſæpius hanc devotiſsimam notam deſignavit.



Cujus inſcriptæ literæ hunc ſenſum reddunt.

Cæſar Servus Mariæ.

Quartò denique imitari S. Philippum Nerium, Fundatorem Congregationis Oratorij, qui in Sigillo quo Patres Oratorij pro obſignandis literis uterentur, cenſuit Mariæ imaginem eſſe collocandam. Dic obſecro, quantam pietatem redolerent tuæ literæ, quam fortiter & ſuaviter legentium corda emollirent, ſi tali ſigillo eas obſignatas adverterent, ſi tali inſcriptione in fronte exornatas cernerent, ſi talem ſubſcriptionem in fine legerent, ſi deprehenderent, tuas literas ſapere prudentiam non humanam, ſed Marianam.

STIMULUS QUARTUS.

Conſidera. 4. Prudentiam illam quæ in cæteris actionibus prudentiſsimæ hujus Virginis

relucebat, & quidem jam à teneris unguiculis, siquidem testimonio S. Mechtildis, prudentiam in puellari ætate tantam præ se tulit, ut nihil unquam puerile contra Dei gesserit voluntatem. Huc facit Augustini præceptio. In omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat Sanctitatem. Quam regulam adeò benè & dextrè in suis operationibus expressit Maria, ut meritò de illa dicat Ambros. lib. 2. de Virg. Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum, non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species, simulacrum fuerit mentis, figura probitatis. ita ille; cui suffragari videtur Damascenus, gravissimis ijs verbis, quibus initio hujus capitis, prudentiam Virginis contestatur. Et quidni? ut enim Galatinus affirmat. Lib. 7. C. 5. nihil non decens apparebat in Virgine, cujus omnia membra à vertice ad talos, omnesque sensus rationis imperio regerentur. Perpende prudentiam Virginis in eo, quod de ipsa refert S. Bernardus. Sermon. Signum magnum. Foris stabat, quærens loqui Filio, nec maternâ auctoritate, aut sermonem interrupit, aut in habitationem irruit, in qua Filius loquebatur.

Per-

Perpende iterum prudentiam ipſius, ſive quando prudenter tacuit, dicente ſibi Filio in nuptijs Canæ Galileæ. Quid mihi & tibi eſt mulier? ſive quando eo amiſſo in Templo, illum ſolerter quidem, ſed debitâ cum circumſpectione & modeſtia quæſivit, ſive quando patienti Filio compaſſa, verùm absque fœmineis lamentis & ejulatibus. O ſic omnes tuæ actiones & opera, prudentiæ ſale condita eſſent! O ſi continuò tibi obverſaretur illud.

Quidquid agis prudenter agas, & reſpice finem.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

O Prudentiam S. Gerardi Epiſcopi Canadienſis! Hic Sanctus de quo Surius. tom. 5. die 24. Septembr: ſingulis Sabbatis, Officium Aſſump: Deiparæ, cum 9. Lection. magnisque laudum prœconijs, ante ejusdem Aram, inſigni pietate explebat. O prudentiam S. Nicolai Tolentini. S. Elizabethæ Luſitaniæ Reginæ. S. Didaci Ordinis S. Franciſci! hi Sabbato, pane & aquâ contenti erant. O prudentiam walteri de Birbach, ſæpè jejunantis Ferijs ſextis, ob reverentiam Sabbati! O

prudentiam Nithardi Bambergensis Præsulis! qui teste Drex. Trism. L. 1. C. 4. per omnem vitam omni Sabbato cibo abstinuit. O prudentiam denique Eminentissimi Card. Toleti! qui Romæ, quæcunque anni vel temporis tempestas esset, non erubuit singulis Sabbatis, è Vaticano, sat longo itinere, pedes ire ad S. Mariam vulgò dictam majorem. Desipis, qui cum his, aut alijs Sabbati Cultoribus non sapis.

CAPUT DECIMVM QVINTVM.

VIRGO VENERANDA.

Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus, Mariam hanc veneremur, quia hæc est voluntas Domini, qui totum nos habere voluit per Mariam.

S. Bernardus. Serm: de Nativ. Mariæ.

STIMVLVS PRIMVS.

Consi-

Onſidera. I. Potentiſsimũ motivum ad colendam Mariam eſſe, quia ſi quando eam colimus, Deum ipſum in Maria veneramur, honor quippe Deiparæ, ut probat S. Thomas 3. part. q. 27. art. 4. ex illo Proverb. 17. Gloria filiorum Patres eorum, redundat in Chriſtum Redemptorem. Quod pulchrè confirmat S. Bernardus, homiliâ 4. ſuper Miſſus eſt. Sicut enim cùm Filium honoramus, à laudibus Matris non recedimus, ita dubium non eſt, quicquid in laudibus Matris proferimus, ad Filium pertinere, ita ille. Pulchrè Ruper. Lib. 6. in Cant. Sic & te honoramus atque concinimus, ut verè Dei Genitricem, ſcientes quoniam totus honor impenſus Matri, procul dubio redundat in Filium. Pulchrè Gregorius Nicomed. Orat. de Obl. Deiparæ, qui ſic eam alloquitur. Tuam enim gloriam Creator exiſtimat eſſe propriam, & tanquam Filius in ea exultans, quaſi exolvens debitum, implet petitiones. Gratiosè etiam Arnoldus Carno. Tr. de Laud: Quicunque Ieſu, inquit ille, curvat genua, Matri quoque pronus ſupplicat, & Filij gloriam cum Matre, non tam communem judico, quam eandem, hæc ipſe. Heus Chriſtiane, ſi

commu-

communis, aut eadem est gloria Dei & Mariæ, cur Deum in Maria non venerans? Si Deo servire cupis, cur Mariæ non inservis? audi S. Ildephonsum Lib. de B. M. Virginit. Cap. 12. Vt sim devotus, inquit ille, servus Filij, servitutem appeto Genitricis, sic namque refertur ad Dominum, quod servit ancillæ, sic redundat ad Filium, quod impenditur Matri, sic alternat in nutrito, quod adhibetur in nutrice, sic transit honor in Regem, qui defertur in famulatum Reginæ. ita ille. O felicissimum qui huic Virgini famulatur! O beatissimum, qui velut specioso titulo, gloriatur se esse servum Mariæ! Anna Catharina wilhelmi III. Ducis Mantuæ Filia, Ferdinandi Archiducis Austriæ in Tyroli conjunx, post obitum mariti, suscepto habitu tertij Ordinis Servorum B. Virginis, unà cum seniore Filia, non modò se servam, sed servam servorum B. Virginis appellabat. O servitutem Rēgiâ dignitate illustriorem! ô titulum in cœlis olim publicandum! docet enim Pelbartus in Stellario. Lib. 12. P. 1. a. 3. Deiparæ servos etiam in cœlo peculiari aliquo ornatu decorandos. Sicut, inquit, servi Regis & Reginæ in Curia Regia, certis notabilibus clenodijs deaurati procedunt, per quæ agnoscuntur esse servi Regis vel Regi-

Reginæ, & speciali purpurâ vestiti ambulant; ita in Curia Cœlesti, servi Virginis speciali ornatu & gloria, qua præ alijs discernuntur, quod servi sunt Mariæ, fulgebunt.

Stimvlvs Secvndvs.

Considera. 2. Alterum motivum ad venerandam Virginem esse, quia Deus vult, teste Bernardo, eam votis omnibus veneremur, & ab ipso Deo honorari, Methodius Orat. in Hipapante affirmat, dum sic ait. Euge, euge, quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur, Deo enim universi debemus, tibi autem etiam ille debet, proinde qui dixit honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut is decretum à se promulgatum observaret, & alios excederet, omnem Matri & gratiam & honorem impendit. Ita Methodius. Quam propositionem proba celebri illo exemplo, quod Ioan. Bonifacius. Lib. 4. affert de S. Gertrude; quæ ab unico Dei Filio poscere non dubitavit, illa partim supplere, partim explere dignetur, quæ in Deipara honoranda, illiusq; donis agnoscendis minus plenè præstitisset. O rem prodigiosam! ad Gertrudis vota assurgit

Christus, utrumque genu coram Genitrice inflectit, & eam pro dignitate salutat, quæ Gertrudis æquare non poterat. Collige hinc Anima Christiana, annon Virgo Veneranda Maria, quam ipsemet Deus adeò veneratur, téque suo exemplo ad cultum similem invitat: cui tu adde sequentes rationes, ob quas meritò coli debeat hæc Augusta Virgo: Prima est. Quia Maria est Dei Mater, Filius autem honorari vult ab alijs Matrem suam. Secunda, Matthæi 5. Iubet Salvator Mundi inimicos diligere, benefacere ijs qui oderunt nos, quanto magis cupit honorari suam Matrem. Tertia. Quia ad imagines B. V. plurima divinitùs facta sunt miracula; unde patet quam hic velit à nobis illam honorari. Quarta. Multos quærentes remedia & solatia miserijs suis, non per semetipsum juvit Iesus, sed ad Matrem amandavit. Quinta. Stupenda sunt miracula quibus Deus illam honorat in terris, ergo & à te vult illam honorari. Sexta. Si Deo non placeret honor ille, quem tot millia hominum detulerunt Mariæ, quomodo in tot centenis, & centenis annis, vel semel saltem id non indicasset. O si sapis, juxta Bernardi monitum, totis medullis cordium venerare Mariam. Elisabeth quia erat plena Spiritu Sancto, cognovit secundùm

quod

quod ait Hieronymus in Libro de prærogativis Beatæ Virginis, quòd magis numerat Deus cultum, qui Matri ſuæ impenditur, quam ſibi ipſi, ideò primò laudat & ſalutat Mariam dicens. Benedicta tu inter mulieres, & tunc ſubjungit Chriſti ſalutationem. Benedictus fructus ventris tui. Venerare igitur illam, ſaltem dum ſacram ipſius imaginem conſpicis, ita faciebat B. Margaretha Vngarici Regis filia, ut refert Surius in ejus vita, 28. Ianuar. Hæc ubicunque B. Matris imaginem vidiſſet, flectebat genua, & Angelicam ſalutationem recitabat. Ludovicus autem Germaniæ Rex, Caroli Magni Imperat: filius, ejusdem B. Virginis ſimulachrum ſemper è collo ſuſpenſum circumferebat, atque ſi inter venandum quandoque ſiniſtri quidpiam accideret, aut per ſylvas erraret, ſimulachrum hoc arbori affigebat, & coram illo poſitis humi genibus, B. Virginem ſupplex venerabatur. Denique S. Hedvigis Duciſſa, non tantùm iconem Deiparæ ſecum ſemper habebat, ſed etiam moriens eandem præ oculis habuit. Tu ſi coram Mariæ imagine contritus oculos clauſeris in terris, lætus aliquando illos aperies in cœlis.

Considera 3. Efficacissimum motivum pro colenda sanctissima hac Virgine, desumi posse ab ingentibus beneficijs & gratijs quibus illa nos, & quidem toties afficit, nam omnia illa bona spiritualia, (de temporalibus alibi sermo fiet ex professo) quæ cœlitùs nobis conceduntur, illâ impetrante dantur, ut meritò vocari posit aquæductus, per quem tot gratiæ è fonte Deitatis ad nos defluunt. Collum, per quod à Christo capite, tot favores in nos cætera membra promanant. Porta Cœli, quâ clausâ, sicca & arida manent mortalium corda. Quare advertit benè D. Bernardus Serm. de Nat. B. V. Intuemini ait ille, quanto devotionis affectu, à nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria, ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare. ita ille. Neque dicas, omnia quidem dona spiritualia, nobis per Mariam obtingere, sed eo duntaxat sensu, quia nimirum genuit Salvatorem, qui nobis totius boni caput & causa extitit: amplius quippe de tanta Virgine, piéq; sentiendum, videlicet, omnia sigillatim bona spiritualia,

lia, ipſa ſigillatim pro ſingulis obſecrante, nobis donari. Decebat enim Dei matrem, omnia & ſingula bona perciperemus à Deo, per ipſam, ut Filius Parenti ſuæ deferret gloriam. O favores! ô gratias! quàm benè hic dici poteſt illud Bernardi aſſerentis, Deum nihil nos habere voluiſſe, quod per manus Mariæ non tranſeat. Mariam inquit ille venerari vult, qui totum nos habere voluit per Mariam. Dic igitur audacter. Deiparam omnes homines, & omnia illorum opera & cogitationes liberas, omnes eorum neceſsitates, & pericula è cœlo contemplari. Dic liberè Deiparam & ſingulis noſtris actionibus apud Deum intereſſe, atque omnem gratiam & auxilia, per ipſam nobis impetrari. Dic liberè quod dixit Idiota in Contemplatione Virginis Cap. 1. Quodcumque donum alicui Sanctorum unquam datum eſt, tibi non fuit negatum, ſed omnia omnium Sanctorum privilegia habes in te congeſta, quia omnibus te dare liberaliter oportebat. Dic deniq; liberrimè quod dixit Theoph. Alexand. Gaudet, inquit ille, in Lib. de incarnat. Filius orante Matre (loquitur de B. V.) quia omnia quæ nobis precibus ſuæ Genitricis evictus donat, ipſi Matri ſe donare putat, & acceptæ ab illa ſine Patre humanitatis

vices reddere. S. Thomas Aquinas Doctor Angelicus, ut recenset Ribad. 7. Martij. paucis ante mortem diebus asseruit, nihil à Deo se petijsse per B.V. quod non impetraverit. Vis & tu quæ desideras à Deo obtinere? preces Marianas implora, in quibus Deus sibi complacere videtur, nam S. Patriarcha Ignatius Loyola, quondam Sacrum celebrans, & post consecratam hostiam, scriptas Societatis Leges Domino offerens, vidit Deum Patrem valdè sibi propitium ac benignum, certo quodam signo indicantem, gratum sibi fore, si pro eo Deipara oraret, statimq; Virgo Sanctissima Ignatio apparuit, Patri Cœlesti eum commendans. in Lib. cui titulus. Gloria S. Ignatij Cap. 5.

STIMVLVS QVARTVS.

Considera. 4 Vltimum motivum, quod ad venerationem Virginis nos excitare potest, est tot doctissimorum, sapientissimorum, simulq; pijssimorum hominum cultus in Mariam. Quis enim tam perfrictæ frontis erit, qui ausit dicere, hos tantâ sapientiâ & virtute præditos, per tot sæcula, ab ipsis Apostolorum temporibus, in veneranda Virgine

gine erráſſe? poterant illi abſtruſiſsimas veritates penetrare, occultiſsimas fraudes detegere, & vel aliquis illorum non advertiſſet inſtar delirij eſſe cultum Marianum? Mariæ adhuc viventi templa erexerunt. S. Petrus & S. Iacobus: ergo ſi illi errarunt, ſi Chriſti Vicarius hîc deceptus deliravit, quis imposterum obſecro credat Apoſtolis, eorumque ſequacibus? Si tot Sancti Patres, ſi tot graviſsimi Theologi, ſi univerſa deníque Eccleſia, huc uſque inſanijt in colendâ Maria, quis amabo ſapiens imposterum dicendus? Ah nefas ingens, vel de hoc dubitare! Credis firmiter ijs, quæ de Romana, aut Conſtantinopolitana, vel alia quapiam Vrbe prodiderunt literis ſuis, veteres Hiſtoriographi, quamvis fortè improbi & nequiſsimi, ah ſcelus! & non credes Auguſtino, Hieronymo, Ambroſio, Gregorio, cæterisque Sanctiſsimis Viris, ac inſuper miraculis, cultum Mariæ deprædicantibus? elige quod placet, aut colere Mariam, ut præmia referas, aut contemnere, ut puniaris. Tibi verò eam colenti, ſit præ oculis illud quod P. Nicol. Lancic. tom. 2. Opuſc. 17. Cap. 2. ſic refert. Cum Saga quædam in Sicilia, multis maleficijs, alijsque ſceleribus coinquinata, & eorum convicta, ad rogum, & locum ſupplicij eſſet

esset deducenda, interrogata: an etiam aliquando ad Societatis domicilium noctu, diaboli ope, uti ad alia domicilia solebat, introducta fuisset; præsente & audiente P. Antonio Cicala (à quo id ante 45. annos Romæ audivi) fassa est, se quidem etiam voluisse ad Societatis domicilium deferri à diabolo, & pudicitiam quorundam tentare, sed cùm prope accederet, à persona quadam senio veneranda, repentè apparente, se fuisse prohibitam, ne illuc intraret, dicente. Collegium illud esse hominum peculiari cultu Deiparam colentium, & sub patrocinio ejusdem speciali constitutum: hæc ibi. Nec excidat è mente prœmium illud, quod cultori suo promisit Maria, quæ apparens Ioanni XXII. nedum ad dignitatem Pontificiam evecto, ei dixit. Propter devotionem quam erga me habes, ad supremum dignitatis Ecclesiasticæ culmen te promovebo. Verùm si magis arrideant pœnæ & supplicia, audi præter ea quæ infra Cap. 24. recensentur, & hoc. Obsederunt Hæreticum quendam Albigensem. 15. millia dæmonum, obsessionis causam rogati nefandi hospites, protulerunt peccatum etiam irreverentiæ in Dei Matrem, quam nos, inquiunt, summo odio prosequimur. Disce hinc Christiane quid

agas,

quid agas, in quæ pericula teipſum conjicias, quando Virginem venerandam dehonoras, vel dæmonibus ſimilior, averſaris. Age ſi ſapis, & fortiter pro ejus honore decerta, ſtrenuè contrà perverſos hæreticos dimica, aderit è cœlo Deus, nam pro Maria contra hæreticam pravitatem dimicare, ac vincere, (ut Ildephonſus affirmat in libro de perpetua Virginitate Mariæ) Spiritus Sancti proprium eſt opus. Victorias ſequentur palmæ, ſequentur lauri, cœlo enim nequeunt deeſſe coronæ quibus coronemur, fortè capita deſunt, quæ coronentur.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

CErne. Audi. nonne dulcis melodia? nonne ſvaviſsima perſonat harmonia? ô quantus fulgor! quæ lux non irradiat Orbem, ut omnia conſpiraſſe videantur ad obſequia hujus Virginis venerandæ. In Hiſpania obſervarunt paſtores, ſingulis Sabbatis, inclinante jam die, ingentia lumina in proximū antrum delabi, concentusq; Angelicos ibi exaudiri, in quo antro inventa fuit poſtea ab Archiepiſcopo Barcinonenſi imago Deiparæ, cui excita-

tum illuſtre templum MONTIS SERRATI. Tu ſimile erige, ſed in corde tuo, in quo animitùs colas eam quæ præ omnibus eſt Virgo Veneranda.

CAPUT DECIMVM SEXTVM.

VIRGO PRÆDICANDA.

Prædica reverendam Angelis, deſideratam gentibus, Patriarchis, Prophetisq́; præcognitam, electam ex omnibus, prælatam omnibus. S. Bernardus, Epiſt. 174.

STIMVLVS PRIMVS.



Onſidera. I. Quàm prædicari & laudari mereatur illa, quæ ut canit Ecclesia. Felix eſt, & omni laude digniſſima: quæ teſte Anſelmo, eâ puritate nitet, quâ major ſub Deo nequit intelligi. Quæ teſte S. Thoma, Mater Dei, cùm ſit, dignitatem obtinet propemodum infinitam, cujus benefi-

beneficiis deníque plenus eſt mundus. Deterrent te fortè à prædicanda Virgine, graviſsimæ Patrum ſententiæ. S. Petri Damiani Serm. 2. in Nativitate Virginis. Nullus humanus ſermo in laude Mariæ invenitur idoneus, de qua Mediator Dei & hominum cognoſcitur incarnatus: impar eſt illi, omne humanæ linguæ præconium, quæ de intemeratæ carnis ſuæ viſceribus, cibum nobis protulit animarum. S.Bernardi Serm. 4. de Aſſumpt. Quænam lingua poterit etiamſi Angelica ſit, dignis extollere laudibus Virginem Matrem, Matrem autem non cujuscunque, ſed Dei. S. Bernardini Senenſis. tomo 3. ſer. 2. Nemo pertingere ad laudemglorioſæ Virginis poteſt, quæ omnium hominum & voces, excellit, & ſuperat intellectum. S. Auguſtini. ſerm. 35. de Sanctis. Quid nos tantilli, quid actione puſilli, quid in Virginis laudibus referemus: cùm etſi omnium noſtrum membra verterentur in linguas, laudare ſufficeret nullus. O timide homuncio! quid ergo? an quia laudes Virginis immenſæ, tu à laudibus ejus abſtinebis? an quia Mariæ prædicandæ, teſte Epiphanio, neque hominum, neque Angelorum lingua ſufficit, tu ſaltem eam pro tuo modulo laudare non conaberis? Ah dic cum S. Caſimiro.

 Quam-

Quamvis sciam, quod Mariam
Nemo dignè prædicet,
Tamen vanus, & insanus
Est qui illam reticet.

Dic cum Bernardo. Serm.4. de Assumpt. Licet inquit, dignum aliquid sterilis concipere cogitatio, aut inerudita locutio parturire non possit, de ea tamen silere devotio non patitur. Prorumpe cum eodem Bernardo, & quæ ille olim Filio, tu Mariæ occine, dicendo.

Cùm dignè loqui nequeam,
De te tamen ne sileam,
Amor facit ut audeam.

Aude omninò, ita jubet Damascenus. Quid ergò? an quia eam pro dignitate laudare minimè possumus, idcircò metu reprehensi conticessemus? minimè sanè, quin potius temperatâ metu cupiditate, contextâque unâ ex utroque corollâ, cum sacra reverentia, tremente manu, ac cupido animo, viles ingenij nostri primitias, Regiæ Matri de universa naturâ benè meritæ, grato, candidoque animo, tanquam debitum quoddam persolvemus. Hæc ipse. O felix si sæpè & sanctè id ei persolvas! vitam invenisti, juxta illud Ecclesiastici. 24. Qui me elucidant, vitam

vitam æternam habebunt: quod exponens Richardus dicit Sermone 5. Nunquam in æternum damnabitur, qui nunc in præſenti laudes Mariæ, præconiaque ſectatur. Iuxta illud Sophronij, inter opera Hieronymi. Serm. de Aſſump. Et quamvis non ſit ſpecioſa laus in ore peccatoris, noli ceſſare à laude, quia inde tibi promittitur venia, undè & omnibus, ut laudes. Iuxta illud Anſelmi de excell. Virg. Cap. 1. Quomodo fieri poteſt, ut ex memoria laudum ejus, ſalus non proveniat peccatorum, cujus uterus factus eſt via ad ſanandum peccatores venienti Salvatori. ita ille. Eja Chriſtiane. Eja Sodalis Mariane! linguam in laudes tantæ Virginis commove, dic ei ſupplex & humilis. Dignare me laudare te Virgo ſacrata. Dic ei cum Ephrem in Oratione de Deipara. Reple os meum ô Domina, move linguam meam, & labia ad laudes tibi decantandas.

Stimulus Secundus.

Conſidera. 2. Annon prædicanda illa, quæ antequam nata, prædicabatur jam in mundo. Angelus Parentibus prædicat eam dum ejus conceptionem prænunciat. Prædicant Argonautæ, qui

ante Christi adventum. Annis 1200. circiter vixerunt, cum templum, de quo Plinius, Lib. 36. Cap. 15. longè nobilissimũ excitassent, & oraculum consuluissent, cuinam dicari deberet, responsum retulerunt. MARIÆ VERBI ÆTERNI GENITRICI dicandum esse. Prædicant Druidæ Gallorum Sacerdotes, inter eos sapientissimi habiti, qui multis ante natam Deiparam annis, Aram ipsi dedicârunt, cum hac inscriptione. VIRGINI PARITVRÆ. Prædicat Rabinus Hacados, qui de Messiæ Matre, his verbis loquitur. in Respons. ad 7. petit. Antonini Consulis. Sicut abacus est armarium, quod Principes conficiunt, ut auri & argenti vascula in eo recondant, suamque gloriam & opes cunctis ostendant, ita Regis Messiæ Mater erit armarium, quod Deus ipse construxit, ut Messias in ea sedeat, ad majestatis suæ gloriam mortalibus omnibus demonstrandam: atque hæc Magister ille sanctus, (sic à Iudæis honoris gratiã appellatur) ad Romanum tunc scripsit Consulem, quum ne Mariæ parentes quidem essent nati. Prædica & tu, sed apposítè & cum fructu, quemadmodum Hieremias Propheta, qui de hac ipsa Virgine Ægyptijs locutus; hinc illi ante Christi Servatoris adventum, Virginem in lecto, & infantem in

præse-

præſepio paſsim collocare, & adorare conſueverunt. de quo Caniſ. Lib. 2. C. 7. O felix qui ſic prædicat! ô felix Auditor qui ſic proficit! Nos qui pretioſa templa, ſtatuasque Virgini erigere non valemus, ſaltem lectulum ei in corde noſtro ſternamus. Felix profectò Hiſpania, ubi poſt diligentem inquiſitionem, reperta ſunt templorum V. Mariæ dicatorum, ſupra octuaginta millia, ut refert Ioan. Euſeb. in Lib. de affect. erga B. V. Cap. 10. Tibi pauperi & egeno ſufficiat. 80. millia affectuũ de die, offerre Mariæ.

STIMVLVS TERTIVS.

Conſidera. 3. Quàm multi numerentur ſanctitate, & doctrinâ illuſtres, qui ſtrenuè ac gloriosè, in prædicandâ Virgine jam orbi nata deſudarunt. O quot linguæ encomijs Virginis hucuſque cõſecratæ! ô quot calami laudibus Virginis hucuſq; attriti! hinc tot de Maria extant laboris ac pietatis monumenta, tot libri, tot hymni, tot dulciſsimæ Antiphonæ &c. Et quia nonnullarum frequentior per annum recurrit uſus, Auctores earum hic recognoſce, & velut Virginis amatores amplectere. Illam nunquam ſatis laudandam Antiphonam cui initium. ALMA REDEMPTORIS MATER. compo-

ſuit

ſuit Hermannus Contractus Sveuus, ex nobili genere Comitum Veringenſium, qui Sacro D. Benedicti Ordini ſeſe addixit. Alteram adeò celebrem quæ incipit SALVE REGINA. in lucem dedit, idem Hermannus Contractus. Vrbanus autem IV. recitanti. ALMA REDEMPTORIS MATER. 50. dierum indulgentias conceſsit; & Ioannes XXII. recitanti. SALVE REGINA. 40. dierum indulgentias impertijt. Antiphonam, AVE REGINA COELORVM, uti putat Pelbartus in ſtellario Coronæ B. V. Lib. 10. part. 5. art. 1. C. 2. Apoſtoli compoſuêre, qui B. Virgine moriente convenerant, & quisque pro virili in laudes ejus prorumpebat. Sic ergò ait, Petrus inchoans, ut narrat Coſmas, dixit. Gaude cœleſtium thalamorum ſponſa &c. alij autem Apoſtoli Ave, inquiunt Regina cœlorum. Ave Domina Angelorum. Salve radix ſancta, ex qua mundo lux eſt orta. Gaude glorioſa, ſuper omnes ſpecioſa. Vale & pro nobis ora. Celebris porrò illa Antiphona, REGINA COELI &c. ab Angelis compoſita, & ab illis dum imago Almæ Virginis, per Vrbem Romam peſte infectam, in die Reſurrectionis deportaretur, decantata fuit, uſque ad illam partem. Ora pro nobis Deum Alleluja: quæ verba mox addidit divino Spiri-

Spiritu motus. S. Gregorius. Tu ſi ſapis, Angelos, hominesque imitare, & jam hanc, jam illam Antiphonam Virgini decanta: ſæpè hymnum illum. O GLORIOSA DOMINA &c. de quo hymno in Cronicis Ord. S. Franc. exſtat revelatio, quâ Deipara docet quendam, præ omnibus canticis & hymnis hunc ei placere maximè: & tu hoc guſtu privabis Virginem? his paucis verſiculis non laudabis eam? Audi quid dicat S. Bonaventura. Virgo, inquit ille, auxiliatrix, & amatrix eſt omnium fidelium ſuorum laudatorum, ſicut illi qui tales ſunt experimento multiplici cognoverunt: ita ille. Hæc experimenta quidni & tibi promittantur, ſi ore, & ſcriptis, hanc ſupra omnes prædicandam Virginem deprædicaveris. Aude ergo quod auſus eſt Angelus: hic Romæ S. Brigittæ dictavit ſermonem de excellentia B. Virginis Mariæ, qui legi debet in Matutinis diviſim per ferias hebdomadæ, per anni circulum. Aude quod auſus eſt Ioañes Berckmans, è Soc. Ieſu, hic cum quibusdã convenerat, ut de illa ſæpiùs cum ijs colloqueretur, & ad hoc ſe natum exiſtimabat, ut ejus cultum promoveret. Aude quod auſus eſt ex eadem Soc. Iacobus Rhem, hic Sodalitium inſtituit, cujus potiſsimum eſſet Inſtitutum, pios de

Virgine miſcere ſermones, quod ideò, colloquium appellavit: Aude quod auſus eſt S. Bonav. qui in D. Lucam ideò libentius lucubrationes ſcripſit, quod is de B. Virgine plura ſuggereret. Aude quod auſus eſt Albertus Magnus, hic varias in honorem B. V. proſas, ſeu ut vocant ſequentias componebat, ſemel autem cùm quandam conſcripſiſſet, eadem Sereniſsima Deiparens Alberto adſtitit, gratias referens, quod ſe ſic collaudaſſet. Aude deniquè quod auſus eſt Beatus Hemingus Epiſcopus, hic omnes ſuas conciones ab ejus laudibus inchoârat, unde B. Virgo S. Brigittæ viduæ, de præfato Epiſcopo dixit. Dic, inquit, illi Epiſcopo, quia omnes prædicationes ſuas, inchoare ſolet à laude mea, ego volo ei eſſe in Matrem, & ejus animam præſentare Deo. O prœmium! ó mercedem! Adfuit olim Maria morienti cuidam è Divi Dominici Familia Religioſo, qui pro concionum ſuarum coronide, unam ſemper de illa attexebat narrationem. Vis & tu præſente Maria mori? vive prius Encomiaſtes Marianus.

Stimulus Quartus.

Conſidera. 4 Ănon pleno ore oporteat prædica-

dicare eam, quam ipsimet Hæretici, adeò deprædicant. Audi Lutherum in Festo Concept. Mariæ, sic de ea loquentem. Nulla mulier tam sancta est, nec fuit, nec imposterum erit &c. Audi eum in Comment. super Magnificat. Eo ipso inquit, quod Maria Dei Mater facta est, tam præclara & ingentia bona ei data sunt, ut superent captum cujuscunque, &c. Audi illum, in Postilla majore, circa Evan. Festi Concept. Mariæ. Dignum & justum erat, Mariæ personam ab originali peccato præservari, de qua Christus sumpturus erat carnem. Audi eum in Postilla majore circa Evangel. Dominicæ proximæ ab Epiphan: & in die Concept. Mariæ: & in Conc. 2. Festi Visit. Mariæ; ubi asserit. Mariam nulli aliquando maledictioni fuisse obnoxiam, præ cæteris à Deo benedictam, Prophetissam esse maximam; quæ doctrinâ omnes Apostolos & Prophetas excelluerit. Quod si magis Calvinus placet. Audi eum: circ. principium Lib. de Harm. Euangel. sic Mariam cõmendantem. Hodiè celebrari nequit allata nobis per Christũ benedictio, quin simul occurrat, quàm honorificè Mariã ornaverit Deus, qui Vnigeniti Filij sui Matrem esse voluit. Si Calvinus & Lutherus desipiunt, audi alios Ecclesiæ hostes. Au-

di Oecolampadium, in ſerm. de laudando in Maria Deo. Nunquam de me, ut in Domino confido audietur, quaſi averſer Mariam, ergà quam minus benè affici, reprobatæ mentis certum exiſtimem judicium. Audi Bucerum in expoſ. primi Cap. Matth. Pius animus de Maria, vaſe tam ſancto, atque electo, ut Chriſtum nobis pareret, nonniſi ſanctiſsima cogitabit. Audi Bullingerum, in ſer. de B. V. Maria, ubi perpetuam Virginitatem ei attribuit, plurimis maximisque chariſmatibus à Deo donatam aſſerit, & in Mariomaſtiges ſic invehitur. Infelices certè ſunt Iudæi, qui ipſam nunquam convitijs inceſſere deſinunt, infelices ſunt pſeudochriſtiani, qui Iudęis nihilo meliores, ſuâ laude ipſam ſpoliant. Audi denique improbos Manichæos, illi, ut refert S. Thomas &c. in 3. diſt. 4. q. 2: dixerunt. Mariam aliquid ſupra commune hominum genus eximium eſſe, eamque ad Angelicam dignitatem hos ſublimaſſe. O Chriſtiani! ô Catholici! talia de Maria Hæretici prædicant, talia Apoſtatæ, talia ſceleſti, & vos quid? Audite S. Bonav. in Pſalt. Nolite ait ceſſare (loquitur de Virgine) à laudibus ejus, & per ſingula momenta recogitate illam. Legite quod Purpuratus ille Pater, Cardinalis Oſius, ſcripſit olim
ad

ad Canisium. Non obliviscetur inquit, hujus operis tui (loquitur de eo quod supra Mariam confecit) tam sancti, Virgo Sanctissima, quam sic ornare scriptis tuis conatus es. Vultis, & vestri semper sit memor Maria? agite, calamoque simul ac linguâ illam prædicate, honorate, laudate, & ne inde animus fortè superbiâ tumescat, hæreat menti consilium illud Dionys. Carthus. Lib. 1. art. 3. de Virg. sic. loquentis. Totis viribus laudemus ac veneremur, diligamus, ac vereamur Dei Matrem, cumque hoc ipsum egerimus, recognoscamus nos nihil egisse condignum, nec beneficijs ejus posse idoneam rependere vicem. Hæc ille.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

P. Alphonsus Salmeron, è Soc: Jesu: cùm per Quadragesimam concionaretur, de Mariâ perorare solitus erat Sabbatis. P. Ioann. à Campis ex eadem Soc: nullum Sabbatum vacuum abire sinebat, quin aliquam de B. V. historiam narraret. Adde Venturinum Bergomatem Dominicanum, qui diebus Sabbati, ad maximam coronam

(ſubindè quinquaginta millium Auditorum) concionabatur de laudibus Deiparæ. An quia præceſſerunt pudet ſequi? fortè à prædicandâ Virgine, hoſtium abſterrent timores? Ah audacior contraito, ſuccurret Virgo prædicanda, quemadmodum Sacerdoti illi, de quo Cæſarius. Lib. 7. Cap. 24. Huic celebranti quodam Sabbato, Deiparæ Sacrum, à perverſis hæreticis radicitùs lingua abſcinditur, aſt poſt aliquod tempus ei apparens Maria, carnem linguæ formam habentem in manu tenens, dixit. Quia propter Fidem Filij mei, & honorem mihi exhibitum, linguâ tuâ privatus es, ecce novam tibi reſtituo; reſtituit, & diſparuit.

CAPUT DECIMVM SEPTIMVM.

VIRGO POTENS.

Amplectamur Mariæ veſtigia fratres mei, & devotiſsima ſupplicatione, beatis illius pedibus provolvamur, teneamus eam, nec dimittamus donec benedixerit nobis, potens eſt enim. S. Bernar. ſerm in Apoc. 12.

STIMVLVS PRIMVS.

COnſidera. I. Patrum teſtimonia de admiranda ſanè Mariæ potentiâ. Hailgrinus Cardinalis ſic illam alloquitur. An ignoras quòd ſis pulcherrima Mulierum, & ideò intercedendo pro peccatoribus potentiſsima. Gregorius Nicomedienſis Orat. de Oblatione Deiparæ, inquit. Nihil tuæ reſiſtit potentiæ, nihil repugnat tuis viribus, omnia cedunt tuo juſſui, omnia tuo obediunt imperio, omnia tuæ poteſtati ſerviunt. S. Bonaventura in Spec. B. Virginis C. 8. ait. Quia Dominus potentiſsimus potentiſsimè tecum eſt, ideò & tu es potentiſſima ſecum, potentiſsima es per ipſum, potentiſsima apud ipſum, ita ut verè dicere poſsis illud Eccleſ. In Hieruſalem poteſtas mea: nam in Hieruſalem, id eſt Eccleſia triumphante, & militante, poteſtatem habet Mater potentiſsima Creatoris. Amplius docet Petrus Damianus in Serm. de Nativ. Virg. dum ſic eam affatur: Quomodo illa poteſtas tuæ potentiæ poterit obviare, quæ de carne tua carnis ſuſcepit originem, accedis enim ante illud aureum huma-

humanæ reconciliationis Altare, non solùm rogans, sed imperans, Domina, non ancilla. Benè D. Ansel. Te Deus, inquit, ô Virgo sic exaltavit, ut omnia tibi secum possibilia esse donârit. Huc facere videtur quod dicit S. Antoninus, 4. parte, tit. 15. Cap. 17. §. 4. Oratio inquit ille. Deiparæ, erat nobilissimus modus orandi, tum quia habebat rationem jussionis & imperij, tum quia impossibile erat eam non exaudiri, juxta illud, quod in figura ejus dixit Salamon Matri suæ Bersabeæ 3. Regum Cap. 1. Pete inquit, Mater mea, neque enim fas est ut avertam faciem meam. Hæc S. Antoninus. Et certè Christum Servatorem dixisse semel Mariæ oranti. Impossibile est aliquid tibi denegari: refertur in promptuario Discipuli, in miraculis B. V. num 50. O potentiam Virginis! ô robur inexpugnabile! ô vires insuperabiles! Eccur igitur ô homo, ad hanc potentissimam Virginem per singula momenta non recurris? cur auxilium ejus non imploras? quod Cosmas Ierosolymitanus, appellat, Omnipotens. Audi S. Brigittam, quæ in Revel. Lib. 4. Cap. 74. in quadam visione dicit. Sanctos apparuisse, & dixisse Virgini: ô Domina benedicta, tu portasti Dominum in te, tu Domina omnium es, quid est

quod

quod non poteris ? quod enim tu vis, hoc factum est.

Stimvlvs Secvndvs.

Considera 2. Annon jure merito debeat dici hæc Virgo, potens: siquidem illa sola plus potest apud Deum, quam reliqui Sancti. Audi doctissimum Suarez. tom. 2. in 3. part. disp. 23. Sect. 2. Si cogitatione, inquit ipse, fingamus, B. Virginem aliquid postulare, totamque cœlestem Curiam illi resistere, sicut apud Danielem unus Angelus alteri resistebat, potentior esset, majorisque efficaciæ, & valoris apud Deum, Virginis, quam reliquorum omnium Sanctorum oratio. Vnde ingeniosè S. Antoninus, 4. parte tit. 15. C. 17. §. 4. ponens discrimen inter orationem Deiparæ & aliorum Sanctorum. Oratio inquit, Sanctorum, non innititur alicui rei ex parte sui, sed tantum misericordiæ ex parte Dei, oratio autem Virginis innititur gratiæ Dei jure naturali & justitiæ Evangelij, nam Filius non tantùm tenetur audire Matrem, sed & obedire, juxta illud Apostoli. Filij obedite parentibus vestris: ita ille. Et profectò si famulo suo Iosue, cum Solem stare fecit, obedivit Deus, quantò magis, præ reli-

quis Sanctis, obediet non famulæ, sed Matri, ejusque preces facilius exaudiet, quàm aliorum Sanctorũ. Gratiosè Beda hom. de S. Maria, cùm inquit, diligat orationes Sanctorum CHRISTVS, & exaudiat, multò magis Matrem suam exaudiet pro peccatoribus orantem. Quo facere videtur illud Svarij, qui ut probet intercessionem B. Virginis esse digniorem, & præstantiorem, quàm aliorum Sanctorum orationes, tomo 2. in 3. part. disp. 3. Sect. 3. ex eo probat: quia inter Sanctos non solemus uti uno tanquam intercessore ad alium, cùm omnes ejusdem sint ordinis, ad Virginem autem, tanquam ad Dominam, ac Reginam, alij Sancti adhibentur intercessores, & ita Salutationem Angelicam alijs Sanctis recitamus, ut eam pro nobis Virgini repræsentent. O si sapis. Cœlites omnes venerare, sed vel quam maximè hanc potentissimam Virginem, de qua ipsimet mali genij qui hominem insederant, gloriosissimo S. Dominico affirmarunt, unicum suspirium B. Virginis, apud S. Trinitatem, superare preces omnium Sanctorum, plusque se illam timere, quam omnes reliquos in Cœlo. Bzovius. Anal. Eccles. tomo 13. Anno 1213. n. 15. Venerare hanc Virginem, de qua Guliel-

lielmus Parisiensis in libr. Rethoricæ Divinæ, ad Deiparam sermonem dirigens, ait. Nulla creatura tot, & tanta, & talia impetrare posset apud benedictum Filium tuum miseris, quantum tu apud ipsum impetras eisdem, in quo procul dubio, non tanquam ancillam, sed tanquam Matrem verissimam te honorat. Venerare denique hanc Virginem, ejusque ad pedes sæpius in die provolutus, dic cum Methodio in Hypapantem. O Sanctissima Deipara, quæ reliquis omnibus & benignior es, & materno honore, ac cum Deo colloquendi libertate gloriosior, te obnixè rogamus, ut nostri jugem curam, ac perpetuam habere memoriam velis.

STIMVLVS TERTIVS.

Considera 3. Potentiam Virginis in dæmonem, humani generis teterrimum hostem, ex illis verbis Genesis. 3. quæ Dominus serpenti maledicens adjecit. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum. S. Antoninus, & alij, per hanc Mulierem, Deiparam accipiunt. Et quidni? nonne inter Mariam & dæmonem continuæ inimicitiæ? nonne

continuæ inter ſemen ſuum, quod eſt Chriſtus, & ſemen dæmonis, quod Ruperto teſte ſunt impij? nonne ipſa conterit caput illius, dum eum ſub pedibus ſuis tenet, virtutem ejus reprimendo, conatus irritando? Nimirum, inquit Bernardus ſerm. ſignum magnum: ipſa Virgo eſt quondam à Deo promiſſa Mulier, ſerpentis antiqui caput, virtutis pede contritura: ita ille. O quot ſerpentis hujus veneno enecti fuiſſent, nî Maria opem attuliſſet! Refert Rupertus lib. 3. de Trinitate, Cap. 20. Sibi ex fida relatione compertum, quod ſi nuda, inquit, mulieris planta, vivaciſsimum caput ſerpentis leviter preſſerit, ſtatim totum cum capite corpus interit. O quoties ad levem Mariæ tactum, patrocinium, invocationem, diſparuit dæmon, ejusque tota vis ac potentia eliſa! S. Antonio de Padua decumbenti in lectulo, faucibus interceptis ſpiritum elidere conatus eſt dæmon, ſed ad invocatum nomen Mariæ fugatus. Et D. Dominico aſſeruerunt mali genij, qui hominem inſederant, B. Virginem eſſe valdè potentem ad conſervandum ſuos famulos ne damnentur, patefacere dęmonum inſidias, plusque ſe illam timere, quam omnes reliquos in Cœlo, nil ſe poſſe contra devotè ipſi famulantes, multos in

agone per ipſam ſalvari, ſi Maria non reſtitiſſet, pridem ſe Eccleſiam eradicaturos fuiſſe. Ita refert Bzovius. Annal. Eccleſiaſt. tom. 13. Anno 1213. n. 15. Et in S. Brigittæ Revelationibus, in ſermone Angelico, Cap. 20. Angelus cùm dixiſſet nonnulla, hæc de Maria ſubjicit. Super omnes etiam malignos Spiritus ipſam ſic Deus potentem effecit, quod quotiescunque ipſi aliquem hominem, Virginis auxilium ex charitate implorantem impugnaverint, ad ipſius Virginis nutum illicò pavidi procul diffugiunt, volentes potius pœnas ſuas & miſerias ſibi multiplicari, quam ejusdem Virginis potentiam ſuper ſe taliter dominari. Pulchrè igitur Germanus Patriarcha ad B. V. Tu enim cùm habeas maternam apud eum fiduciam, & potentiam, nos tuis interpellationibus ei efficis familiares. Pulchrè idem ad eandem. Patrocinium tuum majus eſt, quàm ut intelligentiâ comprehendi poſsit. Pulchrè Cardinalis Petrus Damiani. ſerm. de Nativ. Deip. Fecit, inquit, in te magna qui potens eſt, & data eſt tibi omnis poteſtas in Cœlo & in terra. Profectò mente captus es, ſi hanc Virginem tibi ſervitijs non devincis, precibus ad te non allicis, ſi ad eam in omnibus neceſſitatibus, maximè autem mortis, ubi de ſumma

unius æternitatis agitur, non recurris. S. Richardus Epiſcopus, morti proximus, ſic ſe commendabat huic potentiſsimæ Virgini.

Maria Mater gratiæ.
Mater miſericordiæ.
Tu nos ab hoſte protege.
Et hora mortis ſuſcipe.

Mandavitque ſuis Capellanis, ut ea verba ad ejus aures pronunciare non ceſſarent. O te felicem ſi moribundus ijsdem verbis invoces Mariam! Diſce igitur ſanus, quod ſcire debes moribundus. Diſce ſi non à Richardo, ſaltem à Pſittaco, Mariæ ſuccurſum implorare. P. Georgius Stengelius è Soc. Ieſu, in ſuo Opere de judicijs Divinis. tom. 2. Cap. 14. n. XI. ait, ſe vidiſſe pſittacum qui diſertiſsimè canebat. Sancta Maria ora pro nobis.

STIMVLVS QVARTVS.

Conſidera. 4. Stupendam Mariæ potentiam, etiam in animas illas, quæ in peccato mortali ex hac vita decedunt: juſtiſsima aliàs exſtat lex, juſtiſſimi Iudicis Dei, animæ lethalis criminis reæ, ſi in eo ſta-

eo ſtatu decedant, æternis Erebi cruciatibus plectantur. O Mariæ in Deum, ejusque legem potentiam! Audi, & contremiſce. Sacerdos navigans, horasq; Mariæ tunc orans, in ipſo invitatorio. Ave Maria gratia plena, Dominus tecum: à dæmonibus unà cum navicula præceps agitur, anima ad tormenta rapitur, ſed ecce, die tertiâ adeſt Maria, inquiens: Vt quid animam famuli noſtri ita affligitis? cui dæmones. Nos debemus illam habere, quoniam in noſtris operibus capta eſt; quibus Maria. Si illius debet eſſe, cujus opera faciebat, ergo noſtra debet eſſe, quoniam Matutinas noſtras, dum vos eam permiſtis, decantabat, unde anima ad corpus revocata, & Sacerdos à Maria admonitus, adulterij peccatum quod commiſerat, caveret impoſterum. Hinc colliges annon expediat, ſi non ex amore benevolentiæ, ſaltem ex amore concupiſcentiæ, huic potentiſsimæ Virgini, ſe, ſuaque omnia penitùs tradere, commendare, eam ubiq; celebrare, laudare, deniq; asſiduum eſſe in Virginis ſervitijs, atq; operibus ad eam ſpectantibus. Tu ſi defueris, tibiq; ſimiles, ſuſcitabit Deus, vel infantes ipſos, facundos redditurus, & expeditos, ad Virginis ſervitia atque laudes: factum crede, & lege ſi placet in Kalend. Mariano.

P. An-

P. Antonij de Balinghem. 28. Febr: Pater Ignatius Martinecz, è Soc. Iesu, qui A. 1598. ex hac vita migravit, relicto sponte ob amorem humilitatis specioso munere Concionatoris, quod apud Sebastianum Regem obibat, dum quadam vice Conimbricæ in Lusitania, Catechismum publicè doceret, & nemo omnium inventus esset, qui voce altâ & publicè salutationem Angelicam recitare vellet, repentè infans sex menses natus, ab ubere matris dependens, erecto capite, articulatè & distinctè, stupentibus universis, illam recitavit. O prodigium stupendum! ô cœcitatem tuam! qui nedum vides, quantùm colere debeas Mariam. Quid? ipsi lapides eam præ te venerari velle videntur, nam teste Ioanne Nidero: in Septa Africæ Civitate, lapilli reperiuntur, in quorum uno, Ave; in altero, Maria; in tertio, Gratia plena; & cætera in cæteris visuntur, ut sic verificetur illud.

Si hi tacebunt, lapides clamabunt.



ME-

MEMENTO UT DIEM SAB-BATI SANCTIFICES.

Bene eſt. Jacta cogitatum tuum in Mariam, quidni enim à potente Virgine, humanis aliàs viribus impoſsibilia impetres? Certè B. Fredericus ex Sacro Præmonſtratenſium Ordine, precibus ad illam fuſis, vitæ reddidit puerum, abſque ſalutari lavacro defunctum; cujus imitatione mos in Hallum inolevit, etiam per Sabbata Quadrageſimæ Miſſam de B. V. cantare. O tu ſimiliter ſpecimen aliquod Sabbatinæ devotionis relinqueres, quod imitarentur poſteri! Age, & vel P: Sebaſtianum à Campo. Soc. Ieſu imitare, cui Maria gratias retulit, quod Sabbatum varijs pœnitentiæ operibus coleret. Dic annon fœlicior Achille Sebaſtianus? ille laudatorẽ habuit Homerum, hic Mariam.

CAPUT DECIMVM OCTAVVM.

VIRGO CLEMENS.

Adeò pietate replentur ubera tua ô Virgo, ut alicujus miseriæ notitiâ tacta, lac fundant misericordiæ, nec possis miserias scire. & non subvenire.

Victorinus in Cant.

STIMVLVS PRIMVS.



COnsidera. I. Ineffabilem Mariæ clementiam & misericordiam, quam recogitans Bernardus. Sermon. 4. de Assumpt. inquit. Quis misericordiæ tuæ ô benedicta, longitudinem & latitudinem, sublimitatem, & profundum queat investigare? Quod si Iob de se dicebat. 31. Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum: quidni hoc credas de ipsa Virgine, cui in sua immaculata Conceptione cum alijs virtutibus infusa misericordia, crevit semper in immensum. Iure meritò Ecclesia illi occinit: SALVE REGINA MATER MISERICORDIÆ. Iure meritò S. Bonaventura vocat Mariam in Litanijs B. V: fontem misericordiæ, mamillam parvulorum, & consolationem afflictorum: & in Hymno. Te Matrem Dei laudamus: venam misericordiæ

diæ appellat. Iure merito idem S. Bonaventura, in Speculo Virginis, Cap. 8. Maria, inquit, præterita non diſcutit merita, ſed omnibus, ſe exorabilem, omnibus clementiſsimam præbet, omnium deníque neceſsitatibus ampliſsimo miſeretur affectu. At inquies majore clementiâ & miſericordiâ olim præditam Virginem, antequam ad Cœlos Glorioſa aſſumpta. O ſcelus nefandum! quis id cogitare audeat? perpende quæ Bonaventura loco citato ait. Magna fuit erga miſeros miſericordia Mariæ, adhuc exulantis in mundo, ſed multò major erga miſeros eſt miſericordia ejus jam regnantis in Cœlo. Pondera verba Petri Damiani, ſerm. 1. de Nativit: Virg: ſic Mariam alloquentis. Non convenit, inquit, tantæ miſericordiæ, noſtram tantam miſeriam oblíviſci, quia & ſi ſubtrahit gloria, revocat natura, non enim ita memoraris juſtitiæ Dei ſolius, ut miſericordiam non habeas, neque ita es impaſsibilis, ut ſis incompaſsibilis. Nota, quod ante jam notavit peracutè Ioan. Gerſon. tract: 4. ſuper Magnificat. Docet ille. Dei Regnum duabus rebus contineri, poteſtate & miſericordiâ, poteſtatem Deo remanere, Dei Matri ceſsiſſe quodammodo miſericordiam. Proh cur ergo ad hanc tam clementem,

ad hanc tam misericordem Virginem non accedis! Omnibus, inquit Bernardus sermon. Signum magnum: omnia facta est, sapientibus & insipientibus copiosissimâ charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam, deníque tota Trinitas gloriam, ut non sit qui se abscondat à calore ejus. Accede itaque sine mora, ad hoc (sic eam vocat Andreas Cretensis) mundi propitiatorium: ad hanc (sic eam vocat S. Bonav.) venam misericordiæ: ad hanc, quæ ut nonnemo ait, est uber Ecclesiæ: ad hanc Virginem, sub cujus lingua Lex Clementię. Accede ad Mariam. Quid ad Mariam inquit S. Bernardus, accedere trepidat humana fragilitas, nihil austerum in ea, nihil terribile, tota svavis est. Revolve diligentius Evangelicæ historiæ seriem universam, & si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod deníque signum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cætero suspectam habeas, & accedere verearis. O sententiam dignam, quam in tuo corde circumferas, legas quotidie, rumines per singula momenta, & quod svadet, fideliter exequaris.

quaris.

quaris. Recurre ergo ad Mariam, nam illa salvat omnes in se confitentes, & quos Deus non vult salvare per suam justitiam, salvat per suam misericordiam, ut dicit Anselmus in serm; quin imo ut notat Meffret, de Visit. B. V. Serm. 1. quando ab alijs Sanctis, imo à Christo, propter peccata nostra relinquimur, sola Maria nos non relinquit in necessitatibus nostris.

STIMVLVS SECVNDVS.

Considera. 2. Quantam clementiam, quantam benignitatem non ostenderit pientissima hæc Virgo, Cœli terræque augustissima Regina, quando B. Alanum Dominicanum sibi desponsavit, annulumque pronubum ei dedit, è suismet capillis confectum, ut leges apud Coppensteinium Alani redivivi, part. 2. C. 4. Quando S. Brigittæ acu pingenti in opere adesse Magistra visa est, ut reperies apud Surium. Quando Hermanno, cui nomen Ioseph, dentes casu in terram excussos restituit. Quando eidem, uti apud Anton. Balingh. refertur, cum post sanguinis è vena misionem, parùm cautè se in lectulo collocasset, apparuit, & dixit; fili

caveas fili, parùm cautè in brachium, cujus vena incisa est, incubuisti: deinde brachium divinis suis manibus apprehendens, docuit quomodo sine periculo se in lecto componeret. Quando militi cuidam teste Cæsario Lib. 7. Cap. 33. comparens, ab eo sibi dari osculum petijt, stapedesque arripiens in equum ascendere jussit. Quando deniq; quieti cujusdam consulens, eum in stratum reposuit. Lege in 3. par. Chron. S. Franc. Lib. 1. Cap. 36. ubi refertur; Quendam, clementissimæ hujus Virginis studiosum, quotidie coronam ejus recitare solitum, semel propter hospitum multitudinem, quibus excipiendis occupatus, defatigatusque fuerat, cæpisse vesperi eandem recitare, attamen vel invitum somno oppressum, à B. V. & Angelis, ut melius quiesceret, in strato, ita ut erat, dormientem depositum. O dignationem Virginis! ô clementiam Mariæ! quam etiam experiri potuit, meretrix illa infamis, de qua Antonius Balingh. in Ephemeride, SS. Virg. 6. Augusti. Lege & obstupesce, rem his verbis refert. Quædam Beatrix monialis, Dei Matri erat valdè addicta, eam clericus quidam procari cæpit tanta importunitate, ut illa flammam amoris amplius ferre non posset; accedens ergo ad

Alta-

Altare B. V. Mariæ, ait ad eam. Domina quanto devotiùs potui tibi ſervivi, en claves tuas tibi reſigno, tentationem amplius ferre nequeo; & poſitis ſuper Altare clavibus, clam ſecuta eſt Clericum, quam cum violaſſet, paulò poſt abjecit. Illa ob paupertatem facta meretrix, & ita manſit 15. annis. Poſtea die quadam, habitu ſeculari, ad portam Monaſterij venit, petijtque à Ianitore, num noviſſet Beatricem quandam, hujus Oratorij cuſtodem: novi inquit, eſtque ſancta & proba Domina, & ſine querela in hoc Monaſterio ab infantia converſata. Illa hominis verba notans, ſed non intelligens, dum abire parat, Mater miſericordiæ in effigie nota ei apparens ait. Ego per 15. annos abſentiæ tuæ officium tuum ſupplevi, redi nunc in locum tuum, & age pœnitentiam, quia nullus novit exceſſum tuum. Proh Deum immortalem! quantam clementiam non ſperent innocentes, ſi tantam experiantur meretrices! nam in habitu & forma ejus, Deipara vices egerat Sacriſtanæ.

STIMVLVS TERTIVS.

Conſidera. 3. Quò non propellat Mariam

ejus

ejus in nos clementia: ad ſupremum nempè Tribunal ipſiusmet Dei, ſed Dei offenſi. Dei irati. Dei jam jam tela vibrantis in genus humanum. Miraris fortè illuſtre illud facinus, quod de Veturia Coriolani Matre, memorant Scriptores: meritò miraris; quis enim non miretur, dum audit. Coriolanus inquiunt illi, inſignis apud Romanos belli Dux, à civibus ſuis offenſus, ad Volſcos defecit, & Vrbi jam hoſtis imminebat, funditùs eam deleturus, remedia alia omnia deſperantes Quirites, Veturiam Coriolani matrem ad eum miſerunt, ut iratum Patriæ placaret; quam ubi filius aſpexit. Expugnaſti, inquit, & viciſti iram meam Patria, precibus hujus admotis, cujus utero te, quamvis meritò mihi inviſam dono, continuoque Romanum agrum hoſtilibus liberavit armis, uniusque parentis aſpectus, ut inquit Valerius Max. L. 5. C. 4: bellum atrox ſalutari pace mutavit. Ah cedat, cedat Veturia, Virgini huic clementiſsimæ, nam quidam à morte revocatus, vidiſſe ſe narravit Deiparam, toto triduo flexis genibus coram Filio pro populo deprecantem. S. Dominicus dum vigilaret, conſpexit Chriſtum Dominum contra peccatores, ſuperbiæ, cupiditati, ac luxuriæ deditos, ternas lanceas vibrantem, ſed conſpexit

ſpexit etiam hanc pientiſsimam Virginem occurrentem, quæ Filium placavit. Ipſe dæmon, ut eſt apud Cæſarium, Lib. 7. C. 2. circa annum Chriſti, 1222: ſacris adactus exorciſmis faſſus eſt, mundum ab irato vindice Deo interiturum fuiſſe, nî Divina Virgo Mater ſupplex interveniſſet: quin imo ipſe Chriſtus, S. Birgittæ revelavit, quod ſine precibus Mariæ jam nulla ſpes mundo miſericordiæ ſupereſſet. Lib. 6. Revel. 26. O Virginis in nos clementiam & pietatem! ô Advocatam Orbi terrarum utiliſsimam! ut meritò dicat mellifluus Bernardus, Serm. Signum magnum. Opus eſt mediatore ad mediatorem Chriſtum, quia licet miſericors, habet tamen judicialiam poteſtatem, nec alter nobis utilior quàm Maria. Eam tibi utilem ut & tu experiaris aliquando, maximè mortis in agone, verbis S. Ephræm. ora quotidie: Adeſto mihi nunc, & ſemper ô Virgo Dei genitrix, Mater miſericordiæ, benigna, & clemens, in præſenti quidem vitæ curſu fervens, protectrix, atque auxiliatrix, hoſtiles quoscunque impetus à me avertens, & in via ſalutis me conſtituens, ac in extremæ vitæ articulo miſeram meam animam conſervans, & tenebroſos atq; horrendos peſsimorum dæmonum aſpectus ab ea pro-

cul repellens: in tremendo autem die judicij ab æterna me damnatione liberans, & postremò in numerum justorum me referens, atq; inaccessæ tui Filij Domini & Dei gloriæ me hæredem efficias. Dic cum eodem S. Ephræm, qui in lamentatione Deiparæ, super pasione Domini, ad eandem sermonem dirigens, sic ait. Eripe, inquit, nos ó Virgo sancta atque intemerata, à quacunque necessitate ingruente, & à cunctis tentationibus diaboli. Esto nostra conciliatrix, & Advocata in hora mortis atq; judicij, nosque à futuro inextinguibili igne, & tenebris exterioribus libera, & Filij tui nos gloria dignare, ô Virgo & Mater dulcissima ac clementissima. Sic ille.

STIMVLVS QVARTVS.

Considera. 4. Quanti ipsemet Christus Dominus, Virginis Matris clementiam fecerit, siquidem ejus clementiæ nonnullos commendasse deprehenditur. Lege apud Surium 27. Septemb: vitam S. Elzearij Comitis Ariani Cap. 14. ubi Garsenda nobilis, sanctaq; fœmina, cum pro Elzeario, quem ipsa enutrierat, oraret, corporeis auribus audivit

divit Chriſtum ſibi dicentem. Iuveni huic pro quo tam multum oras, noveris me Matrem meam dediſſe magiſtram, nihil igitur de illo dubites. Lege Revelationum B. Gertrudis Lib. 4. Caput 49. ubi Chriſtus Dominus ſic Gertrudem Mariæ commendat. Recole Mater amantiſsima quot peccatoribus ego propter te ſim propitiatus, & reſpice hanc electam meam eo affectu, ac ſi omnibus diebus vitæ ſuæ tibi placita, ſummaque devotione ſerviſſet. Ad quod Virginea Mater, quaſi tota liquefacta, & in melleam dulcedinem reſoluta, ſe tota huic cum beatitudine ſua ob amorem Filij videbatur impendere. Hæc ibi. Lege ejuſdem B. Gertrudis Revelationum Librum 3. in Caput. 1. Ex ſpirituali, inquit, quadam revelatione, dum intellexiſſet Sancta Virgo Gertrudis, ſibi in augmentum meriti aliquid adverſitatis imminere, & inde ex humana fragilitate trepidaret: pius Dominus ipſius fragilitati condeſcendens, miſericordem Matrem ſuam, inclytam cœlorum Reginam illi dedit in Matrem, benignamque diſpenſatricem, ut quantumcunque nimietate adverſitatis ſupra vires gravaretur, ſemper ad ipſam Matrem miſericordiæ, ſecurum haberet recurſum, cujus interventu ſe ſciret alleviandam. O recurſum

felicißimum! ô recursum optatißimum! Christiane, Sodalis Mariane! frustra extra Mariam solatia quæris, frustra subsidia. Beata Gertrudis loco cit. Lib. 3. Cap. 1. cum valdè gravaretur quadam in re, recurrit ad Mariam, cupiens ab ea doceri, quid in hac causa magis expediret, & ab ipsa responsum accipere meruit: & quidni acciperet à clementißima Virgine? cui loquens Richardus in exposit. in Cant. Cap: 23: ait. Miserorum Mater facta es, & miseros alere misericordiæ lacte cœpisti. De qua Idiota. Longè positos illuminat radijs misericordiæ suæ, sibi propinquos per specialem devotionem accendit. De qua Bonaventura. Quis est super quem Sol non eluceat? quis est super quem misericordia Mariæ non resplendeat?

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

O Sabbata coleres! ô fidem Sabbatis haberes! quidni Cœlum clemens experireris, ubi Virginem clementem honorares? Quidam è Societate, suasit cuidam fœminæ, si liberos habere vellet, in honorem Deiparæ, Sabbato carnibus

bus abſtineret; credidit mulier, & fidei reſpondit eventus, nam uno partu geminos, marem & fœminam enixa eſt, ut refert Bonif: Hiſtor. Virg. Lib. 3. Verùm ne dum clementiſsimæ Virginis, clementiam quæris, juſtitiam reperias, fuge, quod ſubterfugere noluit Hæretica illa, de quâ Annuæ S. I. Anno 1592. quæ dum Sabbato primum carnis bolum in os ingeſsit, animam repentè egeſsit. Cave ne de te, alijsque Sabbati contemptoribus narretur. Adhuc eſcæ eorum erant in ore eorum, & ira Dei deſcendit ſuper eos.

CAPUT DECIMVM NONVM.

VIRGO FIDELIS.

Maria fideliſsima mediatrix ſalutis, veluti fideliſsima columba inter ſummum Noë, & mundum ſpirituali diluvio ſubmerſum. Bonav. Spec. C. 8.

STIMVLVS PRIMVS.

Considera. I. Fidelitatem sacratissimæ hujus Virginis, in eo quod illa muneri suo fidelissimè satisfaciat, est autem munus ipsius, miserorum salutem procurare, juxta illud S. Dionysij, qui sic visus est loqui ad B. Virginem. Regina misericordiæ, tu es cui data est omnis misericordia, & Mater Dei facta es, propter miserorum salutem, miserere igitur Regno Franciæ, tuo & meo, tuo quidem, quia habitatores ejus pro modulo suo te honorant, meo autē, quia Patronus eorum sum, tu vides quantæ animę periclitantur omni hora. Ita ille. Perpende quæso ex Patrum, gravissimorumq; Virorum testimonio, quàm diligenter, quàm dextrè hoc munus obeat Maria, de qua Salazar. Exploratum est, omnium ac singulorum hominum, majorem, ac solicitam magis curam B. Virginem gerere, quam Angeli eorum, qui ipsorum fidei specialiter addicti sunt. De qua Germanus homiliâ de Zona ait. Quis post tuum Filium ita generis humani curam gerit sicut tu? quis ita nos defendit in nostris afflictionibus? quis tam cito præveniens nos ab irruentibus liberat tentationibus? quis in supplicationibus adeò pugnat pro peccatoribus? nullus enim est, qui

salvus

ſalvus fiat ô Sanctiſsima niſi per te, nemo eſt qui liberetur à malis, niſi per te ô puriſsima, nemo eſt cujus miſereatur gratia, niſi per te ô honeſtiſsima: ita ipſe. De qua Gulielmus Pariſienſis in lib. Rhetoricæ Divinæ ad Deiparam ſermonem dirigens. An falsò inquit, & inaniter, vocat te omnis Eccleſia ſanctorum Advocatam ſuam, & miſerorum Refugium? abſit à Matre Dei quæ fontem pietatis toti mundo peperit, ut cuiquam miſerorum ſubventionem unquam deneget. De qua Cæſarius lib. 7. Mirac. Ca. 1. de Virgine. Ipſa eſt, ait ille, orbis conſervatrix, tribulatorum conſolatrix, fida ſibi famulantium defenſatrix. De qua S. Bernardus ſerm. de Aſſumpt. Sileat miſericordiam tuam Virgo Beata, qui te ſuis in neceſsitatibus invocatam, ſibi unquam meminerit defuiſſe. Idem Bern. Et quid mirum ſi invocata adeſt, quæ etiam præſto eſt, non vocata. De qua B. Eutychianus in vita S. Theophili. Quis unquam ô Beata fideliter omnipotentem tuam rogavit opem, & fuit derelictus? revera nullus unquam. De qua Idiota de Contemplatione Mariæ in prologo. Ipſa eſt Advocata noſtra apud Filium, ſicut Filius apud Patrem, imo apud Patrem & Filium procurat negotia, & petitiones noſtras.

Di-

Disce exemplo Virginis fidelitatem, quisquis officia magna aut parva obis. Disce tuo muneri fideliter satisfacere, ut moriens solatia merearis à Maria, quæ apparens B. Adulpho Franciscano, qui relicto Alsatiæ Principatu, sanctam & humilem in Francisci Ordine vitam egerat, ita confirmavit trepidantem. Quid times Fili? aut cur ob imminentem mortem angeris? veni securus, quoniam Filius meus, cui fideliter servivisti, dabit tibi coronam gloriæ. O verba! ô solatia! Sodalis Mariane, esto igitur fidelis ad mortem usque, ut audias tibi aliquando dici. Euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Certè S. Nicolaus Tolentinus fassus est moriens, sibi Christum, Mariam, & Augustinum apparuisse, & illi, inquit, mihi dicunt. Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui, quibus in verbis expiravit hic fidelis Mariæ cliens.

STIMVLVS SECVNDVS.

Considera 2. Quam luculenter Augustæ hujus Virginis fidelitas, non tantum testimonio seu opinionibus Patrum, verùm etiam ipsiusmet factis

factis probari, & demonstrari posit. Dic, amabo. Nonne fidelis ipso facto Maria, quando gratiosè corripuit mulierem quandam sibi aliàs devotam. Hæc sacrilego silentio peccatũ quoddam reticebat in confessione, sed fidelis in suos Maria ei apparuit lachrymans, quæsita de fletus causâ respondit, quia integræ conscientiæ labes non aperiret. Vide Sodalem Parthenium, Lib. 2. Cap. 3. Nonne fidelis ipso facto Maria, quando fœminam magnæ sanctitatis, de qua S. Antoninus, 3. part. Hist. tit. 23. Cap. 3. §. 1. reprehendit, quod temerè duos juvenes, ex Ordine Prædicatorum illac pertranseuntes despexisset, quasi nequaquam servare possent discurrendo continentiam, eique duos illos juvenes pro salute animarum discurrentes, sub sua chlamyde, quasi sub tanta custodia tutos ostendit. Nonne fidelis ipso facto Maria quando succurrit tentato, nam ut refert Nicolaus Lancicius tom. 2. opusc. 17. Cap. 2. Ioannes Baptista Coadjutor in Societate Iesu bimestri spatio fuerat, cum à gravi quadam tentatione ferè superabatur, adeò ut de abitu cogitationes volveret, & ecce vidit fidelem Virginem Mariam sibi adstantem, quæ eum solabatur, roburque addebat, & ut vitæ suæ conditioni acquiesceret ex-

hortabatur, utque in ea perseveraret commonebat, æternam quippe salutem in ea consecuturum. Qua visione erectus, firmiter in ea vocatione perstitit, & alias graviores visibiles diaboli tentationes superavit. Nonne denique fidelissima ipso facto Maria, quando clientes suos tutari non dedignatur. Idem enim Lancicius hæc affert. Tom. 2. Opusc. 17. de præstant. instit. Societ. Iesu Cap. 2. Cum Bransbergæ in Prussia, Saga ope diaboli, esset noctu vecta per aërem, & intra Collegium illata, & videre cuperet quomodo Societatis homines suis in cubiculis cubarent, quamvis videret portas cubiculorum apertas, nullum tamen prorsus videre potuit jacentem, eò quod Deipara, Matronæ venerandæ specie apparens, pallio suo expanso, aspectum illius omnem impediret. Disce Christiane fidelitatem à Virgine. Disce fidelis esse non verbis sed factis ipsis. Ah exulent procul, exulent à Schola Mariæ, Nominales, hoc est, qui verba amant, & non facta.

Stimulus Tertius.

Considera 3. Fidelitatem hujus Virginis in recompensandis sibi præstitis obsequijs, quam

citò & humanitèr recompenſet, adeò ut dicat S. Bernardinus. Eſt autem hæc glorioſiſsima Virgo, ſummâ humanitate & comitate prædita Regina, nec poteſt ſalutari ſine humaniſsima ac benigniſsima reſalutatione, etenim ſi millies Ave Maria dicas in die devotè, millies à Virgine reſalutaris; ita ille in ſer. fer. 3. poſt Dom: Oliv. Quod teſtimonijs facilè confirmare poteris. S. Bernardus Mariæ imaginem præteriens, ſalutat illam inquiens. SALVE MARIA: & ab illa reſponſum accipit. SALVE BERNARDE. Adamus de S. Victore, quia B. Virginē ſalutaverat.

Salve Mater pietatis,
Et totius Trinitatis
Nobile Triclinium.

viciſsim ab ea ſalutem & gratias audire meruit S. Bonitus Arvernenſis Epiſcopus, poſtquam B. Virginis imperio rem divinam feciſſet, in laboris prœmium veſte donatus eſt miri candoris; & ut alia prætereas, hoc penſiculatius recogita. E Divi Auguſtini Familia Religioſus Canonicus, dum ægrotans Deum judicem cui propediem ſiſtendus erat, timeret, conſpicuam habuit Virginem hanc fidelem, ſibi dicentem. Confide fili, tu mihi toties, & tanto affectu SALVE REGINA decantaſti, faciam

quod illic petebas, & Iesum benedictum fructum ventris mei post hoc exilium ostendam. O fidelitatem Virginis! Ama Christiane tam fidelem Virginem. Huic uni præ omnibus in hac terra degentibus plurimum, imò ei tantum fide, nam maledictus homo, qui confidit in homine. Fide huic uni Virgini, plusquam reliquis cælitibus, eamque præ illis invoca. Pulchrè Abbas ille de quo Vincentius C. 89. Qui dum in medio maris Britannici advertisset, tempestate agitatos, invocare quidem nonnullos Sanctos, sed neminem Mariam. Quid est, inquit, quid agitis Fratres, quid cæteros qui minus possunt tantum invocatis, & ipsam quæ plus omnibus potest omittitis? bonum quidem est quod facitis, sed multò melius esset, si omnes una voce Matrem misericordiæ inclamaretis. O inclamaremus! quam fidelem experiremur cum religiosissimo P. Martino Gutieres, qui dicebat, nihil se unquam Virginem rogasse, quod non exorasset. Cum Angelico juvene Ioanne Berchmans, qui si quid à B. V. petebat, inscribebat chartæ, addebat preces. &c. subjiciebat pedibus imaginis Marianæ, impetrabat.

STIMV-

STIMVLVS QVARTVS.

Considera. 4. Cùm adeò ergà nos fidelem sese exhibeat Maria, nostraq; emolumenta ei adeò sint cordi, annon æquum & justum sit, fideles quoque persistamus in Marianis obsequijs. Placent fortè Mariani amplexus? esto ergò fidelis Mariæ; nam Thomæ à Kempis adhuc juveni apparuit quõdam in Schola hæc eadem Virgo, sed ei ob ruptam fidelitatem, intermissasque consuetas preces, amplexum indignabunda negavit, quo reliquos omnes condiscipulos dignata fuerat. Horres monstruosas apparitiones, turpioresque vultus? fidelis esto Mariæ, quæ S. Hermanno, Ioseph cognominato, cùm nonnihil remisisset de obsequiorum erga eam penso apparens, non formosa ut solebat, sed anili figurâ, & fronte rugis deformatâ, dixit. Ecce talis appareo, qualis tibi jam sum, tempora illa requiro, inquibus me millies memorabas, salutabas, laudabas, nec te pudet in hac re esse remissum mei memoriâ senescente? At magis fortè times plagas & verbera? fidelis esto igitur, ne aliàs contingat, quod S. Edmundo negligentiori in devotione erga Mariam, & Divum Ioannem, noctu enim vidit S. Evangelistam,

ſibi ferulam intentantem. Perpende acerbiſsimos ferulæ hujus dolores, quos ne experiaris aliquando, ſuſcepta in honorem Virginis obſequia, ad mortem uſque continua, non libertinus amplius, ſed mancipium Mariæ, inſtar Walteri de Birbach, Viri nobiliſsimi, de quo Cæſarius Lib. 7. Hiſtor. memorabil. Cap. 39. ait. Conſiderans Walterus tanta circa ſe Beatæ Dei Genitricis beneficia, in tantum illius amore accenſus eſt, ut in quadam paupere Eccleſia in ejus honore dedicatâ, conſcio ſacerdote, fune collo ſuo injecto, ſervum glebæ, SIVE MANCIPIVM ſe illi ſuper altare offerret, ſolvens ſingulis annis cenſum de capite ſuo, qualem ſervi originarij ſolvere conſueverunt. Rumina ly ſingulis annis, & velut apis mellifera, ex tam dulci flore non aliud ſuge quam fidelitatem erga Mariam, memor illius.

Frangenti fidem, fides frangatur eidem.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

Dicite amabo. Annon fidelis in ſuccurrendo Maria? dum enim Veronæ, ſcalis admotis, Sodalis quidam aſcendiſſet (Sabbatum erat) ut ante Virginis fide-

fidelissimæ imaginem, Sabbatinam lampadem instrueret, accenderetq; : mirum dictu! ruentibus scalis, & ipse ruisset, nisi protensa ex imagine Virginis cœlestis manus, scalas detinuisset. (Annuæ.) Quid vos ad hæc Sodales Parthenij? pudebit imposterum per scalas ascendere ad Mariam, licet ab auro, argentoque toti splendeatis?

CAPUT VIGESIMVM.

SPECVLVM JVSTITIÆ.

Sit vobis tanquã in imagine descripta vita B.M. de qua velut in speculo refulget forma virtutis: hinc sumatis licet exempla vivendi.

S. Ambrosius Lib. 1. de Virgin:

STIMVLVS PRIMVS.

Consi-



Onſidera. I. Quam aptè Virgini Sanctiſsimæ accommodentur illa verba. Sap. 7. Speculum ſine macula &c. Speculum eſt illa, ſed ſpeculum ſpirituale: ſic eam vocat Andreas Archiep. Hieroſolymitanus. Speculum eſt illa, ſed ſpeculum humilitatis: ſic eam appellat Alanus. Speculum eſt illa, ſed ſpeculum ſanctitatis: ita eam nominat. S. Laurentius Iuſtinianus. Speculum eſt illa, ſed ſpeculum animatum, dignum verbis Andreæ Hieroſolymitani adſalutari in ſerm: &c: de Salutatione Angelica. Salve inquit, contemplativæ cognitionis purum intellectuale ſpeculum, per quod celebres ſpiritus Prophetæ, incredibilem Dei ad nos deſſenſionem myſticè adumbrarunt. Tu ſimilitudinem quæ inter hoc myſticum ſpeculum, & quodcunque aliud intercedit diligentius recogita. Ex quidem ſi ſpeculi materialis inventorem quæris, fuit is teſte Plinio, Lib. 33. C. 9. Praxiteles magni Pompei ætate, qui primus argentea Specula feciſſe refertur, quibus ſucceſſère alia incertis tamen Auctotibus ex ferro, plumbo, cryſtallo, vitro, miſtisque materijs. At illius Author & inventor Cœleſtis Praxiteles Deus: undè D. Bern. in ſer. 2. de Annun-

nun: habet. Virginēm nec noviter, nec fortuitò inventam, ſed à ſæculo electam, ab Altiſsimo præcognitam & ſibi præparatam. Si finem ſpeculorum ignoras, audi Senecam Lib. 1. natur. Quæſt. C. 17. Inventa, inquit, ſunt ſpecula, ut homo ipſe ſe noſceret. O quot ad hoc Speculum juſtitiæ ſe infelices aut beatos agnovêre! refert P. Ioan. Bonifacius Lib. 4. de B.V. Hanc adoleſcenti infirmo adfuiſſe, & in tabula præferendo ejus nomen, & aliorum quorundam aureis literis, addidiſſe, migrandum ad Cœlites, poſt exactū breve aliquod ſpatium in igne purgante. Quod ſi nonnullos ſpeculorum effectus ſcire aves. Annon admirandus ille, quando Romanis Syracuſas obſidentibus, Archimedes ſpeculorū ſubſidio, hoſtium naves incendit? Aſt Divinus Archimedes Deus, proh quot mortalium corda hoc Speculo juſtitiæ non accendit ad juſtitiam! quæ velut naves iniquinamentis onuſta, plenis velis, orcum verſus navigabant. Et quidni accendiſſet, cum de Maria loquens Bernardus dicat. Solem ſibi Virgo induit. Pondera amplius. Añon ſtupendus effectus, celebris illius ſpeculi (Smyrnēſe vocant) quod egregias quaſque ſpecies, deformes admodum, aſpectúque horribiles reddebat. Verùm longè melius

id præſtat, hoc ſpeculum juſtitiæ: crede id vel adoleſcenti illi, de quo Vincentius Epiſcopus Belluacenſis. Speculo hiſtor: Lib. 7. Cap. 87. Hic ingreſſus templum cum annulo, à quadam Virgine quam deperibat acquiſito, ubi coram B. Virginis imagine ſubſiſtens, ejusque pulchritudine captus, ac in alium & novum hominem mutatus, ſic eam compellat. Verè in omnibus formoſior es quam illa, quæ mihi annulum hunc amoris munere condonavit, ideoq; ei renuntio, teque deinceps amare, & tibi deſervire decerno. Annulum itaque Marianæ iconis digito inſerit, quo accepto, mirabile dictu! digitum ſuum imago conſtrinxit. O efficaciam myſtici hujus Speculi! ô effectus prodigioſos! hoc Speculum ſæpius in die inſpice mi Chriſtiane, qui visâ mundi vanitate, & turpitudine, ei velles dicere, Vale.

STIMVLVS SECVNDVS.

Conſidera. 2. Quàm præclara, quàm illuſtria ſint ſpecula illa, quæ natura artem præcurrens hominibus ſubmiſit. Annon inter ea præſtantiſsimum ſpeculum, aqua ipſa, quæ in repræſentando humano vultu nullam committit fraudem, & ab

Ariſto-

Ariſtotele naturale ſpeculum appellatur. Verùm cedat gratiæ natura. Cedat Mariæ omnis quamvis limpidiſsima unda, nam nec ſuæ, eæque cryſtallinæ undæ deſunt Mariæ. Hinc S. Bernardinus tom. 1. Concione 61. art. 1. Cap. 1. docet. Mariam eſſe fontem hortorum, & puteum aquarum. Hinc S. Ephræm. Orat. de Laud. Deip. ipſam fontem gratiæ, & totius conſolationis appellat. Hinc Methodius orat. in Hypapantem, eam vocat Bethlehemiticam illam ciſternam ex qua immortalitatis poculum emanavit. Felix profectò, & à prudentia nimium inſtructus ille, qui ut nævos ſuos in ſe melius videat, ſæpius in die hanc ciſternam inſpicit, has ſalutares undas intuetur. Proh quæ ibi non cernet! ibi cernet Mariam humilem, ut meritò Bernardus Serm. 4. de Aſſump. dicat. Vnde tibi tanta humilitas ô Beata; ſe autem arrogantem & ſuperbum: ibi cernet Mariam liberalem, aurumque ſibi à Magis oblatum, per Ioſeph pauperibus diſtribuentem, ſe autem parcum tenacemque: ibi cernet caſtam Mariam, quæ teſte Angelico Doctore, virginitatem Deo voverat, ſe autem impurum & luxuriæ deditum: ibi cernet Mariam, quæ absque invidiâ, ut obſervat S. Ambroſ. Lib. de Virginibus, ſe autem

plenum illâ; ibi cernet se voracem & gulosum, Mariam verò temperantem in cibo, ut meritò dicat de ea S. Ambrosius. Quid exequar ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam, alterum supra naturam superfuisse, alterum penè ipsi naturæ defuisse, illic nulla intermissa tempora, hic congeminatos jejunio dies, et si quando reficiendi succesisset voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias ministraret: ibi cernet se impatientem & litigiosum, Mariam verò mitem & patientem, quæ de semetipsa dixit olim S. Brigittæ, Lib. 6. Revel. Cap. 61. Ego post Ascensionem Filij mei, longo tempore vixi in mundo, & hoc voluit Deus, ut visâ patientiâ meâ, & moribus meis, plures animæ converterentur ad eum, Apostoli Dei, & alij electi roborarentur: ibi denique cernet seipsum in divino obsequio, & salute animæ suæ negligentissimum, Mariam verò in Dei servitio adeò ferventem, ut teste Alberto Magno quolibet tempore meruerit. Apposite huc Aristoteles Polit. 8. Cap. 6. & Plutarchus in Lib. de non irascendo n. 20. memorant. Minervam adeò tibiæ cantu oblectatam, ut nunquam parere voluerit Satyro, ab hoc genere cantus supersederet monenti, & toties illi indecoram
oris

oris inflationem exprobranti, donec in amne quodam veluti in ſpeculo, vultus ſui ſpeciem canendo vidiſſet, atque ad ejus deformitatem exhorruiſſet, quare tibiam abjecit. Appoſitè etiam huc Plato, qui iratis, ebrijsque ſuadebat, ut ſe in ſpeculo ita affectos intuerentur, viſâque totius faciei turpitudine, iram & ebrietatem vitarent. Appoſitè iterum Zeno apud Laert: Lib. 7. C. 1. qui ad ſpeculum adduxit adoleſcentem, curioſas quasdam quæſtiones proponentem, monuitque ut vultum ſuum in illo aſpiceret, tum interrogavit, deceretne ejus formæ & ætatis hominem talia ſciſcitari? O Chriſtiane quid non videres ad hoc aqueum Speculum! quid non amares! quid non horreres ad hoc Speculum juſtitiæ! ſiquidem teſte S. Ildephonſo. Serm. 3. de Aſſumpt. Virginitas & vita Beatæ Mariæ, ſpeculum & ſpecies fuit totius caſtitatis, & integritas virtutum, decus pudicitiæ, & magiſterium valdè eximium probitatis, in qua rogo videant Virgines, quid vitare, quid corrigere, quid tenere debeant honeſtatis.

Stimulus Tertius.

Conſidera. 3. Quàm ingenioſum ſtratagema illud

illud, cujus meminit Ludovicus Vives in Schol. ad S. Auguſt. de Civit. Lib. 18. C. 13. dum refert. Eos qui baſiliſcum absque periculo ſuo interimere volunt, ſe totos undiq; ſpeculis contegere, atque propius ad eum accedere, qui cùm ſe in illis expreſſum intuetur, vi venenatorum radiorum, ex oculis ejus prodeuntium, & in illum ipſum à ſpeculis reflexorum, perit. O induſtriam! ô artem ſanè ingenioſam! dignam quam æmulentur omnes, imprimis autem Artium liberalium Studioſi. Agite igitur, & ubi contra hoſtes viſibiles aut inviſibiles procedendum, Speculis juſtitiæ, hoc eſt Mariæ ſacris pignoribus, roſarijs, ſive iconibus, vos totos tegite, & armamini. Certè ex Indijs Occidentalibus, ut notatur in Kalend. Mar. 28. Ian. accepimus. Inſulam eſſe Cubam, in qua Regulus quidam, multas victorias eſt conſecutus, adverſus finitimos populos, non aliâ ratione quam quod uſus Chriſtiano quodam copiarum ſuarum Duce, ille autem pergebat in hoſtes geſtans in pectore imaginem Virginis, ac protinus illos in fugam verſos ſuperabat. O Chriſtiane! Chriſtianum non imitaberis? O Sodalis Mariane! absque Mariæ icone audebis vel pedem movere? Habe ſi ſapis in delicijs illud quod de P. Thoma Saillio

Soc.

Soc. Iesu refertur. Domo egressurus, non ante ex cubiculo pedem efferebat, quàm genua flexisset, & oscula impresſisset sacræ Marianæ statiunculæ, quæ crucifixo Filio in oratorioli sui arâ astabat, eoque ritu solebat ab ea maternam benedictionem supplex postulare. Audi pro coronide Lanspergium, in ordinario brevi, manu scripto, de ratione vivendi Carthusianorum, sic monentem. Persoluto Sacro, & redditis debitis gratijs rediens ad cellam, ad imaginem B. Mariæ, (quæ custos juxta fores cellæ tuæ vigilat)paulisper subsiste,aut si festinato intrandum est, dum clavi reseras ostium, ora Matrem Dei ut te adoptet, teneat, posſideat in filium. Cellam ingressus, primum sit, quod ante omnia facias, ut in Oratorio ad orationem procidas, Beatam Mariam tuæ cellæ Patronam ac Dominam salutaturus: dic ergo mente devota unum Ave Maria. Hæc ipse. O monitum sanctisſimũ! ô consilium salutiferum! ó sacro politicum! qui ejusmodi speculis contra venena Erebi sese tutatur: quidni venena omnia effugiat ope Mariæ? ita S. Theodorus Conf. de quo Surius 22. Aprilis: venenum, impiorum invidiâ mistum, Reginę Cœlorum benevolentiâ superavit. Quidni ad hoc Speculum pereat orci basiliscus? juxta ver-

ta verba S. Davidis. Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus. Ps. 14.

Stimulus Quartus.

Considera 4. Quàm benè nonnullæ aliæ speculorum proprietates, huic Speculo Iustitiæ conveniant, siquidem multiplicem illam differentiam speculorum, quod alia sint plana, alia concava, alia convexa, in se gratiosè continet Maria. Annon speculum planum Maria? cum de ea asserat Damianus serm. de annunciatione, quod omnem ignoret nodositatem. Annon Speculum concavum Maria? adeò ex passione filij doloribus attrita, ut nisi à Deo præservata fuisset, mori debuisset, Anselmo teste de excell. Virg. C 5. Annon Speculum convexum Maria? quæ in tantam altitudinem assurrexit, ut de ea canat Ecclesia. Exaltata est Sancta Dei Genitrix super choros Angelorum ad cœlestia Regna. Quod si ea est speculorum proprietas, ut experientia testis docet, eas vultuum apparentias monstrare, qualia ipsa sunt archetipa, nitidas videlicet nitentium, tristes tristantium, ridentes ridentium, deniq; talem te exprimere qualis tu ad ipsa accedis,

ſive pulcher, ſive deformis, nudus, ſive veſtitus &c. vide amabo, annon hoc ipſum ad vivum exprimat Speculum juſtitiæ? nam Hermanno, de quo ſupra: negligentiori ſiue quaſi ſeneſcenti in obſequio Mariano, etiam ſenex comparet ipſa Maria, ſenium Hermanni in ſuo vultu referens. Verùm minimè hîc negligenda reflexio illa Ioan: Raulini. Speculum, motum repræſentare, non ſonum. Age itaque Chriſtiane, Age Sodalis Mariane, & teipſum totum quantũ effunde, non in verba ſolùm Mariã loquentia, ſed in motum & operationes, quas olim illa tibi morienti grata repræſentet. Age, & ſi coram ſpeculo concavo didiciſti te pedes habere ſurſum, etiã illos cœlum verſus move, coram hoc concavo, myſticóue Speculo Iuſtitiæ. Age deníque, & ſi verum eſſe dubitas, quod affirmat Simon Majolus Colloq: 13. aut 23: nimirum, in ſpeculo ſi ſub dio mergatur in aqua, repræſentari horis diurnis ſtellam quandam, licet nulla in cœlo ſtella compareret, tu ut re ipſâ verum eſſe deprehendas, ſume Speculum Iuſtitiæ, hoc eſt adhære Mariæ, eam cole, eam venerare ad mortem uſque, tenerrimisque affectibus, quotidianis tuis lachrymis, ejus imaginẽ immerge, fiet ut per omnes æternitatis horas videas in SPECVLO IVSTITIÆ, STELLAM MARIAM.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

UT ex fabulâ, ſalutarem pro Sabbato doctrinam eruas, audi quæ de Iudæis recenſet Lib. cui titulus. Annus Marianus. Nugantur inquit ille, quòd Sabbato quovis, Iudęo cuivis comes bonus Angelus benè precetur pro totâ ſequente hebdomadâ, ſi omnia Sabbato benè compoſita reperiat: ſi verò malè ſint compoſita, malus genius malè illi precatur: Hæc ibi. Tu à fabulâ ad rem. Tu Sabbato maximè, ne pro benedictione maledictionem recipias, ad hoc Speculum juſtitiæ te compone, & quam pulcherrimè potes exorna. Ita fecit Ioan: Chetelius, ut refert Th. à Kempis Lib. de Ill. Flor. diſcip: nam omnibus Sabbatis in Deiparæ memoriam, longum quoddam linteum induebat, eoque apparatu Sabbatum inter culinæ munia celebrabat.

CAPUT VIGESIMVM PRIMVM: SEDES SAPIENTIÆ.

Quid non ſapiebat Maria, in qua Dei ſapientia latebat. S. Bernardus.

Stimvlvs Primvs.



Onſidera. I. Quàm profunda Sapientia in hac pretioſa Sede recondita fuerit, ſiquidem in ea requievit ille, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Coloſſ. 2: ſiquidem præter illam ſubſtantialem æterni Patris Sapientiam, quam novem menſibus Maria in puriſſimo ſuo utero geſtavit, continuit in ſe altiſsimam rerum humanarum Divinarumque ſcientiam, ſunt enim Suarez. 3. p. q. 37. art. 3. dis. 19. Sect. 3. & alij graviſsimi Doctores, qui B. V. ſcientiam per ſe infuſam tribuendam eſſe cenſent, quâ res ſpirituales, & à ſenſibus remotas per ſpecies proprias independenter à phantaſmatibus agnoſcebat; ſed audi Albertum Magnum in Mariali. qui de B. V. ait. Cognoſcebat inquit, perfectè & intuitivè animam ſuã, & animæ ſuæ motus & actiones: cognoſcebat item per proprias ſpecies Angelos, dæmones, corporum ſubſtantias & eſſentias, ac demum omnia naturalia,

omnia etiam bona & mala. Audi Andream Cretensem in Orat. de Annunc. Consentaneum est inquit, eam utpotè nobilem, & Davidis Filiam, Divinarum Scripturarum non fuisse ignaram. Audi Epiphanium Præsbyterum Constantinopolitanum, in vita B. V. sic de ea loquentem. Erat in sapientia, & intelligentia super omnes illius sæculi adolescentulas cunctis admirationi. Et quis nõ admiretur Mariam, quæ in naturalium rerum cognitione nullum errorem, aut ignorationem propriè dictam habuit. Tantæ sapientiæ claritas, ut leges in Bernardino. Tom: 2. Serm. 51. art. 1. Cap. 2: à Deo superinfusa est Virgini, quod hæc septem secundùm quosdam perfectè intellexerit. Primò. Naturam creatam irrationalem. Secundò. Naturam creatam rationalem. Tertiò. Naturam creatam spiritualem. Quartò. Increatam Divinalẽ. Quintò. Omnia ea quę rant fugienda & spernenda. Sextò. Omnia ea quæ erant sequenda & amplectenda. Septimò. Per quem modum, & ad quantum gradum omnia essent odienda vel diligenda. O Sedem verè admirabilis sapientiæ, in qua profundissima latent mysteria! Quid illa, inquit S. Anselmus, de Deo non sentiebat, & sapiebat, in qua Sapientia Dei latitabat? quæ profun-

profundiſsimam: ita de Maria teſtatur S. Bernardus. Serm. Signum magnum; Divinæ Sapientiæ, ultra quam credi poteſt, penetravit abyſſum, ut quantum ſine perſonali unione creaturæ condicio patitur, luci illi inacceſsibili videatur immerſa. Et certè ſi Deus nonnullis ſuorum ſervorum occultiſſima ſubindè pandit arcana; ſi Alphonſus Rodriquez, ſimplex quidem, ſed devotiſsimus Laicus è Soc: Ieſu, aliquando raptus in Deum, vidit omnes Beatos, eosque ex nomine cognovit, aliaque de ijs ſigillatim intellexit, quaſi cum ipſis in omni vita ſua tractaſſet, quid non conceſſum Matri à Filio? Deiparæ à Deo genito? Suarez ait T. 2. in 3. p. dis. 20. Sect. 4. Virginem omnes & ſingulas res in Verbo videre, quas reliqui Beati ſimul in illo contemplantur. Deinde addit. Piè & probabiliter colligo, Beatam Virginem videre in Verbo, quidquid Deus videt ſcientiâ viſionis, ijs ſolum exceptis, quæ ſingulariter ad Chriſtum, & ad interiores animi ejus cogitationes ſpectant. Epiphanius Or. de laudibus ejus, vocat B. V. multoculam, & Cherubinis comparat, quos Ezechiel, & Ioannes, plenos oculis deſcribunt: ſcilicet ad ſignificandam multitudinem rerum, quas in Deo videt. O ſcientiarum amatores!

adeſte,

adeste, & qui ad sublimes scientias aspiratis, ad hanc Sedem die noctúve studete, hæc Sedes librum suppeditabit, imò ipsa liber est, ex quo reconditas hauriatis doctrinas. Librum esse dubitatis? Credite S. Antonino. 4. part. tit. 15. Cap. 5. qui Mariam ait esse librum illum grandem Isaiæ, ubi scriptum est Verbum incarnatum. Credite Andreæ Cretensi, Orat: 2. de Dorm. Mariam sic alloquenti. Tu es inquit. Liber verè vivus ejus, qui in te tacitè fuit inscriptus. Credite Georgio Nicomediensi Antistiti, qui Mariam Librum obsignatum appellat. Simeoni Metaphrastes, qui de ortu & dormitione Mariæ, eam nominat arcanam & occultam historiam. Credite deniq́ue Damasceno, Orat. 2. de dorm: qui Mariam vocat, volumen novum, in quo ineffabiliter DEUS Verbum sine macula scriptum fuit. Hoc volumen si asiduè volvatis, Cœlo, terræ, q́ue, novos creatis Doctores.

STIMULUS SECUNDUS.

Considera. 2. Ex hac Sede Sapientiæ, veluti copiosissimo fonte, quàm copiosa etiam, limpida & crystallina profluxerit sapientia atq́ue doctrina

ctrina. Hinc suam doctrinam hausit B. Albertus Magnus, cui ob ingenij defectum, fugam è Monasterio paranti apparuit Maria, fecitque in Philosophicis & Theologicis scientijs scientissimum. Hinc Hermannus Contractus, & Rupertus Abbas Tuitiensis, ambo Benedictini, adeò biberunt, ut ruditatem & inscitiam perpotantes, in Viros doctissimos evaserint. Hinc Ignatius Loyola Societatis Iesu primus Parens, suxit illa per totum Orbem celeberrima Exercitia, plena spiritu & doctrinâ cœlesti, nam à Maria in ijs faciendis benignè adjutus, doctusve fuit, uti ipsemet Archangelus Gabriel, personæ cuidam ea aggredienti revelavit: in vita Aluarez. Cap. 43. Hinc gratiam miracula faciendi & prædicandi accepit Bernardinus Senensis, nam ei apparens Maria dixit. Ecce quia me hac coronâ quotidiè honorasti (solitus erat illam percurrere) impetravi à Filio meo tibi gratiam miracula faciendi & prædicandi: & sic ab illo tempore cœpit miraculis coruscare, & magis gratijs abundare. Hinc insignem concionem desumpsit D. Dominicus, cui concionaturo apparuit eadem Virgo. teste Alano L. de dignitate Rosarij Cap. 18: afferensque libellum ex quo concionaretur, dedit, & dixit. Dominice etsi bonum

num eſt quod paraſti, ſermonem tamen longè meliorem attuli. Hinc inſtructionem ſuam B. Raynerus Dominicanus, nam ut refert Arnoldus ad Molanum. Cùm ille in fide eſſet dubius, & an Iudæus, an Gentilis fieri deberet, ambigeret, apparuit ei Maria, & in vera fide illuſtratum confirmavit. Imò ſi altius oculos attollas, videbis Oraculum Apoſtolorum, quod illi in fidei controverſijs conſulebant, omniumque noſtrûm, extitiſſe Mariam, nam Rupertus affirmat, Chriſtum in cœlum aſcendentem, reliquiſſe nobis Mariam in fidei, vitæque Chriſtianæ Magiſtram. Teſtatur verò S. Anſelm: de excell: B. V. C. 7. & Metaph. Mariam cum myſteriorum à Spiritu Sancto patefactorum fuerit ſcientiſsima, etiam Apoſtolis pleraque ex eis tradidiſſe & expoſuiſſe. Rupertus exiſtimat, Cant. 1. omnem illam Legalium quæſtionem (de qua Act. 15.) definitam fuiſſe à Maria, non quidem ita quaſi illa Concilio interfuerit, ſed quia conſulta privatim ab Apoſtolis, prima ſententiam hanc pronunciârit. Denique ab hac, Divum Lucam, ſeriem Evangelij didiciſſe, tradunt Scriptores. Et quid non addiſcerent mortalium quique à Maria! ſiquidem Rupert: in illud. Cant. 1. Introduxit me Rex in cellaria ſua: ex perſona

ſona Virginis ait. Et quæ ſunt inquit, illa cellaria Regis Dei? nimirum ſacra myſteria quæcumque continentur in Scripturis ſanctis: nihil enim à me abſcondit, ſed omni dulcedine ſuâ me inebriavit: qui enim Verbum ſuum quod erat, & eſt in corde ſuo mihi totum infudit, quomodo non etiam cum illo mihi omnia donavit? Hæc Rupertus. Quarè meritò de ea occinere poſſumus illud Bernard. in Salve. Virtutum auctrix & ſcientiarum ſcientia ſanctarum Maria, quia ſicut Sol univerſa Cœli lumina præcellit prærogativâ claritatis eximiæ, ſic tamen rationalem creaturam poſt Filium excellit ſplẽdore virtutis ac ſcientiæ. Inveſtiga diligenter, cur tu ad hanc Sedem Sapientiæ, & primam ſcientiæ Cathedram huc uſq; nil didiceris, an ideò quia ut ait Sapiens C. 1. In malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.

Stimulus Tertius.

Conſidera. 3. Devotam prudentiam, & prudentem eorum devotionem qui ſæpius ad hanc Sedem Sapientiæ accurrunt, juxta illud. 2. Paralip. C. 20. Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc

ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te. Nam doctiſsimorum Virorum experimento compertum eſt, maximas ſcientiarum difficultates, & nodos, invocatâ Mariâ ſuperari, adeò ut meritò pro falſa illa ſcientiarum Præſide Minervâ, à doctis omnibus colendam, & appellandā doceat Iſidor⁹. Ita S. Catharina filia S. Brigittę, quæ ſi ad interrogata reſpondendum, aut aliud quidvis agendum, prius ſalutatione Angelicâ (ut eſt apud Surium in vita) Sanctiſsimæ Virginis auxilium depoſcebat. Eam magnus Ignatius Loyola habebat quaſi à conſilijs, præſentem ſibi ſæpius, neque illâ inconſultâ quicquam aggrediebatur. Franciſcus Suarez omnia ſua dubia, inter ſtudendum occurrentia, ſolitus erat cum Maria conferre, cumque reſolutionem acceperat, ſæpè viſus eſt, genua flectere, eique gratias deferre. Sed lege quod Ioan. Bourgheſius. in Lib. Societas Ieſu Mariæ Sacra. Cap. 28. ſic refert. Henricus Delſom Andomari temporalis Adjutor, cum primùm Societatem inijt, adeò rudis erat & hebes, nullâque memoriâ, ut magnoperè lugeret ſe nihil rerum ſpiritualium ediſcere, ac memoriâ complecti poſſe, quarè vehementer afflictus die quadam coram imagine Sacratiſsimæ Virginis proſtratus, corpus,

pus, animum, corporis ſenſus, animi vires, ac facultates Sacratiſsimæ Virgini ad perpetuum ejus offert obſequium: ex eo tempore, ita rerum ſpiritualium evaſit intelligens, ut conciones integras memoriâ retinere, easdemque multis poſt annis reddere, ac recenſere poſſet, tantoque animi ſenſu de B. Matre, diviniſque rebus loquebatur, ut graves Theologi dicerent, eum velut è puteo profundiſsimo jugiter haurire ſenſus rerum cœleſtium admirandos. Hæc ibi. O ſi tu quoque coram imagine Virginis ſic te explicares! ô ſi tu ad hanc Sedem Sapientiæ cum tuis dubijs accurreres! S. Ildephonſus Archiepiſcopus Tolet. reperit quondam in templo, in cathedra, unde is ad populum erat ſolitus concionari, Mariam Virginem. Vis tu à Maria è Doctorali Cathedra doceri? clama ad Deum cum Scripturâ. Sap. 9. Da mihi ſedium tuarum aſsiſtricem Sapientiam, mitte illam de cœlis ſanctis tuis, ut mecum ſit, & mecum laboret, ut ſciam quid acceptum ſit apud te. Imitare S. Edmundum, qui coram Virginis imagine ſtudebat die noctuve. Fac quod ſuadet Bernardus. In rebus dubijs Mariam cogita, Mariam invoca. Advola eò, ubi palam docet Chriſtianę Religionis Magiſtra, ſic Mariam compellat Ignatius Martyr, nem-

pè ad Sodalitium Marianum, ſcholam profundiſsimarum ſcientiarum: ſed cave amplius recedas, ne tibi contingat, quod juveni illi, de quo Lechner in Sodali Parthenio L. 3. C. 3. Audi quæ ibi recitat. Expunctus ille ob liberiorem vitam, dum quadam nocte è lectulo ſurrexiſſet, & fæculenti libelli lectione diſtineretur, adeſt Gigantea mulier, monſtrum horrendum, horrido vultu, hiſpidoq́ue habitu, manibus pedibusq́ue in ungues deſinentibus, & Mariam inclamanti, ait. Fruſtra fruſtra eam appellas, à quâ ubiSodalitium deſeruiſti, viciſsim deſertus es, meæq́ue poteſtati concreditus. Meminiſti hæc & illa ſcelera toties & toties à te perpetrata, (enumerat ea.) ob hæc & ſimilia demerita mihi traditus es, jam jam ad inferos rapiendus. Dumq́ue in miſerum juvenem ungues exerere parat, ille ad Orationem Sodalitatis, anchoram tutiſsimam, aſylum ultimum confugit, & magnâ voce inclamat. Sancta Maria Mater Dei & Virgo, ego te hodiè &c: vix orationem finierat, cum honeſtiſsima Matrona cubiculum intrat, velata quidem, (neq́ue enim dignus erat Mariano aſpectu) juſſoq́ue monſtro faceſſere, & arreptâ adoleſcentis dextrâ; bono inquit, animo eſto, propius abfuiſti à periculo, ſed vade, confide,
confi-

confitere, redde te Sodalitati, meliorem posthac vitam institue. O Sodales Mariani vel aliorum damno sapite, tantum enim desipitis quantum recedi-tis ab hac SEDE SAPIENTIÆ.

STIMVLVS QVARTVS.

Considera. 4 Quàm multi & illustres, etiam ex remotissimis Provincijs confluant, ad celebriores Academias ac Vniversitates, ut ibi altioribus scientijs imbuantur: quo benè perpenso, exclama. O mortales quid agitis? eccur non accurritis ad hanc celeberrimam Vniversitatem? ad hanc Sedem Sapientiæ? ad hanc omnium Magistrorum Magistram? proh quæ hîc non disceretis! proh quas scientias non infunderet illa! jam de Deo, jam de creaturis, jam de Ecclesiâ triumphante, jam de militante, nam ut affirmat Dionys: Richel: omnis Ecclesiæ militantis status, sive præsens, sive futurus, fuit olim divinitùs demonstrat⁹ Mariç. Fortè itinera, fortè longiores deterrent viæ, ne ejus Aras, vel ejus Sacella ac Templa frequentetis? Ah abscedat timor, ubi præit & invitat Maria. Cernite per singulos annos à Nazareth in Hierusalem peregrinantem cum

Filio; quod iter 27. leucarum erat ex Brocardo in descriptione terræ Sanctæ. Cernite ad Augusti edictum, Nazaretho in Bethlehem euntem, 90. millium passuum itinere. Cernite Angeli jussu, ex Iudæâ in Ægyptum fugientem; quod iter, ut ait Franc. Arias in Lib. de imit. B. V. Cap. 38: illa nonnisi intra 50. dies vel etiam 2. menses perfecit, à robustis autem hominibus, vix 15. dierum intervallo absolvi potuisset. Cernite ad montana festinantem, quod iter è Nazareth, usque in ædes Zacharię, plusquam 80. millia passuum complectabatur. Age Anima Christiana, & memor illius quod habetur Sap. 7. Neminem diligit Devs, nisi eum qui cum Sapientia inhabitat: ad hanc Palladem, Cœlestemque Sapientiam Mariam accurrens, cum eâ die noctuve habita, dic ei cum doctissimo Idiota Cap. 1. Trahe me inquit ille, ignorantem, ut me reddas scientem, ut curram in odorem unguentorum tuorum, id est in fragrantiam sanctarum virtutum tuarum. Quod si Maria, ut eam vocat S. Cyrillus Alexandrinus hom. 6: contrà Nestorium, est Sceptrum rectæ doctrinæ, hoc Sceptrum tu reverenter adora, ut tibi, tuisque dicat illa quod olim Devs. Ezech. 20. Subjiciam vos Sceptro meo. Hoc Sceptro, seu

virgâ

virgâ cenſoriâ eruditus, ô quæ non intelligeres! quantum ſaperes! Dic ergò audacter Mariæ. Sonet vox tua in auribus meis. Scitè Richardus à Sancto Laurentio de Laud. Virg. ait. Mariæ verba dicuntur favus mellis, quia ſicut in fauo eſt cera, luminis inſtrumentum, & dulcedo mellis, reficiens guſtum, ſic in verbis eius eſt veritas illuminans intellectum, & omnimoda bonitas reficiens affectum. O ſi vel ſemel ex hac Sede Sapientiæ vel unicam Regulam explicari audires, quàm ſubitò in alium hominem mutareris! ex ignorante in doctiſsimum, ex peſsimo in optimum. Relege ſaltem eam, quam olim Maria per S. Brigittam cuidam Epiſcopo transmiſit, dum dixit. Poſt refectionem inquit, lectis gratijs, loquatur Epiſcopus illa quæ expediunt, & agat agenda, ſecundùm Epiſcopale officium, ſed omnia ſint honeſta & ſalutaria. L. 4. Rev. C. 126.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

Ita eſt. Anima ſedendo fit ſapientior. Sed ubi quæſo ſapientiſsima? nonne ad hanc Sedem Sapientiæ? Agite igitur Artium Liberalium amato-

amatores, agite per DEVM imortalem, & Sabbatis maximè, hîc considete, nam Illustrissimus ille Comes S. Elzearius, Sabbatinis potissimum diebus, apertos sibi oculos mentis, ad mira cœlestia audienda & intelligenda asseverabat. Gregori⁹ XIII. Summus Pontifex. Sedem Sapientiæ posuit Romæ Iudæis, eosque coëgit ad audiendum singulis Sabbatis, sermonem Iudæi conversi, unde factum, ut multi Christo manus dederint. Vos majora sperate ab hac mysticâ Sapientiæ Sede, & convenientibus vobis in unum, quando Mariæ vocem audieritis, nolite obdurare corda vestra.

CAPUT VIGESIMVM SECVNDVM.

CAUSA NOSTRÆ LÆTITIÆ.

O magna, ô pia, ô multum laudabilis Maria, tu nec nominari potes quin accendas, nec cogitari quin recrees, tu nunquam sine dulcedine, piæ memoriæ portas ingrederis. S. Bernardus.

STIMU-

STIMVLVS PRIMVS.

CONsidera. I. Quàm egregiè titulus hic competat Mariæ, quam S. Damaſcenus vocat. Inexhauſtum pelagus gaudij, unicam mœroris obliterationem. S. Ephræm. Solatium Mundi. Gregorius Nazianzenus. Gaudium mortalium. Andreas Cretenſis. Lætitiæ inſtrumentum. Methodius. Gaudium noſtrum inceſſabile. Richardus à S. Laurentio affirmat, in B. V. omnes ac ſingulos ſenſus noſtros, ſuam reperire dulcedinem, delectationem, & jucunditatem. Per illam Cœlum ipſum exultare, lætari Angelos, aſſeverat Cyrillus hom. 6. in Neſtorium. O quoties & tu ſimilem lætitiam expertus es, aut Virginis iconem aſpiciendo, aut de ea loquendo, ſive etiam cogitando! Sufficit, inquit Damaſc. in orat. 1. de dorm. Virg: ijs qui tui memoriam piè uſurpant, pretioſiſsimum memoriæ tuæ donum, quippè quæ ejusmodi lætitiam pariat, quam nullus eripere poſsit, quânam enim volupta-te, quibus bonis non impletur, qui mentem ſuam ſanctiſsimæ memoriæ promptuarium effecerit? Ecce quanta voluptas teſte Damaſceno, vel ex ſola

Mariæ memoriâ: de cujus laudibus dum ad populum aliquid dixissent è Divi Dominici Familia Religiosi, adeò lætabatur S. Vincentius Ferrerius, ut præ lætitiâ, nequidem lachrymas continuerit. Ecce quanta lætitia vel ex sola de Virgine locutione. Vnde benè August. in Soliloquio. O quanta inquit, jucunditas cordis mei, ex laude provenit Matris Dei. Cujus imaginem etsi pictam tantummodo, (si pio sensu aspiciatur) libidini, pravisq; animi motibus incredibiliter resistere, testatur Ludovicus Carbo, tom. 2. Theol. pract. p. 1. Cap. 15. Ecce quanta utilitas & gaudium puritatis Amatori, vel ex solo Marianæ iconis conspectu. Nihil dulcius. ait Orosius super Cantic: nihilque jucundius reperi quàm Mariam. Vis similia gaudia & voluptates experiri? vis eadem dulcedine sæpius perfundi? sacras ejus icones crebrò intuere, mentemque tuam, sic hortante Damasceno. Orat. de dorm. Dei genitricis: promptuarium effice. Dic frequenter Mariæ. Vita, dulcedo, & spes nostra salve: & iterum. O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria. Certè corporeâ & sensibili dulcedine recreatos, qui Mariæ salutatores extitêre, refert Cæsarius Lib. 7. miracul. Cap. 50. Nam mulier quædam Dominæ nostræ nomen,

nomen, absq́ue mirâ dulcedine pronunciare non poterat, cauſam rogata dixit, ſe in Deiparæ honorem. 50. ſalutationes Angelicas, cum totidem veniјs quotidiè dicere ſolitam eſſe, ex quo tantam dulcedinem ſe conſecutam, ut omnis oris ejus ſaliva, orationis tempore, in mel videretur converſa. Nec imitatore caruit, quidam enim brevi tantam in ore & gutture, dum eam ſalutationem proferret, ſenſit dulcedinem, ut mellis ſuavitatem longè tranſcenderet. Proh pudor! ſi & tu imitator non accedas, vel cum unica ſaltem Angeli ſalutatione, quam devotè recitantibus. 30. dierum indulgentiam conceſsit Vrbanus VII.

Stimvlvs Secvndvs.

Conſidera. 2. Annon Cauſa noſtræ lætitiæ Maria, quæ toties mœrorem à noſtris cordibus abſtergit. Percurre nonnullos caſus, quibus à Maria recreati ſumus. Quis recreatum neget Iacobum Apoſtolum, qui poſtquam per multos labores & annos, novem duntaxat animas in Hiſpania prædicans, Chriſto convertiſſet, & ad Iberi fluminis ripas mœſtus conſediſſet, conſpexit Mariam ex Pale-

ſtina ab Angelis translatam, quæ dolorem ponere juſsit, aſſerens, facturos Diſcipulos ejus, quod ipſe non faceret, qui totam gentem Hiſpanicam ad Chriſti fidem adducturi erant. Quis recreatum neget B. Iacobum Anconitanum Minoritam, quem afflictum affata eſt Maria inquiens. Bono eſto animo fili, futurum eſt ut brevi omni moleſtiâ libereris, & vitæ benè actæ præmium recipias. Quis recreatum neget. S. Hermannum, cui lapidem oſtendit Maria, ſub quo pecuniam reperiret neceſsitati ſtudiorum opportunam. Quis recreatos neget pauperes illos, quibus Maria, in magna apud Senenſes tritici inopia, unâ cum S. Catharina Senenſi, proprijs manibus panem confecit. Quis recreatum non dicet, ſummâque lætitiâ perfuſum debitorem illum, qui pecuniam quam debebat, ſolvit fideliter, ſed negat creditor ſe recepiſſe, negatque perjurus coram Virginis imagine, verùm ab imagine vox prodit. MENTIRIS. O Cauſam noſtræ lætitiæ Mariam! dic ei, quod ab univerſo populo fuit acclamatum Iudith 15: quæ Deiparæ figuram gerebat. Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſraël. Dic ei Cantic. 4. Favus diſtillans labia tua, mel & lac ſub lingua tua: & ut vox ejus dulciſsimè etiam ſonet in auribus

tuis, ſitque perjuris & inimicis tuis terrori, coram Mariæ effigie negotia tua aggredere; ſic qui pictam Virginis imaginem in interiori parte ſcuti habuit, quoties in bello fatigatus fuit, imaginem reſpexit, ſtatimque vires recuperavit, & ab hoſtibus ſecurus manſit (Meffret Serm. 85.) cum ingenti ut par eſt credere voluptate, & animi dulcedine. Quare meritò ait S. Petrus Damian. Serm. 1. de Nat. Virg. loquens de dulcedine quæ ex recordatione B. V. percipitur. Si ſic dulcis eſt memoria, quid eſt præſentia? Tu in morte dulcedine hac, & lætitiâ ut perfruaris, imitare Iuſtum Lipſium, qui morti proximus, cùm à P. Leonardo Leſsio interrogaretur, quæ tandem res eſſet ex omnibus, quas in vita geſsiſſet, unde potiſsimum extremo iſtoc vitæ puncto delectaretur; nulla inquit magis, quam quod in Mariæ Sodalium numerum adlectus ſim.

STIMVLVS TERTIVS.

Conſidera. 3. Quæ & quanta ſolatia non recipiant moribundi, ab hac omnis veræ lætitiæ Causâ Mariâ? Hinc P. Ioannes à Campis è Societate Ieſu, ſub mortem ad quendam converſus. O ſi noſſes,

ses. inquit, mi Pater, quantum in morte afferat animo solatium, Deiparam singulari studio coluisse! Hinc P. Ioannes Gerardinus ex eadem Societate, moriens ita sacratissimam Virginem compellavit. O Maria tribularer nimium, si nescirem tuum patrocinium. Hinc Religiosus ille, qui in extremis positus clamabat: maledicta hora, quâ Religiosus factus fui; at serenatus paulò post: imò benedicta (inquit hora, quâ intravi Ordinem, & benedicta Mater Christi quam semper dilexi: adstantibus recensuit, Reginam gloriæ sibi adfuisse, & terribilibus dæmonibns fugatis, plenum se solatio reliquisse. (Spec. dist. 9. 22.) Dubio procul ingens quoq; solatium expertus fuit Innocentius III. Pontifex, siquidem post mortem S. Ludgardi Virgini comparens, dixit. Nisi per intercessionem Mariæ illum in extremis pœnituisset, damnandum fuisse. Thom. Cantipr. Lib. 2. Vitæ S. Ludgard. O Christiane! memor esto sententiæ Haymonis super Apocal. Gaudens inquit, erit ejus obitus, qui Mariæ dum viveret fuit sedulus & devotus. Memor esto S. Ludovici Caroli Siciliæ Regis filij, hic in salutanda Virgine frequentissimus, causam cur illam toties salutaret rogatus, respondit in hæc verba. MORIEN-

TEM ILLA IUVABIT ME. O voculæ dignæ quibus personet Europa. Africa. Asia. America! O verba digna quæ aureis literis, cordibus suis inscribant mortales! Certè ipsa, ut loquitur S. Bonav. in Spec. B. V. C. 4: nos libenter salutat beneficio & consolatione, si nos eam frequenter salutamus servitio & oratione. Eccur non facis? cur non salutas? si non homines provectioris ætatis, pueros saltem imitare, quorum unus decennis duntaxat, non prius mensæ, non lusui, non studijs, non lecto, aut rei ulli agendæ se dabat, quam his ipsis verbis Mariam alloqueretur. Salve Mater misericordiæ. Et profectò cum teneræ vitæ, vale supremum diceret, adest toties salutata Virgo, inquiens. Ego sum illa misericordiæ Mater, quam tu toties salutasti. Landspergius. Proh Deum! si tres voculæ tantum possunt, tu tribus voculis non evocabis ad te Mariam?

STIMULUS QUARTUS.

Considera 4. Etiam animas mortali peccato infectas, à corpore jam solutas, solatia Mariana expertas subindè fuisse. Si enim credimus multos in lethalibus culpis defunctos, à Sanctis excitatos,

tos, eorumque precibus ab æternis ignibus præservatos, cur idem dic amabo, non sentiendum de Maria, Cœlitum omnium Reginâ, ipsiusque Dei Matre? Quare pulchrè ei hic convenit elogium S. Bernardi hom. super Missus. Ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum. Certè nonnullos, quos mortale peccatum, in quo miserè decesserant, damnasset ad inferos, per Mariam liberatos, testantur luculenter fortia argumenta & rationes. Perpende igitur, annon jure meritò Causa nostræ lætitiæ dicenda Maria, quæ non solum temporalem, sed etiam æternam tristitiam à nobis propulsari peroptat. Tu tamen eheu! tristitiâ illam afficere non dubitas. O ingratitudinem! O impietatem! dignus profectò cui respondeat Maria illud ipsum, quod olim cuidam peccatori ejus auxilium imploranti & dicenti. O Mater misericordiæ intercede pro me: respondit ipsa. Vos peccatores vocatis me Matrem misericordiæ, & interim peccatis vestris, non cessatis facere me Matrem miseriæ, & tristitiæ. Vis Anima mea exhilarari à Virgine? tu prius eam exhilara sanctis obsequijs & pietate. Vis torrente voluptatum inebriari? accurre ad Causam nostræ lætitiæ, accurre ad delicia-

licia-

liciarum Dei dapiferam, & cœlestis curiæ pincernam, sic Mariam compellat S. Bonav. in Litanijs. Vis cœlestibus gaudijs frui æternùm, accede ad Mariam. Qui ad Mariam accesserit, ait Divus Anselmus, impossibile est ut pereat: & alibi. Ipsa velit, & nequaquam salvi esse non poterimus.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

QVis non fœlicem proclamet Beatam Benevenutam Dominicanam. Hęc quavis nocte Sabbatum præcedente, dulcissimam harmoniam, varijs constantem tùm vocibus, tùm musicis instrumentis audiebat, quæ mirâ eam suavitate afficiebant. Quidni similem voluptatem concentusque promereamur, si Causam nostræ Lætitiæ Mariam, Sabbatis maximè coluerimus? Quod si beneficia in nos collata, lætitiam in nobis excitare solent, agite Sodales Mariani, & Petrum de Anasco è S. I: æmulemini, qui singulis Sabbatis, quibus ad honorem Mariæ jejunare consueverat, præcipuum aliquod beneficium à Deo accepit.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM: VAS SPIRITUALE.

Maria Vas immensissimum fuit, ex quo illum qui in Cœlo major est, continere potuit.
S. Bonav. in Spec. B. V. Cap. 5.

STIMULUS PRIMUS.



Onsidera. I. Quàm benè Virgo sacratissima Vasi comparetur, illa enim est Vas electionis, ut eam vocat Cyprianus. in Ser. de nativit. Christi. Illa est Vas illud, in quo reconditum fuit cœli manna. Illa est Vas illud, de quo Proverb. 25. Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum; quia omnis rubigo tùm peccati originalis, tùm actualis, à candidâ argenteâque hac Virgine sublata fuit per præservationem. Illa est Vas illud, de quo Ecclesiasticus. Cap. 43. Vas admirabile

le opus Excelsi, quia teste Germano Patriarchâ Constantinopol: omnia in Virgine sunt admirabilia, in qua, ut ait ipse, Deus suam exercuit potentiam. Illa est Vas illud mellis, de quo 3. Regum. C. 14. n. 3. cui consonat Ecclesia dum canit. O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria. Illa denique est Vas illud, de quo Sapientiæ. 13. Vas utile in conversationem vitæ, id est, ut Cornelius à Lapide hîc habet, in ministerium vitæ. O quot ex hoc Vase nectar & ambrosiam biberunt! Bibit Bernardus, nam cum ante Beatissimæ Matris imaginem oraret, lacte Virgineo è sacratissimis ejus uberibus pastus fuit. Bibit Alanus de Rupe Dominicanus, nam eodem res cœlestes attentè contemplante Deipara de lacte suo in os infudit. Bibit Fulbertus Episcopus Carnotensis, ut supra dictum. Biberunt denique alij haud pauci, non quidem lac ut illi, sed vitam ipsam, siquidem Germanus Sermone de Zona Virginis, plurimos Mariæ intercessionibus ab æterno supplicio liberatos asserit. Et Sanctus Bernardus suffragari videtur, dum Mariã alloquitur inquiens. Peccatorem quantumcunque fœditum Maria non despicis, si ad te suspiraverit, tuumque interventum pœnitenti corde flagitaverit: tu illum à desperatio-
 nis

nis baratro piâ manu retrahis, ſententiam ab ore diſtricti judicis rapis, donec miſerum peccatorem ſalves, & tuo Filio reconcilies. ita ille. Eja ergo Chriſtiani, ad hoc Vas properate omnes, bibite ex eo chariſsimi, & inebriamini, & ſiquando præ nimio æſtu peccatorum, nonniſi jam Acherontis undas ſitire contingat, tamen inſtar divitis epulonis linguam adhuc refrigerari petite, ſtillam gratiæ ex hoc Vaſe poſcite, ſurſum oculos tollite, Maria enim eſt illud Vas, de quo Eccleſiaſticus. Cap. 43. Vas in excelſis, in firmamento Cœli reſplendens gloriosè. O Vas ſplendidiſsimum. O Vas pleniſsimum melle, ſaccaro, cæterisque Cœlitum delicijs. Felix ille qui non alijs ſympoſijs inhiat, quam quæ hoc diviniſsimum Vas ſubminiſtrat! quidni ſatur redeat velut S. Albertus de quo Surius. Huic famenti, Maria Virginum phalange cincta, panis bucellam, ſacratiſsimis manibus in os dedit, adeoque ſaturum bolo uno effecit, ut 20. poſt annis nihil potus, duobus verò & 20. annis nihil cibi admiſerit. Dignus profectò qui poſt tam longam Quadrageſimam celebret in Cœlis cum Maria, æternum Paſcha.

STIMV-

STIMVLVS SECVNDVS.

Considera 2. Cur Sacratissima Virgo Maria non Vas simpliciter, sed cum addito, spirituale vocetur: an quia hoc Vas plenissimum Spiritu fuit, juxta illud Damasceni ad B. V. Tota Spiritus thalamus es, tota Deo propinqua: juxta illud quod S. Brigitta refert, nempè, B. Virginem ab infantia Spiritu Sancto plenam fuisse.: & juxta illud S. Mectildis, quæ asserit, ut primum anima Corpori Virgineo est infusa, Spiritum Sanctum illam replevisse, & singulari quadam sanctificatione sibi in Sacrarium elegisse. Proh quæ non latebant in hoc divinissimo Vase! Albertus D. Thomæ Præceptor, inter Philosophos ac Theologos sui temporis verè Magnus, atque Ratisbonensis Episcopus, nullam omninò creaturam censet existere, quæ ampliorem gratiæ plenitudinem, præterquam Maria suscipere possit. De Laud. B. V. C. 69. 70. 72. Idem, gratiæ plenitudinem quam Angelus in Maria prædicat, tam latè patere docet, ut ejus ambitu gratia, quam vocamus sacramentalem, & gratia virtutum sive Theologicarum, sive Cardinalium, sed & septem dona, apud Esaiam, fructusque duodecim Spiritus

à Paulo enumerati. Galat. 5. Octo item beatitudines in Evangelio traditæ comprehendantur. Quidni ergo de hoc Vase loquens, dicat Bertramus. Mirabile fuisse, quod corpus Mariæ ex abundantia gratiæ non crepuerit. O si vel unica gutta ex hoc Vase spirituali, in tuum cor deflueret, quàm subitò in alium hominem mutareris! quàm subitò divina saperes? animalis enim homo teste D. Paulo. 1. Corint. 2: non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: Vis percipere? vis repleri? Vas spirituale prius esto, ut de te etiam dicat quod jam ante dixit de B. Arnulpho Abbate Maria, cujus jussu ipse in Ordinem susceptus fuit. Vas inquiebat illa, electionis est mihi iste. Vas igitur esto, sed vas occlusum mundi delicijs, sed vas apertum Marianis solatijs. Disce vel à Iudæa, quæ desertis Parentibus, postquam baptismi lavacro abluta esset, & Sanctimonialium habitu induta, quo tempore aliæ moniales à parentibus & propinquis invisebantur, hæc ad Deiparæ imaginem accurrebat, eique dicebat. Ego paupercula pupilla & indigna, ad te Dominam meam & cognatam accedo, tu sola præ omnibus esto mihi refugium & solatium. Felix qui non ad aliud Vas suas voluptates & solatia fugit, quam ad hoc Vas Spirituale.

STIMV-

STIMVLVS TERTIVS.

Conſidera 3. Flores pulcherrimos in hoc divinissimo Vaſe repoſitos; omnium facilè princeps eſt flos ille, de quo Iſaias XI. Et flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ, & intellectus &c. Flos hic à Cœleſti hortulano in hoc Vaſe Spirituali plantatus, excrevit in omnium noſtrûm medicinam & ſalutem, ut vel ex ipſo nomine patet, nam nomen Ieſus, apud Hebræos Salvatorem ſonat, ſi verò ejus ethymologia ex Græco idiomate ſumatur, poteſt etiam ſignificare medicum. Quod ſi oculos convertas ad cæteros flores, quos Maria ipſa inſervit, proh quam multiplices conſpicies! dignos certè quos diutius contempleris, dignos quos avidè decerpas. Hîc videbis violam humilitatis, roſam charitatis, hyacinthum modeſtiæ, narciſſum paupertatis, heliotropium obedientiæ, lilium caſtitatis, omnium deniqué virtutum tulipas variegatas, quia ſecundùm Hieronymum. Si Mariam inſpexeris, nihil eſt virtutis, vel decoris, nihil ſpecioſitatis quod non in eâ reſplendeat. Meritò Ephrem Diacon. in ſuâ ad eam Orat: adſalutans ipſam ait. Ave Dei ſplen-

ſplendidiſsimum & luculentiſsimum Vas. Tu ſimiliter die noctúve illam ſaluta, & hoc tam jucundum aſpectui Vas continuò contemplare, imò audacior factus, floſculum aliquem indè decerpe. Placeat vel ille de quo Cedrenus? Narrat ipſe in Comp. hiſt. Caniſ. de B. Mar. Lib. 1. Cap. 13. Mariam cum eſſet annorum 12: mediâ nocte precibus intentatam, audiſſe hæc verba. Paries meum Filium: quod nulli hominum patefecit uſque ad Aſcenſionem Chriſti in Cœlum. O hunc tu decerperes! ô jactantiam fugeres! Spinas times? ah nullæ ſunt: altitudinem cauſaris? ah manum extende, ſuam porriget Maria, quemadmodum devoto Hermanno Ioſeph dicto: cum enim is aliquando Mariam conſpexiſſet, & coram puerum Ieſum cum Divo Ioanne, quaſi puerilibus luſibus ſe exercitantem, hæcque cum magno gaudio intueretur, ita ad eum Deipara. Aſcende ad nos Hermanne. Ad quam ille. Quomodo aſcendam cum chorus ſit clauſus, & ſcalam per quam aſcendam, non habeam: cui illa. Tenta, & manum porrigens te juvabo. Paruit puer, & ipſa manum extendente ad eos aſcendit. O aſcenſum quo nil felicius in terris! Vis & tu aſcendere? puer eſto ſimplicitate & ſanctâ humilitate.

Mariæ

Mariæ exemplo, ſi humilitatem ſecteris, ó quàm gratioſum floſculum retuliſti ex hoc Vaſe Spiritua-li! dignum profectò quem olfaciat aliquando ipſe-met IESVS.

STIMVLVS QVARTVS.

Conſidera. 4 Quam ſvaveolentiam, quem odorem non exhalabat olim hoc Vas Spiritua-le. Credibile eſt gratiſsimum vel ex ipſâ carne Vir-ginis in ſignum ſanctitatis emanaſſe, maximè cum Dion. Chartus. Lib. 1. de Laud. Virg. dicat. Cur non putetur credibile, quod Virginea ejus caro dul-cem ſit ſortita odorem? meritò ergò de ſe dicere poteſt Maria. Sicut cinnamomum & balſamum aromatizans odorem dedi, quaſi myrrha electa de-di ſuavitatem odoris. Eccleſiaſtic. 24. Sed implan-tanda hîc S. Bonav: ſententia. in Spec. B. V. C. 7. Odor, inquit, Mariæ fuit ſicut cinnamomum, in cortice converſationis, ſicut balſamum interius in unctione devotionis, ſicut myrrha in amaricatione caſtigationis; fuit quoque odor Mariæ ſicut cinna-momum in actione, ſicut balſamum in contempla-tione, ſicut myrrha in paſsione. O dives! quæ tam

plena fuit odorifero Spiritus Sancti balſamo, ut ait S. Bernardus ſuper illud, Spiritus Sanctus ſuperveniet in te. ita Bonav: qui ibidem C. 5. Balſamum inquit, Mariæ eſt unctio gratiæ, quæ Mariæ copioſiſsimè eſt infuſa, unde S. Bernardus loquens de verbo illo, Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, ait, Pretioſum illud balſamum tantá tibi copiâ, tantâque plenitudine influet, ut copioſiſsimè effluat circumquaque. Hæc Bonav. Sed quid Sophronius Serm. de Aſſumptione aſſerat, perpende. Dicta ſanè inquit, quaſi virgula fumi, quia gracilis & delicata, quia divinis extenuata diſciplinis, & concremata intus in holocauſtum incendij pij amoris, & deſiderio charitatis. Vt virgula fumi ex aromatibus, nimirum quia multis repleta eſt virtutum odoribus, manans ex ea fragrabat ſuaviſsimus odor. ita ipſe. Et Dionyſius Carthuſian. in 4. Cantic. ſcripſit. Tanta eſt ſuavitas virtutum Matris Dei, quod cuncta mundi odoramenta tranſcendit, imò & totam perfundit Eccleſiam triumphantem. Inſuper Eccleſia militans in fœtoribus hujus exilij degens, odore & ſuavitate hujus Deiferæ Virginis Dominæ ſuæ recreatur, fovetur, atque exhilaratur. Ah curramus & nos Chriſtiani poſt odorem unguentorum ejus.

ejus. Trahe nos ô Maria, ne fœtore expiremus, reſice odore, ut æternùm vivamus.

Balſama me capiunt, hæc ſunt unguenta virorum. Canit Martial. lib. 14. Epigram. 54. Balſama tua ego concupiſco ô Virgo, quia nulla admixtione vitiata ſcio, ait enim tuus Bonaventura in Spec. C. 5. Balſamum miſceri ſolet & vitiari melle vel oleo, ſed certè Balſamum Spiritus Sancti in Maria non fuit mixtum, quia nec melle carnalitatis & mundanæ conſolationis, nec oleo vanæ laudis & adulationis fuit vitiatum. Ita ipſe. Quod ſi myrrha corpora defunctorum ſervat incorrupta, cinnamomum autem: teſte Galeno Lib. de Antidotis: optimum, ſit odoratiſsimum, & indicibilem quandam odoris gratiam ſuper alia aromata referat: parce ô Virgo, ſi in virtute ego adeò debilis & languidus, ad odorem cinnamomi tui accurram: parce ſi ne in æternum putreſcam, ad myrrham tuam properem. Trahe nos peccatores, & curremus poſt odorem unguentorum tuorum, ſeu quod idem eſt VIRTVTVM, nam odor unguentorum tuorum ſuper aromata, Cant. 4.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

DIC liberè ô Angelice juvenis, Joannes Berchmañe, eccur Sabbato in abjectis culinæ ministerijs versaris? fortè inter vasa materialia & fuliginosa, hoc VAS SPIRITVALE te repertum iri opinaris? Sodales Mariani. Humilis Maria, inter abjecta, humiliaque exercitia facilè invenitur. O sic eam quæreremus! O Sabbato quopiam inveniremus! proh quam dulce nectar sugeremus ex hoc Vase Spirituali!

CAPUT VIGESIMVM QVARTVM.

VAS HONORABILE.

Si Paulus electionis vas cognominatus est, propterea quod Christi nomen ubiq; terrarum circumferret, qualenam Vas censenda est Deipara Virgo, quæ cœlestem panem, qui fidelibus in cibum & potum exhibetur, utero complexa est? Basilius Seleuciæ Episcopus. Orat. 1. de Annunc.

STIMVLVS PRIMVS.



Onsidera. I. In quanto honore fuerit apud Hebręos vas illud, in quo manna asservabatur. Sume ait Moyses ad Aaron. Exod. 16. vas unum, & mitte ibi man, & repone coram Domino. Vide annon longè majorem sibi deposcat honorem Maria, quæ non manna, quod manducaverunt Patres nostri & mortui sunt. Ioan. 6: sed asservavit panem, quem qui manducat, vivet in æternum. Paulus fuit vas electionis, Virgo verò Maria fuit Vas Divinitatis. ait S. Bernard. Senensis. tom. 4. serm. 36. p. 3. Certè ratione hujus contactus cum divinissimo Filio, cultu latriæ adorandam quisquis pronunciaverit, benè pronunciabit. (Lege Suarez. tom. 2. in 3. part. quæst. 37. art. 4. Sect. 3.) Si enim Cruci quæ tribus tantum horis Dei Filium in se habuit, adoratio latriæ tribuitur, ut Angelicus Doctor D. Thomas cum suis Discipulis communiter testatur, cur non tribueretur Mariæ, in cujus utero novem mensibus quievit Deus? quo cultu posse eam adorari ne dubita, quando præcisè colitur ut Mater Dei, cum intentione Deum in illâ honorandi, cum

honor Matris ſit honor Filij. O Vas verè honorabile! Honorare Mariam, ait Richard. Lib. 2. par. 1. theſaurizare eſt ſibi vitam æternam. O Vrnam omnium linguis deprædicandam! Vrna aurea eſt ſuaviſsimum illud cœleſte manna continens, ita Mariam appellant Epiphanius. Andreas Cretenſis ſermone de dormit. & orat. de Annunciatione. Salve, inquit, Vrna aurea, quæ eum fers, qui dulce manna reddit, ac mel à petra ingrato Iſraëli elicuit. Damaſcenus eam dicit dulcem mannæ Vrnam. Ephrem eam nominat Vrnam pulcherrimam, quæ verum manna geſtat. Et Baſil. Seleuciæ Epiſcopus orat. de Annunciatione ait. Virgo non manna, ut illa urna aurea, ſed cœleſtem panem, qui fidelibus in cibum & potum exhibetur, utero complexa eſt. Huc huc accurre Chriſtiane, quisquis inediâ & fame peris, hoc cibo paſcere, hoc pane utere, quem in ſuis literis ad B. Mechtildem adeò commendat Gregorius VII. Summus Pontifex. Inter cætera arma, inquit, quæ tibi contra mundi principem contuli, potiſsimum eſt, ut corpus Dominicum frequenter accipias, & ut certâ fiduciâ Matri Domini te committas.

STIMVLVS SECVNDVS.

Con-

Considera. 2. Si adoratio est exhibitio reverentiæ propter excellentiam illius cui exhibetur, ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 8. art. 1: quâ adoratione, quo honore digna non erit Maria, Vas verè honorabile, de cujus excellentia, perfectione, virtutibus, sanctitate, privilegijs, ô quæ non tradiderunt Patres! Annon inter alia, illustre illud Gersonis super magnificat Alph. 83. Lit. E. Maria, inquit, juxta Hierarchicam Dionysij legem, continet eminenter omnem perfectionem creaturarum tanquam inferiorum. Vis ergo brevi compendio Mariæ beatitudinem notam tibi fieri, da illi per eminentiam, quidquid in creaturis videris melius ipsum, quam non ipsum &c: Hæc Gerson: qui colligit quod cum adhuc in viâ esset B. V: omnes hominū & Angelorum, etiā digniores excellentiæ in eam cōfluxerint. O Vas excellentissimū! ô Vas singularibus prærogativis & eminēti sanctitate refertissimū! Docent Theologi, adorationem propter excellentiam creatam dici duliam, quia autem una creatura potest esse magis excellens & magis sancta quam sit alia, posse adorari majore adoratione, quæ vocatur hyperdulia, id est major honor, & hoc adorationis genere coli Mariam. Adde Mariam non tantùm ado-

adorandam cultu latriæ, ſi is ita exhibeatur, ut in Virgine non quieſcat, ſed ad Deum referatur, verùm etiam cultu hyperduliæ, cultu duliæ, ſi enim hic eſt communis Sanctis, propter creatam eorum excellentiam ac ſanctitatem, cur & illi non fiat communis, quę verè Sancta, verè Beata, juxta illud. Beatam me dicent omnes generationes. Vide, ô Anima Chriſtiana, num tali honore & cultu adores illam? num ijs obſequijs & laudum pręconijs quibus potes? Pulchrè de eâ S. Baſilius Seleuciæ Epiſcopus. Orat. de Annunc.. De Virgine ait, qui omnia illuſtria & glorioſa dixerit, nunquam is à veritatis ſcopo aberraverit, attamen dignitatis magnitudinem, nulla unquam oratione exæquabit. Pulchrè Petrus Damiani. Serm. 3. de Nat. aſſerit. Quid mirum ſi hæc ineffabilis Virgo in ſuis laudibus modum humanæ vocis exuperat, cùm & ipſam humani generis naturam, excellentium meritorum dignitate tranſcendat: ad cujus efferenda præconia, non Rhetoricorum diſerta facundia, non Dialecticorum ſubtilia argumenta, non acutiſsima Philoſophorum apta reperiuntur ingenia. Pulchrè Damaſcenus. Virginem non hominum lingua, non mundo ſublimior Angelorum mens, ſat dignis laudibus efferre poteſt.

poteſt. Orat. 1. de Aſſump. Idem Orat. 2. Virgo omnium encomiorum legem excedit. Idem Orat. 2. de Aſſump. Nec ſi omnes toto Orbe diſperſæ linguæ, in unum coëant, ejus laudes oratione conſequi poſsint. Tu pro modulo tuo operare, jam verbis eam deprædicando, ne aliquando infelix exclamare cogaris. Væ mihi quia tacui. Iſaiæ 6: jam factis ipſam honorando, vel exemplo Angeli. Tradunt enim monumenta Congregationis S. Georgij in Alga in Luſitania, eos, qui ejus Authores fuerunt, à B. V. Maria accepiſſe, Gabrielem cum incarnationem annunciaret, integris novem horis apud eandem fuiſſe. O ſic tu honorares quotidiè Vas honorabile! O ſic tu adhæreres Mariæ!

STIMVLVS TERTIVS.

Conſidera. 3. Cur tantum cultum & reverentiam ſibi vendicet Vas honorabile? An quia Maria plena gratiâ & ſanctitate? vel potius quia ſummi Dei parens? ex Recentioribus ſolutionem ſuggerit Arriaga, in tract: de Incarn: diſp: 54. Sect. 3. dum ait. Majorem cultum deberi B. Virgini ratione ſanctitatis, quàm qui debetur ei ratione digni-

tatis Matris: rationem his verbis affert. Nam si ista duo, inquit ille, separentur, esse Matrem sine ullo dono gratiæ & virtutis,& ex alia parte non esse Matrem, esse tamen tam sanctam,ac tam Deum videntem quàm jam est, nemo dubitare potest, quin hoc secundum sit longè nobilius quàm illud, quia illud est quædam quasi dignitas civilis, quæ sola non est comparabilis cum ea altera dignitate, & in hoc sensu intelligendum est quod Christus fœminæ clamanti. Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti: respondit. Quin imò Beati qui audiunt verbum Dei,& custodiunt illud: fœmina enim illa, videbatur de sola dignitate Matris locuta, ideò ei meritò Christus ut nobiliorem opposuit dignitatem hominis sancti servantis præcepta Dei. Hæc ibi. Disce hinc anima mea, quantæ virtutis & efficaciæ sit Christiana perfectio. Disce illam mundi universi opibus ac dignitatibus præferre. Disce magis esse venerandam Mariam ex titulo sanctitatis, quàm titulo divinæ Maternitatis. O liceret vel admodicum cernere ejus sanctitatem! ejus perfectionem! Quid sanctitatis? ait Petrus Damianus. Serm. de Mariæ Nat. quid justitiæ? quid religionis? quid perfectionis huic Virgini deesse potuit, quæ totius divinæ

gratiæ charismate plena fuit? De ea refert S. Brigitta, quod nulla re, nisi solo Deo delectabatur, & quæ bona mundus habet ac amplectitur, omnia acerba & amara visa fuisse Mariæ. Eja anima mea, vel hinc sanctam proclama Mariam, hinc Beatam, & inter mulieres Benedictam. Observant Naturales: inveniri herbam multæ virtutis, cui nomen Benedicta, quæ si in domo aliqua posita fuerit, ibi nec vermis venenosus, nec serpens, aut rana latere potest, vel manere, propter ejus odorem, imò tantæ efficaciæ illam esse, ut si quis de ipsa biberit, rubeo vel bono colore donetur. Proh Deum immortalem! cujus efficaciæ & virtutis non erit Benedicta Maria, Vas verè honorabile! de quo tantus odor promanat, ut omnes vermes, omnes serpentes, omnia deniqúe graveolentia animalia fugentur. Quid non potest vel sola sacratissimi ejus nominis invocatio! Refert Iacobus Ianuensis. Dum quidam Monachi juxta aquas starent, ubi fabulis & otiosis sermonibus vacabant, auditos fuisse remiges per aquas impetu nimio navigantes, qui interrogati à Monachis, quinam essent, Dæmones se esse responderunt, & sese animam Ebroini Præpositi domus Regis Francorum, qui à Monasterio Sancti Galli apo-

 stata-

ſtataverat, ad inferos deferre. Quo audito Monachi, vehementiſsimè exterriti, fortiter inclamarunt. Sancta Maria ora pro nobis. Quibus Dæmones. Bene Mariam invocaſtis, vos enim diſcerpere & ſubmergere volebamus, quia diſſolutos, & extra horam confabulantes invenimus. Diſce hinc Anima Chriſtiana, vel in periculis recordari Mariæ.

Stimvlvs Qvartvs.

Conſidera. 4. Nonnullas pœnas quas dedêre illi, qui in hoc diviniſsimum Vas, omni honore digniſsimum, injurij extitêre. Nonne ſuas pœnas dedit, ut par eſt ſuſpicari, Eccleſiaſtes ille Coloniæ, qui cum Anno. 1472. propoſuiſſet, altero die in ſacratiſsimum Roſarium debacchari, & ad audiendum maxima jam multitudo confluxiſſet, ecce domi mortuus repertus? Nonne pœnas dedit Conſtantius Copronymus, infamis Imperator, quia Mariæ impugnator? nam hic ſub tempus mortis clamavit, ſe viventem adhuc propter Mariam igni inextinguibili eſſe traditum. Nonne pœnas luit adoleſcens ille, qui inter pugnandum cum Socio, neſcio quid impium in Sanctiſsimam Virginem protulit,

tulit, & ecce ipſo temporis articulo os contra Mariam apertum, telo adverſarij intercipitur, & palato transfixo repentè mortuus concidit? Caſu hæc accidiſſe dices, & non potius Divinâ manu ulciſcente? quæ adeò Mariæ injurias ulciſcitur, ut obſervârint Sancti Viri, Deum facilius diſsimulare proprias injurias, quàm minimam irreventiam in Mariam; quæ etſi aliquando levis videatur, perrarò tamen manere inultam; Vnde Spec. exempl. v. blaſph. Defunctus quidam alteri comparens teſtatus fuit, difficilius læſiones Mariæ ſufferre Chriſtum, quàm proprias. Ita ſanè, nam qui illam tangit, tangit pupillam oculi Chriſti, & uno vulnere duos lædit, IESVM ET MARIAM. O Animam infelicem, cujus inimici IESVS ET MARIA! Clama & confitere cum Anſelmo, qui in Libro Contemplationum pecutit, dicens. Dic Salvator quem ſalvabis? Dic ſalutis Mater pro quo orabis? Si te Domino præcipiente, & te Domina conſentiente, tormenta vexabunt peccatorem. Si infernus abſorbet reum in ſe deſperantem, & vobis confitentem: aut ergo miſeremini mei, aut oſtendite mihi miſericordiores; ſed quia non ſunt, ideò ad nullum alium confugio, niſi ad vos.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

O Quàm pretiosis gemmis nostrum Vas adornat S. Benevenuta Dominicana! Hæc adhuc septennis, & tamen jam quotidiè mille Ave Maria, veluti tot splendidissimos uniones sacratissimæ Virgini offert, quem numerum SABBATO duplicabat. O tu etiam ad hoc Vas honorabile per singula Sabbata, mille adjiceres! ut triplicares juxta illud. Omne trinum perfectum.

CAPUT VIGESIMVM QVINTVM: VAS INSIGNE DEVOTIONIS.

Vas liquore plenum si moveatur, de facili subvertitur, & effundit liquorem, sic Maria si moveatur precibus, effundit liquorem.
S. Bernardus.

STIMVLVS PRIMVS.



Onsidera. I. Quæ devotio? quæ pietas? quę sanctitas non latuit in hoc sacratissimo Vase? siquidem ut ex Alberto Magno, tradit S. Antoninus. 4. part. tit. 15. C. 20. §. 6. C. 4. §. 8: quovis tempore Maria merebatur, & majora gratiæ incrementa capiebat. Cujus unius vita cunctas illustrat Ecclesias. Tu, inquit Rupertus. Lib. 4. in Cantic: virtutum operatrix, ac totius Sanctæ Magistra Religionis, qualem nunquam oculus vidit, qualis ab initio quando Eva facta est non fuit, nec est, nec erit, in cogitationibus suis, in verbis suis, in factis suis, in omni odore suavitatis, in omni flore, & fructu honoris & honestatis. Erant, ait Gregorius Nicomed. Mariæ mores incomparabiles, & agendæ vitæ ratio composita virtutibus. Quid rogo vitij, inquirit Petrus Damian. Serm. 3. de Nativ. Mariæ: in ejus mente, vel corpore vendicare sibi potuit locum, quæ ad instar Cœli, plenitudini totius Divinitatis meruit esse sacrarium? Sed omnium loco concludat. S. Ambros. Lib. 2. de Virg: qui de hoc animato Vase in hunc modum loquitur. Talis

fuit Maria, ut ejus unius vita, omnium ſit diſciplina, ſi igitur Auctor non diſplicet, opus probemus, ut quicunque ſibi Virginis exoptat præmium, imitetur exemplum. ita ille. Et tu quid? placet fortè etiam audire S. Bonav. in Stimulo Div. amor. c. 7: audi igitur ſimpliciter, ſed nervosè loquentem. Matrem Dei ſervus Dei, tanquam bonus & devotus filius in omnibus pro poſſe ſtudeat imitari. Hoc ſemper habeat pro regula generali, ut Virginis Mariæ ſemper veſtigia imitetur, cujus appetit ſuffragia poſtulare, & certò ſciat, ſe ſi modò imitetur, ei honorem tanquam Matri veraciter exhibere, & ipſam eum tanquam ſuum Filium veraciter adjuturam, & quæ dignè ab ea petierit, illi daturam, & in omnibus neceſſarijs ad ſalutem miniſtraturam. Credis hæc Seraphico Doctori? accurre ergo ocyùs ad hoc Vas inſigne devotionis, precibus ſanctisque ſuſpirijs ſubvertetur, decidet è Cœlo in terras; nam refert Ioannes Euſebius in lib. de affectu erga Virginem C. 21. Cum in quadam Domo Probationis Societatis Ieſu. Novitij orationi vacarent, quendam Dei famulum vidiſſe Beatiſsimam Virginem, ſe in medios ipſos immittere, ſingulisque divinum nectar è poculo quod ſecum attulerat propinare. O

poſſes

posses & tu ex hoc poculo, ex hoc Vase devotionis ambrosiam cœlestem degustare! ut degustes, instanter ora, sed devotè. Vndè Virgo quædam, quæ ut refertur in Spec. exempl: tit: Salutatio Angel: exempl: 7: Psalterium quotidiè quidem, hoc est ter quinquagenas Angelicarum salutationum recitabat, sed cum exiguo sensu ac gustu, à B. Virgine audivit plus sibi placituram, libentiusque admissuram salutationum istarum tertiam partem, quæ ordinarium conficit rosarium, dummodò majori religione, accurationeq; persolvatur. O si persolveres!

Stimulus Secundus.

Considera 2. Annon vel ex hoc capite, Vas insigne devotionis appellanda Maria, quia amori divino jam ab ipsis vitæ suæ rudimentis intenta: nam in primo creationis & conceptionis suæ instanti, amore supernaturali amavit Deum, tanto ardore atque intensione, ut quemvis etiam sanctissimum Angelum eo superârit; amor hic nunquam in tota vita fuit interruptus, ut docet Vasquez. 1. p. d. 118. Cap. ult. Suarez rem sanè prodigiosam asserit, dum ait, amorem Virginis erga Deum ita crevisse,

visse, ut is actus qui primum sequebatur, duplo esset illo intensior, & isto tertius quadruplo, & hoc quartus octuplo, & sic deinceps per totam Virginis vitam. Mariam inquit S. Ildephonsus, Serm. 1. de Assumpt: velut ignis ferrum, Spiritus Sanctus totam decoxit, incanduit, & ignivit, ita ut in eâ Spiritus Sancti flamma tantum videatur, nec sentiatur nisi tantum ignis amoris Dei: ita ille. Et licet negent Theologi, sine speciali gratia Dei in hac mortali vita adimpleri posse præceptum de diligendo ex toto corde, totâ animâ, ac virtute, injurij erunt in Mariam, si negarînt præceptum hoc ab ipsa fuisse impletum, quæ adimplevit illud plenissimè, Christum amando, nec illo tantùm appretiativo, sed & intensivo amore Filium Deum supra omnes res, dilexit. Sodalis Mariane, quid hac devotione illustrius? quid præstantius? nam si linguis hominum loquaris & Angelorum: 1. Cor. 13: charitatem autem non habeas, nihil es. Vis aliquid esse? ama, clama cum Alphonso Rodriquez. IESVS MARIA: dulcissimi amores mei, patiar pro vobis, moriar pro vobis. Et ne è Schola Nominalium recèns prodijsse videaris, hoc est verba amare, & non facta, perge audacior, ubi ubi occasio se se obtulerit aliquid patien-
di,

di: nam B. Virgo Beatæ Margarethæ nobilissimæ stirpis fœminæ, ut refertur lib. 3. de V. illustr. Dominic. Anno 1464. apparens dixit. Ille solus meus & Filij mei servus est, qui semper paratus est tantum pati, quantum homo moribundus. Christus verò dans ei tria spicula in manum, addidit. Elige unum horum: in primo autem scriptum erat aureis literis. MERÆ INIVRIÆ: in secundo: MERÆ INFIRMITATES: in tertio: MERA VERBERA AB HOSTIBVS: cui illa à B. Virgine jam animata. O Domine, inquit, si vis concede omnia. Tum Christus. Accipe & cum his vires, ut fortiter pugnes. O sic pugnaremus omnes! ó pateremur aliquid! Si compatimur, & conglorificabimur, Rom. 8. Si commorimur, convivemus. 2. Timoth. 2. Si communicaverimus Christi passionibus, in revelatione ejus gloriæ gaudebimus exultantes, 1. Pet. 4. Si fuerimus Socij passionum, etiam & consolationis erimus, 2. Cor. 1. Quin etiamnum in cœlo pati optaret Xaverius, ut ipsemet Patri Mastrillo apparens asseruit, nisi status illius condicio ex Dei voluntate obstaret. Et tu pati timebis amore IESV ET MARIÆ?

Considera. 3. Quâ devotione, quâ pietate non repleremur, si vel semel, non jam per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem conspiceremus illum, cujus sola visio Beatos reddit Cœlites. Subsume. Atqui sic est, Mariam adhuc in terris degentem, non semel sed sæpius Deum vidisse. Conclude. Ergo ingenti devotione plena fuit Maria, Vas verè insigne devotionis. Sæpius autem Mariam vidisse Dei essentiam, affirmant doctissimi Viri. Mendoza ait, vidisse illam, & in sua Conceptione, & in sua Nativitate. Vidit illam in Incarnatione. ita D. Antoninus. D. Bernardinus Senensis, & alij. Vidit in Filij partu, ut cum alijs sentit Vbertinus Cassalius, Lib. 1. Arboris vitæ, Cap. 9. Vidit illam Resurrectionis tempore, quando Christus ipsi comparuit, ita credit Villa Nova Archiepiscopus Valentinus in Sermone de resurrect: Quid? illa sola in vita vidit essentiam Dei, & nullus alius, ita sentit Vasquez 1. part. d 55. & 56: imò quidam asserunt, visionem Dei fuisse perennem Mariæ. O privilegium excellentissimum! ô gratiam præstantissimam! Tu qui hac gratiâ nequaquam frueris in

terra,

terra, ſaltem ût fruaris in Cœlis, nunc per ſpeculum in ænigmate Deum continuò intuere, juxta illud Davidis, Pſal. 15. Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi. Quod ſi dictis S. Brigittæ in Revelat. Lib. 4. Cap: 70: fidem adhibes, ubi ait. Chriſtum dum eſſet in hac vita, ſuo aſpectu adeò conſolari conſveviſſe eos, qui eum intuebantur, ut qui aliquâ triſtitiâ tenerentur, dicerent, eamus, & Filium Mariæ videamus, ut ſaltem eo tempore à triſtitia relevemur; ſi in quã verbis ejus fidem adhibes, ad Chriſtum accurre, mentis oculis contemplare, ſed non extra gremium Mariæ, ut cum devoto Mendoza in Virid. Lib. 2. problem: 2. occinere poſsis.

Vbera me Matris, Nati me Vulnera paſcunt,
Scilicet hæc animi ſunt medicina mei.
Quis ſine lacte precor, vel quis ſine ſanguine vivat?
Lacte tuo Genitrix, ſanguine Nate tuo?
Sit lac pro ambroſia, ſuavi pro nectare Sanguis.
Sic me perpetuum Vulnus & Vber alit.

STIMVLVS QVARTVS.

Conſidera. 4 Nonnullas in particulari virtutes

tutes ac devotiones, quæ in hoc animato Vaſe, velut pretioſæ gemmæ reſplendebant. Primò. Omnia Sacramenta, Ordinem ſi excipias & Pœnitentiam, ſuſcepit devotiſsima Maria. Baptiſmum à Chriſto, ut ſentit Euthymius in Cap. 3. Ioan: non quidem ut à macula originali quâ carebat, mundaretur, ſed quia baptiſmus ad reliqua Sacramenta janua eſt ut docent Theologi. Confirmationem, die Pentecoſtes in Apoſtolorum Societate. Euchariſtiam quotidie; & qualibet communione ex meritis paſsionis Chriſti, veriſimile eſt, ut notat in Matre doloroſa. Lib. 1. Cap. 13. P. Caſpar Tauſch; majus augmentum gratiæ illam accepiſſe, quam omnes homines ab initio Eccleſiæ, uſque ad finem in omnibus ſimul ſumptis, quod ejus inſigni diſpoſitioni adſcribe. Matrimonium cum Ioſepho, tunc nedum quidẽ fuit Sacramentum. Extremam denique unctionem, tùm in gratiæ augmentum ſibi, tùm nobis in exemplum ſuſcepit Maria. Secundò ante Verbi Divini in terras aduentum, ut refert S. Brigitta, illud in votis habebat maximè, ut præſentis Meſsiæ tempore vivere, & ejus Auguſtæ Matri aliquando poſſet ancillari. Teſte S. Mechtilde, ex Patriarchis & Prophetis nullus unquam ardentiore venturi Meſsiæ deſide-

desiderio, quàm Maria flagravit. Tertiò post Chri-
sti in cœlos reditum, quotidiè Sacro Missæ Sacrifi-
cio intererat, quod à Divo Ioanne, vel alio quo-
piam Sacerdote ipsi celebrabatur. ita Suarez & alij.
Quartò ante Christum natum, ipso nato, eo mor-
tuo, proh quibus non radiabat virtutibus, velut tot
splendidissimis adamantibus, hoc Vas insigne de-
votionis! Et quidem si sacris credis Oraculis, ra-
diabat PRVDENTIA. Cogitabat qualis esset ista sa-
lutatio: radiabat CASTITATE. Quomodo fiet istud,
quoniam Virum non cognosco: radiabat HVMI-
LITATE. Ecce Ancilla Domini: radiabat OBE-
DIENTIA. Fiat mihi secundùm verbum tuum: ra-
diabat CHARITATE. Exurgens Maria abijt in mon-
tana: radiabat GRATITVDINE. Magnificat ani-
ma mea Dominum: radiabat PAVPERTATE. Recli-
navit eum in præsepio, quia non erat ei locus in di-
versorio: radiabat PATIENTIA. Ecce Pater tuus
& ego dolentes quærebamus te: radiabat MISERI-
CORDIA. Vinum non habent: radiabat CON-
STANTIA. Stabat juxta crucem Iesu Mater ejus.
Denique quid de Maria nedum natâ narret S. Ber-
nardinus Senens: Serm. 61. tom. 1. art. 3. Cap. 3:
audi, & obstupesce. Ad tantam, inquit, contem-
platio-

plationem ſublimata eſt Virgo, ut perfectius etiam in ventre Matris contemplaretur Deum, quam unquam fuit contemplatus aliquis in perfecta ætate, magisque in contemplatione Dei exceſsit dormiendo, quàm aliquis vigilando, ſicut ipſa. Cant. 5. teſtatur. Ego dormio & cor meum vigilat. Et tom. 2. ſerm: 51. art. 1. C. 2. Licet, inquit, in utero Matris dormiret, attamen ſomnus qui abyſſat & ſepelit in nobis rationis & arbitrij actus, & per conſequens actum merendi, non credo quod talia in Virgine fuerit operatus, ſed anima ejus liberè ac meritorio actu tunc tendebat in Deum, undè illo tempore erat perfectior contemplatrix, quam unquam fuerit aliquis alius dum vigilavit. Anima Chriſtiana quid tu ad hæc? non advertis Mariam eſſe illud Vas de quo S. Paulus Epiſt. ad Timoth. C. 2. n. 21. Vas in honorem ſanctificatum & utile Domino, ad omne opus bonum paratum. Ah ſi ſapis, omni honore hoc Vas proſequere. Vas hoc tibi ſit in delicijs, ſit continuò in mensâ. De hoc Vaſe, ede, bibe, comede; O ſi comederes! ô ſi biberes! tibi fortè contingeret, quod de B. Thaclavareto Indo Martyre, D. Dominici Religioſo, legitur in Hiſt. de Viris illuſtrib. Bis ei apparuit Maria, tradiditq; una vice

vas

vas argenteum ſuaviſsimo liquore plenum; aliâ, aureum, cœleſte quoddam manna continens, dumque ille de vaſe argenteo biberet, repentè ei infuſa eſt utriusque teſtamenti cognitio, & eorum omniũ quæ alijs ad eorum ſalutem tradenda ſunt: dum verò ad aureum labra admoveret, incredibilem percepit ſuavitatem, ac eodem momento omnium eorum ſcientiam eſt conſecutus, quæ ad vitam futuram ſpectant, viditque Beatos in gloria. O millies felicem! qui ſpretis omnibus mundi poculis, aureis, argenteis, cryſtallinis &c. de hoc duntaxat Vaſe devotionis bibit, hauritque. Bibite Chariſsimi & inebriamini. Quidni hauriatis inde ſalutem à Domino?

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

Modum ſuggerit, B. Ambroſius Sanſedonius, de quo Ann. Domin. Ille quot hebdomadis die Matri Virgini dicato, quinq; pauperes hoſpitio excipiebat. Modum ſuggerit Familia illa, cujus meminit Drexel. Eleem. p. 2. Cap. 4. Hæc lac omne, quod Sabbato à pecore toto excipiebat,

bat, in pauperum usus effundebat. O si saperes! O si in hoc Vas insigne devotionis reponeres, Sabbatis maximè, vel modicum lactis, panis &c. ut egentium necessitati succurras! Quidni tibi aliquando contigeret, quod S. Liduuinæ, quæ Mariæ imperio in Paradisum rapta, ibidem conspexit elemosynas quas famelicis distribuerat. Heus avare, nedum sapis? audi ergò, & contremisce ad verba illa Euangelij. Stulte hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem parasti, cujus erunt?

CAPUT VIGESIMVM SEXTVM.

ROSA MYSTICA.

Eva spina fuit, Maria Rosa extitit, Eva spina vulnerando, Maria Rosa omnium affectus mulcendo.

Eva spina infigens omnibus mortem. Maria Rosa reddens salutem. S. Bernardus Serm. de B. Maria.

STIMVLVS PRIMVS.

Con-

Onsidera. I. Decorem, venustatem, ac gratiam hujus Rosæ mysticæ, sic Mariam compellat Ecclesia. Hujus Rosæ Martyrum, sic eam vocat S. Bonav. in Spec. lect. 2. Hujus Rosæ prælucidæ, sic eam nominat S. Gertrudis. Hujus sive albicantis, sive rubricantis Rosæ, de qua S. Bernardus serm. de B. V. Maria inquit. Rosa fuit candida per virginitatem, rubicunda per charitatem, candida virtutem sectando, rubicunda vitia calcando, candida affectum purificando, rubicunda actum carnalem mortificando, candida Deum diligendo, rubicunda proximo compatiendo. Perpende nonnulla quæ de rosæ pulchritudine ac dignitate prostant encomia. Rosa est florum pyropus. Hortorum purpura. Odorum Sapphirus. Aprilis oculus. Veris phœnix. Naturæ pompa. Rosa ut testatur Sappho apud Achillem Tacium, est florum Regina, terræ ornamentum, plantarum decus, oculus florum, prati rubor, pulchritudo coruscans, terræ risus. Rosa florum Rex est, nam ut ibidem Leucippe. Si Regem, inquit, floribus constituere Iupiter voluisset, non alium certè quam rosam tali honore dignatus

fuiſſet. Anacreon Poëta de roſa cecinit.

Roſa flos odorq́; Divûm.
Hominum roſa eſt voluptas,
Decus illa gratiarum.

Denique ut Cornelius in Acta Apoſt: C. 12. v. 13. notat, ſi quis omnibus laudibus ſit cumulatus, roſa nuncupatur. Quare appoſitè S. Hermannus, vulgò Ioſeph dictus, videns quadam vice Mariam, eamq́; non agnoſcens ex facie, ſed ex voce, ait ad ipſam. Tune es inquit ô Roſa? ſic enim ex nimia familiaritate, ſuppreſſo nomine, illam ſolitus erat appellare. S. Hieronymus Lib. 2. Epiſt. 15. de puella laudatiſsima. Vniverſa, inquit, propinquitas, roſam ex ſe natam gaudeat. Gaude & tu ô Chriſtiane, gaude ô Sodalis Mariane, ex eadem radice, te pullulaſſe, quâ hæc Roſa myſtica, ſed dole ſimul te ſpinam eſſe, illam verò Roſam. Geme inſtar turturis gemebundæ, & cum Adamo de S. Victore ſæpius occine, ſed lachrymans.

Salve Verbi ſacra Parens,
Flos de ſpina, ſpina carens
Flos ſpineti gloria.
Nos ſpinetum, nos peccati
Spina, ſumus cruentati,
Sed tu ſpinæ neſcia.

O Ro-

O Roſam molliſsimam! O Roſam absque Spinis!

Et velut in ſpinis, mollis roſa, ſurgit acutis.
Nil quod lædat habet, matremq́; obſcurat honore.
Sic Evæ de ſtirpe ſacra veniente Maria.
Virginis antiquæ facinus, nova Virgo piavit.

Ita Sedulius Lib. 2. Paſchal. de miracul. Chriſti. O Chriſtiane! utinam hanc Roſam tecum continuò deferres! inſtar Ludovici XI. Galliæ Regis, qui Mariæ imaginem ordinariè in galero geſtabat. Vtinam imitareris S. Gertrudem in precatiuncula illa, quâ ipſa Dei Matrem ſalutabat! Ave candidum lilium, fulgidæ, ſemperque immotæ Trinitatis, Roſaque prælucida cælicæ amænitatis, de qua naſci, & cujus lacte paſci, Rex Cœlorum voluit, divinis influxionibus animos noſtros irriga, ac cœleſti cibo paſce. Imitare B. Hermannum Ioſeph, devotiſsimum Virginis famulum, imò ſponſum, hic Mariam Roſam ſuam nuncupare ſolebat; nec ſine causâ: nam quadam vice ab eâ viſitatus, & cœleſti conſolatione perfuſus, vidit ab illa per cubiculum ſuum ſpargi perplures fragrantiſsimi odoris roſas, quas ipſe reverenter colligens, pretioſo in calice collocavit. O roſas pretioſiores illis, pro quibus Cleopatra, ut obſervat Cornelius à Lapide, in Cap. 2. Li-

bri Sap. in opiparo ſuo convivio, talentum expendit, hoc eſt ſex millia coronatorum Francicorum, cum per omnia diſcumbentium triclinia, foliorum paſsim acervi, cubiti menſurâ pavimentis undequaque extarent. Tu ſi ſapis Roſam myſticam omnibus floribus præferas, eam geſta in pectore, geſta in corde. B. Margareta à Caſtro, è Divi Dominici Sacro Ordine, devota Mariæ filia, à morte reperta eſt, cum pretioſo lapillo in corde, in quo ſculpta fuit effigies Virginis, aureo diademate cinctæ. Fortène ut adumbraret Roſam myſticam Mariam?

STIMVLVS SECVNDVS.

Conſidera. 2. Vtilitatem & commoda quæ ſecum afferat Roſa. Indorum Magi ut refert Pier. Lib. 55. hiero: C. 8: roſam tanti fecêre, ut eâ uterentur ad conciliandos Principum animos, oleoque roſaceo ſuperſtitiosè faciem obungebant, quoties aliquem Principem adirent. Teſtatur Cornelius à Lapide. in lib. Sap. Cap. 2. roſas & coronas ex roſis à temperantibus adhiberi convivijs, tum odoris causâ, tum ut ſuâ frigiditate reſiſtant ebrietati, præſertim dum ſuo halitu ſuavi, poros aperiunt,

periunt, per quos vapores vini expirent, ne cerebrum gravent. Vnde non immeritò Horatius. Non deſint epulis roſæ : eſt enim in cibis ac medicinis ſana æquè ac ſapida roſa, ex qua aqua vulgò roſacea diſtillatur, quæ aciem oculorum clarificat, & dolores mitigat. Plutarchus lib. 3. docet. Roſas mirificè cor, cerebrumque recreare, habereq; vim aſtringendi, ac ea quæ caput gravant, odore ſuo reprimendi. Roſa ſcarabæum è ſtercore cui incubat ſordentem & fœtentem odore ſuo necat, ut advertit Cornelius à Lapide, in Eccl. Cap. 24. Verùm quid hæc ad Roſam myſticam Mariam ? cujus odor longè ſuavior ac nobilior. Certè ſuaviſsimum odorem emittens, apparuit olim Maria Regi cuidam Manomotapæ: imò S. Hermannus, quoties ſupplex nomen ejus venerabatur, totus divinis odoribus perfundebatur. Quarè meritò ad illam, orat. 1 de Nativ: Damaſcenus ait. O Roſa, quæ ex ſpinis, hoc eſt Iudæis orta es, ac divinâ fragrantiâ cuncta perfudiſti. Meritò S. Bernardus, ſerm. 4. de Aſſump. Mariæ. Digna planè, inquit, quam reſpiceret Dominus, cujus decorem concupiſceret Rex, cujus odore ſuaviſsimo ab æterno illo paterni ſinus attraheretur accubitu. Meritò Rupertus, Lib. 7. de Divin.

Offic.

Offic. cap. 25. Et quo in vertice montium tantum myrrhæ, id eſt mortificationis, cum thuris, id eſt piæ orationis odoribus inveniri potuit, quantum in hujus Beatæ Virginis anima. De eadem B. Cyrillus Alexand. Orat. contrà Neſtorium. Hæc eſt, ait, per quam Angeli lætantur, per quam dæmones fugantur, per quam univerſa creatura, ad veritatis cognitionem perducta eſt, per quam mortui exſuſcitantur. De eadem Metriſta.

Sicut ſpina roſam, genuit Judæa Mariam.
Ut vitium virtus, operiret gratia culpam.

O quoties illam operit Maria! ô quoties à peccati lue præſervat! proh quoties Roſa hæc myſtica nos non ſanat! illa cor recreat, mentem refrigerat, oculos purificat, &c. Vtinam etiam omnium linguas ſolvat in laudes ſuas! nobiſque contingat quod juveni illi, de quo Cæſar Franciot. in Hiſt. Lucana. Refert ille juvenem quendam mutum poſt mœnia Vrbis Lucenſis in Etruria, menſe Ianuario, quando omnia ferè pruinâ rigebant, reperiſſe inter teſqua roſam, eamque decerptam, Patri cum porrigeret, ex muto vocalem factum, beneficio roſæ illius loqui cæpiſſe, quæ ad conſpectum Mariæ nata; erat enim è regione in pariete Vrbico depicta puerum

Ieſum

Iesum, in ulnis gestans Deipara, cui apud Lucenses nomen à Rosa. O Rosam salutiferam Mariam! ô Rosam ab omnibus expetendam! Quod si Iulianus Medices, amplissimus Italiæ Princeps, pro symbolo rosam sibi vendicavit, rosam videlicet in manu depictam, tu quoq; rosam tibi vendica, sed cum hac epigraphe. ROSA MEA MARIA. At vide ea apud te floreat, verificeturque illud Leonis XI. Pontificis, qui in insignibus rosam gestabat, cum hoc lemmate. SIC FLORVI.

STIMVLVS TERTIVS.

Considera. 3. Rosam, sed non absque spinis. Surrexerat, inquit S. Ambrosius lib. 3. Hexa: C. 11. antè floribus immixta teneris, sine spinis rosa, & pulcherrimus flos, sine ulla fraude vernabat, postea spina sepsit gratiam floris. Symposius autem Poëta hoc ænigmate exornat rosam.

Purpura sum terræ pulchro perfusa rubore,
Septaq; ne violer, telis defensor acutis.

Gratiosè S. Basil. Epist. 8. ad Liban. Rosarum amatoribus natura minutas illas spinas, quasi quædam amatoria illectamenta isti flori adfixit, ut stimulis

illis, ægrè contactum admittentibus, ad majus deſiderium colligentes provocet. Ita eſt. Sèd proh dolor! Roſa eſt Maria, nam ait S. Bernardus in deprecatione ad B. V. Ipſa eſt viola humilitatis, lilium caſtitatis, roſa charitatis; & hanc tu refugies metu ſpinarum? roſa ſpinis caruit mundo naſcente, ut teſtatur Baſilius, aſt ubi jam dic amabo, roſam abſque ſpinis reperies? nec illis caruit Roſa myſtica, non quidem ſepta ijs, in quas aliquando animadvertit Deus, ſed potius quas olim deprædicet Cœlum. Audi Angelum, ſpinas ejus explicantem, qui ſic locutus eſt S. Brigittæ de B. Virgine, S. 16. Angelico. Congruè hæc Virgo nuncupari poteſt florens Roſa, nam ſicut roſa creſcere ſolet inter ſpinas, ita hæc Venerabilis Virgo in hoc mundo crevit inter tribulationes. Et quemadmodum quantò roſa in creſcendo ſe plus dilatat, tantò fortior, & acutior ſpina efficitur, ita & hæc electiſsima Roſa Maria, quantò plus ætate creſcebat, tantò fortiorum tribulationum ſpinis acutiùs pungebatur. Cùm autem ad illam ætatem ipſa pervenit, quâ Filius Dei factus fuit Filius ſuus, tunc pleniſsima illa Roſa in ſua pulchritudine magis dilatari ac creſcere videbatur, ac tribulationum ſpinæ ipſam acriter ſtimulantes fortiores

& acu-

& acutiores quotidie efficiebantur. Audis hæc Christiane? audis hæc Sodalis Mariane? fatere ergò ſpinis vallatam & hanc Roſam myſticam Mariam, cui corporis afflictio nequaquam defuit, illa enim eſt uſa corporis mortificationibus, ut putat Suarez. cum S. Thoma 3. p. q. 27. a. 3. & Bonav. in 3. diſt. 3. q. 2. puta jejunijs, vigilijs &c. Nam cùm Chriſtus, ut aſſerunt aliqui, præter jejunia, vigilias, in orando pernoctationes, humi cubationes, etiam cilicio & flagris carnem ſuam ſanctiſsimam afflixerit, idque Suarez tomo 2. diſp. 28. S. 3. nec indecens, nec incredibile eſſe dicat, cur nolimus etiam pientiſsimæ ejus Matri aliquas mortificationes concedere? quin imò ut refert noſter Ioannes Euſebius Nierenbergius, in ſuo Libro de affectu erga Mariam, Cap. 15. S. Gregorius Turonnenſis à B. Virgine doctus eſt, ex quo templum trimula ingreſſa fuerit, nunquam ipſam aut cilicium poſuiſſe, aut in lecto cubuiſſe. O Roſam inter ſpinas! ô ſpinas non abſque Roſâ! fruſtra itaque extra ſpinas roſam quærimus. Roſas ſed in hyeme frigidâ dedit Theophilo, Virgo & Martyr S. Dorothea, ut eſt in ejus vita. Roſam ex ore emittere, ſed moriens viſus eſt S. Ludovicus Caroli II. Siciliæ Regis

 primo

genitus, ut leges in vita, 19. Aug. apud Ribaden. Rosula quidem vocatur Virgo illa, de qua die 14. Septemb: Roman. martyrol. sed martyr est. Rhode, sive quod idem est Rosa, de qua in Act. Apost. Cap. 12. v. 13. Rosulia quidem dicta, sed pro fide cum alijs martyribus passa est in Sardinia in persecutione Trajani. Virgo illa Franciscana, cujus sacrum corpus integrum & flexile, quod proindè vestiri se sinit, Viterbij propè Vrbem Romam, honorificè asservatur, de nomine Rosa nuncupata fuit, sed non absque spinis & vepribus, virtutum comitibus pullulavit in terris. Quod si magis placet Rosalia, decus Siciliæ, totiusque Italiæ ornamentum, perpende hanc Rosam, non in paterno palatio, sed in Erctæ montis specu repertam, quam humor frigidi loci nativus circumfluens, ac temporis diuturnitate conglaciatus, eidem crystallinam velut arculam, pellucidumque velut sarcophagum conformavit, ut non tam in sepulchro jacens Rosalia videretur, quam lucens in crystallo rosa. Ecce Rosam: sed inter spinas, sed inter aculeos, sed in spelunca, ubi hæc verba lapidi inscripta à Rosalia legisses. Ego Rosalia, Sinibaldi Quisquinæ & Rosarum Domini filia, amore Domini mei Iesu Christi, in hoc antro habita-

habitare decrevi. O Roſas pulcherrimas! ô Roſas ſed inter ſpinas fragrantiſsimas! unde obſervant nonnulli, roſam fragrantiorem reddi ſi juxta allium ponatur. Cerne igitur Chriſtiane Roſas, ſed ſimul ſpinas. Cerne & diſce, roſam nullibi reperiri absq; ſpinis; & tamen, ó cœcitatem tuam! credis à te decerpi poſſe Roſam myſticam, quin à ſpinis & aculeis pungaris. Ah falleris profectò, pungêris quidem, ſed mox ſanaberis. Audax ergò manum extende ad Roſam myſticam, ſanguinem elicient ſpinæ, ſed decerpta Roſa, vulneri medebitur. Teſtis ſit S. Ioannes Damaſcenus, cui ob honorem Marianum, qua ſcriptis, qua eloquio defenſum, amputatam manum, reſtituit ad eundem uſum Roſa myſtica Maria.

STIMVLVS QVARTVS.

Conſidera. 4. Celebrem illam Romanorum Pontificum conſuetudinem, qui Dominicâ Lætare, roſam auream conſecrant, eamq; Reginis plerumque transmittunt. Huc facit Gregorij XIII. pietas, qui donum hoc Lauretanæ Reginæ, mundique univerſi Imperatrici Mariæ liberaliter trans-

transmisit, ut adnotavit Tursell. Lib. 5. O tu quoque dono acciperes hanc Rosam mysticam! Olim Gratijs sacram fuisse rosam, Auctor est Pausanias. Lib. 6: ô tibi æquè grata sacraque esset Rosa mystica! Rosà musas coronari solitas Sappho notat. ó te pariter coronaret olim Rosa MARIA! Lucretius Lib. 2. de Idæa Matre denso rosarum jactu ab omnibus petita, ita canit.

Ninguntq; rosarum
Floribus, umbrantes matrem comitumq; catervas.

O sic tu Dei Matrem rosis, sive rosarijs consperge res! quæ adeò ei chara, ut ad extinguendam hæresim Albigensium, ipsius monitu rosarium instituisse scribatur S. Dominicus. Adeò hoc placet Virgini, ut Alano à Rupe Britanniæ Dominicano apparens, munus rosarium prædicandi demandârit. Illud quam execrandum sit dæmoni, vel hinc collige. Injecto in obsessæ puellæ collum rosario, clamat ille, tollite rosarium, quia collum mihi abscindit, Litt. Iapon. anni 1596. Quantæ verò utilitatis sit, crede Bertrando Dominicano, qui illud quotidiè recitabat, secum semper deferebat, etiam noctu è collo pendens gestabat, cujus ope in Indijs ægros multos sanavit, peccatores convertit, mortuos suscita-

scita-

ſcitavit. Novit roſarij virtutem, magnus ille magni Ignatij Loyolæ filius, Thomas Saillus è Soc: Ieſu; qui licet tot annis caſtra ſequeretur, multos juxta ſe cadentes videret, ipſe tamen abſque vulnere ambulavit intrepidus, id Mariano roſario adſcribens, quod quoties ad arma proclamatum erat, balthei inſtar ab humero per transverſum pectus obtendebat. O generoſum militem! ô Heroem invincibilem! quid timeat ille, qui quot globis Marianis, tot quaſi ſcutis, bellicisque tormentis inſtructus incedit? Dum Alanus ab ingenti hæreticorum multitudine eſſet circumdatus, viſa fuit Maria, ut refert Albertus Caſtellanus Venetus, 150. lapides in hoſtes jacere, maximâ eorum ſtrage, ſicque ille victor evaſit. Cur ſimilem victoriam non ſperet, cui 150. globuli Mariani è cingulo, aut collo pendent? cui militat æther? Audi quisquis victorias ambis, & triumphos. Vincere ſi vis, roſarium geſta. Splendere ſi optas, roſaria tracta. Certè poſt obitum Alani Dominicani, os & manus recitandi roſarij inſtrumenta, velut chryſtallus collucebant, ut adnotavit citatus Albertus Caſtell. Quod ſi magis odorum amans, inter odores deliciari cupis, roſarium crebrò attingito, quod aſsiduè manibus tractans B. Cæcilia

Domi-

Dominicana, factum eſt, ut ab ejus obitu, manus illæ, quendam roſarum odorem aſpirarent. Ah quidni roſas redoleant manus illæ, quæ roſarijs tractandis aſſuetæ? quidni totus redoleas, ſi vel mente recogites hanc Roſam myſticam? Surius Virgini Deiparæ tom. 2. Apr. 7. benè accommodat illud quod de Ioſia eſt ſcriptum Eccl. 49. Memoria Ioſiæ in compoſitionem odoris facta opus pigmentarij. Verè inquit dixerim, memoriam Mariæ, in compoſitione factam opus pigmentarij redolens quaſi flos roſarum in diebus vernis, & quaſi lilia, quæ ſunt in tranſitu aquæ, & quaſi thus in odorem ſuavitatis. Miraris Sodalis Mariane, ex ore cujusdam Religioſi jam defuncti, prodijſſe miraculosè roſam, in qua ſcriptum erat, MARIA? mirari deſine, quinimò ut idem tibi contingat, quo affectu potes & obſequio, ubiq́ue proſequere Roſam myſticam MARIAM.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

NE queſo ſub roſâ teneas, ſilentiove tegas, quod in Roſæ myſticæ redundat encomia. Iuvenis ne turpi quodam peccato Sabbatum conta-

contaminet, abſtinet ob Deiparæ honorem; quo fœliciter mortuo ac ſepulto, Beatiſsima Virgo cuidam comparens, ita fatur. Roſam ſuper ſepulchrum vernantem reperies, in ſuperficie cujus radix de ore ſepulti pullulat in viſceribus terræ. O prodigium! Quis non ex illo ore, ſpinas quondam expectaſſet potius, quàm roſam! Tu ne mortuus ſpinas feras, vivus honora, Sabbatis maximè ROSAM MYSTICAM MARIAM.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM: TURRIS DAVIDICA.

Fuit B. Virgo Turris in aſpectu amabilis, ſtatura fortis, ac diabolo terribilis & inacceſsibilis.

Rupertus in Cant: C. 7.

STIMULUS PRIMUS.



Onſidera. I. Turrim illam Davidicam, quam ipſe in monte Sion extruxit, quæ arcendis procul ho-

ſtibus ſerviebat, fuitque in refugium & ſecuritatem Civibus. Vide annon Turris Davidica Maria, à Cœleſti Davide, in ſupremâ Sion erecta, in mortalium omnium tutamen atque aſylum. Meritò ergò à Sancto Damaſceno in hymn. Fidelium Turris conſalutatur. Salve Turris fidelium, ſalve omnium lætitia. Meritò à S. Ignatio Martyre, munitiſsimum in bello verſantibus propugnaculum vocatur: à S. Ephræm. Vallum Fidelium: à S. Bernardo, omnibus Firmamentis firmius Firmamentum. Richard. à S. Laur. Lib. 11. de Laud. Virg. hæc habet. Turris fortiſsima nomen Dominæ, ad ipſam fugiet peccator, & liberabitur, hæc defendit quoslibet, & quantumlibet peccatores. Theodoretus in Cantica, & ex hoc Hailgrimus Cardinalis ita ſcribit. Hanc Turrim B. Virginem, Chriſtus in Eccleſia erexit, ut eſſet peccatoribus refugium & munimen: propugnacula ejus ſunt virtutes, & gratiæ, dignitates & prærogativæ: clypei, exempla virtutum, per quas reſiſtitur contra tentationum inſultus, ut prudentia, fortitudo temperantia. &c. S. Bernardus Serm. 4. ſuper Salve Regina. Tu ô Virgo, inquit. Turris es ædificata cum propugnaculis ſuis, hoſtes tui non parùm formidabant, nè fortè tu eſ-

ſes,

ſes, quæ eras, per quam expugnandi erant, & damnandi, propter quod & terribilis eis fuiſti, ut caſtrorum acies ordinata. Tu ſi voces Turrim cum propugnaculis ædificatam, ex qua pendent mille clypei, & omnis armatura fortium, adverſus Principes & Poteſtates, & adverſus mundi Rectores tenebrarum harum, nil à vero aberraſti. O te felicem ſi in periculis ad hanc Turrim accurras! ait enim Hailgrinus. B. Virgo eſt Turris, ad quam in omni periculo confugiunt miſeri. Et Euſebius in ſermone. Nullum ibi tonitruum inquit ipſe, aut tempeſtas, nulla coruſcatio, nullum fulmen ferire poteſt, ubi Mariæ aliqualis memoria fulmineſcit. Audi Richardum à Sancto Victore. ſuper Cant. cap. 26. Virgo, tenebrarum principibus terribilis fuit, ut ad eam accedere non præſumpſerint, deterrebat enim eos flamma charitatis, incendebant orationes, ſtupebant immunem à peccatis. Audi Idiotam. Lib. Contempl. Cap. 5. Tantæ virtutis & excellentiæ eſt tuum ſanctiſsimum nomen Beatiſsima Virgo, quod ad invocationem ipſius, Cœlum ridet, terra lætatur, Angeli congaudent, dæmones contremiſcunt, & infernus conturbatur: ita ille. Audi S. Gertrudem eximiæ ſanctitatis fœminam. Lib. 6. Re-

vel. C.21. Quamvis avis prædatricis adinſtar diabolus animam Chriſtianã celeri volatu inſequens, jam jam prædæ immineat, ac ungues fatales exerat, ut miſeram dilaceret, ſi tamen mentio fiat Mariæ, cogitur prædam deſerere. Hæc ipſa. Audi deniq́ue ipſum Deum Patrem, ad Seraphicam Catharinam Senenſem loquentem. Matri Vnigeniti Filij mei Mariæ datum eſt à bonitate mea, ut propter incarnati Verbi reverentiam, quicumq́ue etiam peccator ad eam debitâ cum veneratione recurrit, nullo modo rapiatur à dæmone. Bloſius in monili. O verba ſolatij plena! ô verba quæ pedibus nectant alas, quibus ad hanc Turrim evoles! Et nedum volas? ne dum curris? proh ſaltem ito ſaltem in periculis clamato. Succurre, ſuccurre Maria. Si enim teſte Salomone. Proverb: 18. n. 10. Turris fortiſſima nomen Domini, putas non erit, Turris fortiſſima nomen aut invocatio Mariæ? Invoca igitur Mariam, invoca in dubijs, invoca in proſperis & adverſis. Pete audacter ab illa quidquid magis cordi arriſerit, imò ne petas, niſi ut ſuadet Anſelm. Neſcit homo, inquit ille, quid oret, aut quomodo oret. Tu pro nobis ora Mater Dei, quæ, quid, & quomodo nobis petendum ſit noſti.

STIMVLVS SECVNDVS.

Considera. 2. Eminentiam & altitudinem hujus Turris Davidicæ, de qua D. Epiph. ait. Solo Deo excepto, cunctis superior existis. De qua dicit Andreas Cretensis Archiepiscopus Hierosol. Excepto Deo solo, es omnibus altior. De qua Idiota. Nemo æqualis est tibi, nemo major te, nisi Deus. De qua Damascenus. Maria res omnes creatas excellit. De qua S. Chrysostomus. Ecquid in rerum universitate queat hac majus ac sublimius inveniri? sola hæc cœlum & terram amplitudine superavit. De qua S. Petrus Damian. Serm. de Assump. Virgo inter animas Sanctorum & Angelorum choros supereminens & evecta, merita singulorũ & omnium titulos antecedit. Cui consonat illud Germani Patriarchæ Constantinopolitani ad Ioannem Synâdon Episcopum, hæc scribentis. Verè ac propriè veri Dei Matrem veneramur, & magnificamus, & quavis visibili & invisibili creaturâ superiorem reputamus. Concludat S. Gregorius Magnus, qui affirmat, Mariam meritorum verticem, supra omnes Angelorum choros usque ad solium Deitatis erexisse: imò B. Hieronymus asserit. Virgo inquit,

ſingularis, & Virgo regalis, à proprio Filio ſuo ad thronum Dei vehitur, & in ipſa ſede Trinitatis collocatur. Sodalis Mariane, procide ſæpius in die, ante hoc Dei & Mariæ ſolium: imitare Beatam Mariam Ogniacenſem, quæ aliquando per diem & noctem, millies & centies flectens genua, ſalutabat Virginem, dumque in terra proſtratus fueris, dic ei confidenter cum S. Bernardo. Per te acceſſum habeamus ad Filium, ô Benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ, Mater ſalutis, ut per te ſuſcipiat nos, qui per te datus eſt nobis. Dic ei cum Eccleſia. Audi nos, nam te Filius nihil negans, honorat. Dic ei cum Germano. in Serm. de Zona B. V. Si tu nos deſerueris, quidnam de nobis fiet, ô Sanctiſsima Deipara? quomodo enim corpus noſtrum vitalis ſignum operationis habet reſpirationem, ita etiam ſanctiſsimum tuum nomen Virgo beatiſsima, quod in ore ſervorum tuorum verſatur aſsiduè in omni tempore, loco & modo, vitæ & auxilij, non, ſolum eſt ſignum, ſed ea etiam procurat, & conciliat. Hæc ille.

STIMVLVS TERTIVS.

Conſidera. 3. Quo niſu, quâ defatigatione & aſcen-

& aſcenſu opus ſit, priusquam altiſsimam quampiam turrim conſcendas, quarè procerto tibi perſuadeas, nec te ad hanc myſticam Davidis Turrim unquam perventurum, absq́ue labore & ſudore. O ſudorem mille votis exoptandum! mille & mille laboribus exprimendum! adeſt enim ſudantibus, adeſt laborantibus Maria. Nonne adfuit Religioſis illis, quibus in meſſorio opere diſtentis, ſudorem de fronte linteolis abſterſit? (ex Hiſt. Ciſtercienſ.) Nonne adfuit Patri Martino de Alberro, in domeſticis ſordibus everrendis & colligendis occupato? cui aſpiciendam ſe præbuit, & in opere hoc abjecto verſantem laudavit, dulciterq́ue gratias egit. (ex Ioan. Euſeb. Nieremberg. de B. V. C. 22.) Nonne ad laborem ipſamet hortari voluit Angelũ de Paz Minoritam, cui cùm mandaſſet Sixtus V. Summus Pontifex, in quatuor Euangeliſtas Commentarium conſcriberet, eidem Angelo apparuit Maria, & ut initium commentationi daret, ſuaſit. (Chron. 14. L.. 10) Eja ergo quisquis Mariæ placere cupis, labores ſedulò aggredere, ad ardua manum animosè extende, & ut ad hanc Turrim aliquando pervenias, ſcalas intrepidè conſcende, ſed virtutum, jam caſtitatis, jam humilitatis,

jam obedientiæ, jam reverentiæ, jam amoris, jam patientiæ &c. Aſcenſiones in corde tuo diſpone, de virtute in virtutem progredere. Sequere præeuntem Beat. Gabrielem Anconitanum Minoritam, (Chron Min. L. 4. C. 22.) quem frequentiſsimè Deipara inviſit, huic nullum exercitium, nulla occupatio ſapiebat magis, quam meditari, loqui, prædicare ſanctitatem Mariæ. Sequere præeuntem Franciſcum Retzam, è D. Dominici Familia, qui non tantùm tria ingentia volumina in laudem Summæ Virginis, ſuper gratioſum illud. Salve Regina. compoſuit, ſed etiam inter ſtudendum, quoties à libro ad librum, vel de loco ad locum tranſiret, eam Angelicis verbis ſalutabat. Sequere præeuntem Ioſephum Anchietam qui licet inter Braſilos, ſævos & crudeles hoſtes, tamen Mariæ laudes carmine elegiaco commentus eſt, ad quod poliendum ac perficiendum, cum ab hoſte liber eſſet, redijt, illudq; in bis mille octoginta ſex diſticha extendit. Sequere deniq́ue eos qui in honorem Virginis jam hæc, jam illa munia obeunt, jam huic, jam illi labori laudabiliter ſeſe impendunt, nullibi quieti, ubiq́ue ingeminantes. Plus ultra. Neq́ue frivolam illam ingeras excuſationem, expedire magis orationi vacare,

quam varijs laboribus, diſtrahi. Audi Mariam hunc ipſum errorem omnes dedocentem, quando S. Hermannum Ioſephum triſtiorem, quod munijs alijs diſtractus, precibus vacare non poſſet, monuit ipſa, plus apud Superos ſolicita in alios ſtudia, quam quieta inter preces ſuſpiria mereri. Huc quoque facit illud quod legitur in 3. parte Chron. S. Franciſci Lib. 6. Cap. 31. F. Thomas Capponus nobilis Florentinus, Ordinis Minorum, cùm propter occupationes, quibus, miniſtrans Fratribus, diſtentus fuerat, ſolitas preces antequam cibum ſumeret, recitare non potuiſſet, eas tamen ne negligeret, in templum ad Aram B. V. Annunciatæ, illas recitaturus ſe contulit, verùm ex Deiparæ imagine vox ad eum facta eſt, quâ jubebatur ad menſam cum alijs accedere, & poſt cibum, precum penſum perſolvere. Diſce hinc Anima fidelis, quàm verum ſit tritum illud axioma. Voluntas pro facto accipitur.

STIMVLVS QVARTVS.

Conſidera 4. Quàm multa beneficio Turris videant mortales, non tantum ea quæ nobis viciniora, ſed etiam quæ remota & diſsita. O quot beneficio myſticæ hujus noſtræ Turris, mira con-

ſpexêre! Vidit Albertus Magnus, quod ſupremo ante mortem triennio, rerum omnium ignarus eſſet futurus, idipſum ei Maria referente. Vidit S. Philippus Nerius periculum quod ſuis imminebat, dum enim lignum cui tectum ædiculæ ſuperponebatur, in qua à Patribus Oratorij Sacra fiebant, altera ex parte totum extra murum, fulciente nemine ſtaret, conſpexit ille noctu Deiparam, ſuis illud manibus ſuſtentantem, ex quo præſentiſsimam ejus opem in tanto diſcrimine agnovit, ſtatimque à fabris tectum illud ne ſpontè corruens aliquem opprimeret, demoliendum curavit. Vidit Ioſephus Anchieta, mortem quam barbari Braſili ei minabantur, ſibi nil nocituram, cumque ſe jactarent tali & tali die ejus carnibus ſe ſaturandos, non ita erit, reſpondit ipſe, nondum venit hora mea: poſtmodum ab eo ſiſcitatus nonnemo, quâ tandem ſpe fretus, id tam conſtanter affirmaret? Matris inquit Dei, promiſſo nixus, quo certus eram mihi vitam non eripiendam, niſi quæ de ejus encomijs inchoâram abſolverem. Beatæ Angelæ à Fulignio Deus revelavit, id ei precibus Deiparæ conceſſum, ut nunquam in viſis & revelationibus, quibus quidem frequenter illuſtrabatur, falleretur, qualeſcumque demum

demum essent. O cœcitatem nostram! ergò nos soli cœci, nos soli erravimus à via veritatis, & Sol justitiæ non illuxit nobis! Ah denuò redeundum ad hanc Turrim. Perquam inquit S. Bonav. in Spec. Cap. 3. multi in nocte hujus sæculi illuminati sunt spiritualiter, sicut quandoque Filij Israël per columnam ignis, illuminati sunt corporaliter, juxta illud Psalmi. Deduxit eos in nube &c. Quod si ut benè notat Cornelius à Lapide, columna similis est turri, imò revera subindè est turris, quales Romæ sunt columnæ Trajani & Antonini Imperatorum: ah properandum ad hanc Turrim, ad hanc Marianam columnam, nam ut loc. cit. loquitur S. Bonav. Maria nobis est columna nubis, quia tanquam nubes protegit ab æstu divinæ indignationis, protegit ab æstu diabolicæ tentationis. Maria quoque columna ignis est illuminans nos, imò illuminans mundum multis misericordiæ suæ beneficijs. Hæc Bonav. Concludat Damianus, qui hanc animatam Turrim alloquens ait. Summa gloria est post Deum te videre, adhærere tibi, & in tuæ protectionis munimine demorari.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

SEde prius & quiesce, quisquis commodius ad hanc Turrim optas pertingere. Henricus II. Anglorum Rex, singulis Sabbatis, ab horâ nonâ, in proximam feriam secundam, justitium Anglis imperavit, teste Rogerio in Annal. Anglorum. O Sabbatinam quietem, vel à bestijs disceres, si non ab hominibus! refert enim Adrichomius in descriptione terræ sanctæ, hortum quendam balsami, eo fonticulo irrigari, in quo olim adhuc in terris peregrina Virgo suum lavit Iesulum, & quia toti horto non sufficeret, aliunde à bobus aquam trahi, qui tamen à meridie Sabbati, usque ad auroram diei Lunæ, nullo verbere possunt impelli, in aquâ protrahendâ laborent. Quiesce & tu Sabbatis, sed ideò, ut totus cogitans Mariam, ad eam aliquando gloriosiùs ascendas.



CAPVT

CAPUT VIGESIMVM OCTAVVM.

TVRRIS EBVRNEA.

Maria singularem præ omnibus Electis invenit gratiam, ut ex ebore corporis ejus, thronum sibi virtus Altissimi excinderet gloriosum. Guericus in serm: de Annunc. &c.

STIMVLVS PRIMVS.



Onsidera. I. Quid candidius, quid purius, quid nitidius Turri hac Eburneâ. Quæ vel Angelica, inquit S. Bernardus, Serm. 4. de Assump: B. V. puritas Virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus Sancti sacrarium fieri, & habitaculum Filij Dei. Quarè meritò à Richardo. Lib. 2. de Emmanuele. Cap. 26. dictum est. Nemo tam sanctus qui maculam non habuerit, & defectum, præter Mariam. Quò spectat Anselmi sententia,

de excellentia B.V.Cap.3; qui asserit. Castissimum corpus, & sanctissimam animam ejus, funditùs ab omni fuisse maculâ peccati protectam. Albertus Magnus gravissimus Pater & Theologus pronunciat, dicens. Sanctissima est caro B. V: quæ nunquam admisit aliquid sanctitati contrarium, omnes alij Sancti admiserunt. Vnde rectè à Richardo Victorino Lib. 2. de Emmanuale Cap. 31. notatum est. Cæteris Sanctis, inquit ipse, in communi præcipitur, ut in mortali corpore peccata non regnent, soli isti singulariter datur, ut mortale corpus ejus non inhabitent. O felicitatem Mariæ! ô candorem ineffabilem Turris hujus veræ eburneæ! verè puræ, verè nitidæ, quæ nequidem ullam vel levis culpæ maculam unquam contraxit, ut de fide est. Habes Anima fidelis in quo Mariam imiteris. Si candidam virginitatem adamas, ecce tibi Virgo occurrit, de qua Honorius. Hæc prima inter mulieres, meruit Virgo summæ prolis fæcuditatem. Si donis cœlestibus vis repleri, ecce via, virginitatem amplectere, Deus enim nulli uberiora. ut testatur Ambrosius, quam virginitati deputavit munera. Quid loquor, ait idem Ambrosius, quanta sit virginitatis gloria, quæ meruit à Christo eligi ut esset etiam corpora-

porale Dei templum, in qua corporaliter, ut legimus, habitavit plenitudo Divinitatis. Si beatitudine donari cupis, fac quod fecit Maria. Quæ quia, ait Beda, prima fœminarum tantæ ſe virtuti (loquitur de virginitate) mancipare curavit, jure ſingulari præ cæteris fœminis beatitate meruit excellere. Vis à Deo quidquid libuerit obtinere, veſtigia Conradini à Brixiâ Dominicani ſequere, qui ut tentationi carnis reſiſteret, flagellis uſque ad ſanguinem poſtquam ſemel ſe cecidiſſet, conſpicit Mariam, ad quẽ illa in hæc ferè verba. Iam pridem agnovi fili dilectiſsime, quo adverſus me ſis animo, & quanta cum diligentia illibatum ſervare niteris virginitatis florem. Noveris ergo, te nihil à Filio meo poſtulaturum, quod non ſis impetraturus, quod ut verè tibi à me dictum conſtet, en tibi confero donum caſtitatis, cujus deſiderio tantoperè ſemper arſiſti. Denique ut Mariam in vita & morte propitiam experiaris, omnem peccati cujuscunque labem fuge, vel hoc argumento territus. Dum Sancta Coleta preces ad Deiparam pro peccatoribus funderet, B. Matrem cum lance, carnis quaſi infantis recens occiſi fruſtis plenâ, ſibi adſtantem conſpexit, audijtque dicentem. Quî vis ut pro illis intercedam, qui peccatis

catis

catis ſuis Filium meum, quantum quidem ipſi poſſunt, ita ut hîc vides, in fruſtra diſcerpunt. Surius tom. 7. Cap. 29. ejus vitæ. Ah Chriſtiane, noli amplius peccatis Filium Mariæ diſcerpere, quinimò tentatione exſurgente, potius carnem tuam flagris ſcinde, ſcribe in carne adhuc virgine, ſed ſanguine & diſciplinâ. Malo mori quam fœdari.

STIMVLVS SECVNDVS.

Conſidera. 2. Quàm grata, jucundaq; aſpectui ſint ea, quæ ex candidiſsimo ebore affabrè elaborata cernimus: quàm facilè oculos manusque ad ſe pelliçere, imò animos ipſos in ſui deſiderium non tam inclinare, quàm rapere poſsint. Verùm quid hæc ad Turrim Eburneam? quid umbra ad Solem? quid nox ad diem? quid nihilum ad ens præſtantiſsimum? Ah cedant omnia mundi totius ebora Turri Eburneæ. Cedat ei thronus ille auguſtus Salomonis ex ebore, 2. Paral. 9. 17. Cedat integra illa Domus ex ebore, quam Achab ædificaſſe ſcribitur, 3. Reg. 23. 39. Cedant antiqua illa gentium Templa, quæ ebore ornabantur, ut patet ex Tullio. 4. in Verrem. Nil pulchrius, nil ſpecioſius

Turri

Turri eburneâ Maria, in cujus amorem ut totus exardeſcas, audi Nazianzenum in Tragædia, Chriſtus patiens.

Eheu pudicas inter & pulcherrimas,
Atq; venerandas, prima Virgo eadem & Parens
Maria. — Et rurſum :
O Virgo, formæ quæ nitore cæteras
Præis &c:

Audi Epiphanium de illa dicentem. Formoſior es ipſis Cherubim, & Seraphim, & omni exercitu Angelico. Audi Andream Cretenſem. Orat: de dorm. Deiparam ſic alloquentem. Eximia pulchritudo à Deo ſculpta ſtatua rectè deſcripta vivi Archetypi imago. Audi Damaſcenum, diſtinctè ſimul & gratiosè deſcribentem hanc ipſam eburneam, animatamque Turrim Mariam. Oculi tui, inquit ad eam ſemper ad Dominum, perenne atque inacceſſum lumen intuentes. Aures divinum ſermonem audiunt, ac ſpiritus citharâ oblectantur, per quas Verbum carnem aſſumpturum ingreſſum eſt. Nares unguentorum ſponſi odore deliniuntur. Porrò labia tibi ſunt Dominum laudantia, ipſiuſque labris adhærentia. Lingua & fauces Dei verba diſcernentes, ac divina ſuavitate ad ſatietatem uſque fruentes.

Cor purum ac labis expers, Deum ſpurcitie omni carentem cernens, ipſiusque cupiditate flagrans. Venter in quo habitavit is qui nullo loco capi poteſt. Lactis ubera, quæ Deum puerum Ieſum aluerunt. Manus Deum geſtantes & genua. (thronus Cherubinis ſublimior) quorum ope atque adjumento, manus languentes, ac genua diſſoluta, robur contraxerunt. Pedes Dei lege, tanquam lucernâ deducti, ac poſt eam irretorto curſu properantes, quoadusque amatum ad amantem pertraxerunt. Hæc Damaſc. Serm. de Nativ. Addit Guilielmus. Si per eburneam turrim exempla Sanctorum illorum, Abrahæ, Iſaac, Iacob, Davidis, & cæterorum ſignificantur, ſanè Deiparam veriſsimè talem vocari, quæ multò ſublimius cæteris, ex ebore illo antiquo Turrim fortitudinis cunctis hoſtibus tremendam extruxit: quippè antiquorum virtutes in ſuis moribus non modò perfectè expreſsit, verùm etiam in eisdem virtutibus ſuperexcellenti gratiâ modum antiquorum longè exceſsit, vicitq; ſingulos, non tantùm in alijs, ſed & in præcipuis eorum. Abraham in obedientia. Moyſen in manſvetudine. David in humilitate. &c. ita ille. O ſtupendam hujus Turris pulchritudinem! O ſæpius in hanc Turrim

oculos

oculos tuos conjiceres! quæ gaudia, quæ solatia, quas voluptates non experireris! Sit tibi stimulo Lucia Narniensis, è D. Dominici Familia, hæc enim quinque duntaxat annos nata, dum fixis oculis iconem Deiparæ intueretur, ipsa ad eam. Vis inquit, tradam tibi Filiolum meum? annuente illâ, verè ex sinu Matris acceptum, domum attulit, totosque tres dies retinuit, quo tempore imago illa Christi effigie caruit.

STIMVLVS TERTIVS.

Considera. 3. Cur hæc mystica Turris ebori potius quam alteri materiæ comparetur? Ebur os est elephantis, qui præterquam quod sit animalium castissimus, etiam omnium ferarum est mitissimus, placidissimus; adeò fortis ut etiam turres, & in ijs militum acies dorso vectet; adeò humanus, ut unus alterum salutet; adeò sociabilis, ut gregatim incedat; adeò obediens, ut Heri sui dictis pareat; adeò justus, ut de homine adultero & adultera pœnam sumat; adeò viduus, ut mortuâ primâ, secundam non admittat; adeò docilis & reverens, ut Regem adorare discat. Denique naturalem cum dra-

cone inimicitiam habere fertur. Perpende quænam ex ijs dotibus maximè conveniant Mariæ, in ultimam tamen attentiùs oculos fige, videlicet inimicitias inter illam & draconem infernalem, juxta illud Genes. 3. Inimicitias ponam inter te, & mulierem: juxta illud Apocal. 12. Iratus est draco in mulierem. Et quidni capitali odio aversetur dæmon Mariam, quæ ex Bonaventura in Spec. B. Virginis Cap. 3. est virga virtutis contra inimicos infernales, quibus magnâ virtute dominatur. sic ille. Quidni odio canino prosequatur Mariam, quæ ex Petro Dam. Serm. de Assump: est virga illa, quâ retunduntur impetus adversantium dæmoniorum, virga Aaron per quam fiunt signa & mirabilia. Quidni execretur Mariam, de qua Tho. de Villan. Archiepisc. Valent, in Serm. 1. de Assumpt. ita scribit. Ecce castellum fortissimum, ecce Turrim inexpugnabilem, quæ nunquam diabolo præstitit tributum aut fidem. De qua Hailgrinus asserit. B. Virginem Turrim eburneam appellari, propter castitatis candorem, cùm valdè castum animal sit elephas, & propter firmitatem ac constantiam, atque propter pugnam perpetuam sicut cum dracone habet elephas. Intuere utriusque partis conflictus &

certa-

certamina. Ille è medio tollere conatur vel ipsum etiam Virginis nomen, nostramque in eam pietatem: hinc Patri Balthasari Alvarez è Soc: Iesu, adhuc Tyroni apparens, suasit, si à tentatione liber esse velit, devotionem in Mariam omitteret. Maria è contrario conatus elidit, vincitq;. Cui inquit Bernardus, hom. 2. super missus, hæc servata victoria nisi Mariæ? ipsa procul dubio caput contrivit venenatum, quæ omnimodam maligni suggestionem, tam de carnis illecebrâ, quàm de mentis superbiâ deduxit ad nihilum. Et post pauca. Hanc requirebat Salomon cum vehementer admirans dicebat. Mulierem fortem quis inveniet? & ita videbatur congruere, nt qui vicerat per fœminam, vinceretur per ipsam. Hæc Bernardus. Et dic amabò, nonne victus recessit, quando annis quatuor supra decem in specie famuli, cuidam servivit, eum strangulaturus, quâ die consuetudinem recitandi Angelicam salutationem interrupisset? Dic amabo, quàm facile victus & victi? Audi. Dum 15. millia dæmonum quendam insedissent, gloriosus S. Dominicus singulos de populo hortatus, rosarium altâ voce recitarent, recitavit & ipse. O Victoriam nobilem! ad singulas Angelicas salutationes, visa fuit multitu-

do dæmonum ex obſeſsi corpore diſcedentium, & carbonis inſtar ardentium. Viden' ut vel ad ſonitum Marianarum precum hoſtis profugiat? Inde prudenter collige quando ſub dæmone militas (militas autem quoties graviùs in Mariam peccas) quàm ſub imbelle Duce, contra potentiſsimam Bellonam, totique inferno formidabilem præliari contendas: quare alloquens eam Bernardus, tomo 2. ſuorum operum, meritò ait. Tu terribilis ut caſtrorum acies ordinata, annon horruerunt principes tenebrarum, quando viderunt præter morem armaturâ omni fortiorem inſtructam contra ſe procedere fœminam, fœminam fortem, ad bellum doctiſsimam, cujus enſis ſuper femur ſuum, in circuitu ejus acies valida ſpiritualium virtutum, ſuo ſe invicem ordine tuentium, timor & tremor ſuper eos venerunt, ita quod dicerent. Ecce plus quam Eva hæc, caſtra Dei ſunt hæc, fugiamus Iſraelem. Hæc Bernardus. Tu ne aliquando fugias Mariam, ocyùs dæmonem ejura, ejuſq; caſtra deſere, ad Mariam accurre, & ſanctiori juramento te ipſi obſtringe; modum quæris? diſce à Sanctæ Brigittæ pientiſsimo fratre, qui advertens ſe brevi moriturum, Templum ſummæ Virgini dicatum, adijt, ibique digito

ima-

imaginis ejusdem, annulum quem geſtabat pretioſum impoſuit, dicens. Tu mihi Domina es, ſemperque fuiſti cariſsima, ſuper quo teſtem invoco Filium tuum, ideò me & animam meam, tuæ providentiæ do, dico, addico.

STIMVLVS QVARTVS.

Conſidera. 4. Fundamentum hujus Eburneæ Turris. Mater Dei eligitur, ait Bernardus de Maria, hom. 4. ſuper Miſſus: & ancillam ſe nominat. Quid hoc fundamento præſtantius? In profunda, ait Simon Caſsianus, ſe Virgo dejecit, quæ invitabatur ad alta, & à dominatu ad ancillatum animum convertit. Quid hoc fundamento pretioſius? Rupertus adaptans Mariæ illud Canticorum 4. Collum tuum ſicut turris eburnea, per collum intelligit ejus humilitatem. Quid inquit, vel quale eſt collum tuum? utique non extenſum, imò amabiliter demiſſum, & hæc eſt humilitas tua. Quid hoc fundamento ſolidius? Audi Chriſtum ipſum, qui collum B. Virginis myſticè deſcribit, S. Brigidæ L. 5. Revelat. in fine interrog. 890. Collum tuum eſt nobiliter erectum, & pulcherrimè elevatum, quia

quia justitia animæ tuæ plenè est erecta ad me, & secundùm velle meum mobilis, quia numquam inclinata fuit ad aliquod malum superbiæ: sicut enim collum curvatur in capite, sic omnis intentio, & operatio tua flectebatur ad voluntatem meam. Hæc ipse. O homo, hæc tu audis,& humilitatem Mariæ nedum sectaris? Humilitatem illa habuit,secundùm Gregorium in Registro, innumerabilem, & tu ne unum gradum illius possidebis? De illâ ait Gregorius. Audeo dicere, quod Maria nequaquam Deum concepisset, nisi infimam humilitatem habuisset: & tu absq; humilitate arbitraris te posse spiritualiter in corde Deum concipere? Lege Bernardum super Missus est: ubi explicat virginitatem Mariæ & humilitatem, ut ad minimum in hac ipsam imiteris. Audis inquit Virginem, audis & humilem, si non potes virginitatem imitari, humilitatem saltem Virginis sequere. Teste eodem mellifluo Bernardo; per hanc magis quàm per virginitatem, meruit esse Mater Dei. Vndè quantumcunque fuisset Virgo, nunquam tamen Deum concepisset, nisi humilitatem infimam habuisset. O humilitatem potentissimam! ô lapidem fundamentalem! proh quo non evexisti Virginem! Christus Filius ejus,

ejus, ut dicit Auguſtinus, in ſermone, qui eſt de Nativitate, ipſam ſuper omnes cœlos exaltavit, quia ſe ita profundè ſuper omnes Sanctos humiliavit. O Turrim altiſsimam! cujus cuſpis tranſilit Cœlos, ad Trinitatis uſq; ſolium pertingit. Meritò ergò advertit Chryſoſtomus in Sermone. Nemo conſtruit celſitudinem bonorum operum & virtutis, niſi prius jactentur fundamenta humilitatis. & S. Auguſtinus Serm: 10. de Verb. Dom. Cogitas magnã fabricam conſtruere? de fundamento priùs cogita humilitatis.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

PRoh quid agitis rerum vaniſſimarum vaniſsimi ſpectatores! ergone oculos ludicris, inanibusq; ſpectaculis incaſſum atteretis? O ſi ſapitis, oculos in ſublime tollite, Turrim Eburneam ſæpiùs inſpicite, Sabbatis præſertim ad eam videndam accurrite, vel exemplo Ioannæ Ladiſlai Regis Sororis, quæ Sabbatis ſummâ cum veneratione Templum Mariæ inviſebat. Quid ſi Sabbato quopiam, Turrim hanc clariſsimè intueri contin-

gat, & ſalutare aliquod monitum in eâ legere? Certè Sabbato monialis quædam regio genere, per quietem admonita fuiſſe à Deipara de Templo excitando, ſcribitur. Tu eburneæ huic Turri Templum excita, ſed prius in corde.

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

DOMUS AUREA.

Spiritus Sanctus Mariam per Domum convenientiſsimè ſignavit, quam ſibi Sapientia increata excellentiſsimè ædificavit.
Sanctus Bonaventura in Spec. Cap. 6.

STIMULUS PRIMUS.


COnſidera. 1. Magnificentiſsimã illam Domum, quam Rex Salomon 3. Regum. Cap. 7. feciſſe ſcribitur filiæ Pharaonis. Verùm quid illa ad hanc

hanc auream Domum MARIAM? de qua ad Deum Bernardus, Sermon. de Nativit. Hanc inquit, fecisti imaginem tuæ bonitatis, in ea velut artifex ostendis magisterium tuæ pietatis. De qua Ambrosius Libro de Virginibus. Quid nobilius Dei Matre, & quid splendidius eâ, quam splendor elegit. De qua Petrus Damian. Serm. de Annunc. ait. Cùm enim fecerit Deus omnia opera sua valdè bona, hoc melius fecit, consecrans sibi in ea (loquitur de B. V.) reclinatorium aureum. Chrysostomus vocat eam animatum palatium Regis Angelorum, purum cubiculum ortûs Christi, incomprehensibilis naturæ amplissimum habitaculum. Georg. Nicomediensis Antistes, appellat eam Domum gloriosam. Ambrosius corporale Dei templum. Augustinus templum pudoris. Hieronymus Sacrarium Spiritus Sancti. Andreas Archiep: Hierosolimitanus, Cœlum, imò domicilium cœlo præstantius. Et quia ut docent Theologi, Sanctissimæ Trinitatis opera ad extra sunt indivisa, & conceptio Corporis Christi à tota Trinitate in utero Mariæ peracta, eâ de causâ Maria teste S. Thoma. Opusc. 8. dicitur totius Trinitatis nobile Triclinium, quo titulo eam compellat Bonaventura in

laude B. Virginis rhythmicâ, quæ in tom. 2. opuſculorum habetur. Deniq; in Revel. S. Brigittæ in Serm. Angel. Cap. 5. vocatur Deipara microcoſmos, ſeu minor mundus. Mundo, inquit, creato, adhuc unus minor mundus eſt Virgo Maria coram Deo cum omni venuſtate nondum creatus aſtabat, à quo major gloria Deo, & Angelis major lætitia, atque homini ejus bonitate frui volenti, major utilitas, quam de hoc majori mundo provenire debebat. Et infra Serm. ad Virg. dirigens. Florigeris inquit, ac fructiferis arboribus comparari poſſent opera tua, nam charitate ea factura eras, quod plus omnium florum pulchritudine & fructuum ſvavitate Deum, atq; Angelos delectare debebant: Deumque in te ante ſuam creationem plures virtutes prævidiſſe, quàm in omnibus herbarum, florum, arborum, fructuum, lapidum, gemmarum, ſeu metallorum generibus quæ inveniri poſſent in totius orbis amplitudine, unde mirum non eſt, ſi Deus in te, ô minor munde, qui adhuc creandus eras, magis delectabatur, quàm de hoc majori mundo. Hæc ibi. Anima Chriſtiana, quid ergò extra hanc Domum auream, quid extra hoc templum, quid extra hunc mundum, quid extra hoc Cœlum quæ-

ris?

ris ? nam ut Bonav. in Spec. B. Virg. Cap. 6. ait. Quicquid poſt Deum pulchrius, quicquid dulcius, quicquid jucundius eſt in gloria, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam eſt. Chryſoſtomus in Lyturgia, negat aliquid eſſe in tota rerum univerſitate, quod cum B. V. comparari queat. Quare meritò exclamat Damaſcenus. O deſiderabilis ac ter beata fœmina ! ô divinum ſimulacrum ! ad quod opifex Deus inventus eſt. Serm. de Nativ. Illa eſt opus primarium Dei, opus ut loquitur B. Petrus Damiani, Serm. de Nat. B. Virginis : quod ſolus opifex ſupergreditur. Cui conſonat illud. 3. Regum, C. 10. Non eſt factum ſimile opus in univerſis Regnis, & confirmat Bonav. in Spec. Cap. 7. Præter aſſumptam inquit, à Verbo naturam, nullum eſt opus, nulla creatura, in qua tanta divinæ gloriæ materia reluceat, ſicut in Maria. Anima mea, hanc Domum unicè dilige, dic cum Davide, Pſ. 25. Domine dilexi decorem domus tuæ.

Stimulus Secundus.

Conſidera. 2. Cur Beatiſsima Virgo non Domui ſimpliciter, ſed cum addito, aureæ compare-

paretur; ſi enim thronus Salomonis, 3. Regum, Cap. 10. auro fulvo nimis veſtitus fuit. Si Alexander Macedo voluit Homeri opera, aureo ſcrinio in Darianâ prædâ reperto includerentur, tu hinc collige, quàm decens fuerit, etiam thronus cœleſtis Salomonis, ſcrinium, imò Domus illa, in qua Verbum æterni Patris, ingens ſanè opus, recondi debebat, conſtaret auro omnium præſtantiſsimo. Aurum ſi Plinio credis, ſui ſpectatores lætitiâ afficit, cujus rei ratio affertur, quia aurum aërem ſibi proximum dulcorat, quo aëre alterato, & cor humanum alterari ſcribitur. Aurum vigiliæ amicum eſſe, patet ex Ariſtotele, qui Lib. problem. affirmat; ab auro naturaliter ſomnum fugari, quâ de cauſâ, ut ait Avicenna, ab infirmis auferri debet aurum, annuliique aurei, ut melius quieſcant. O ſomnolente peccator, hora eſt jam de ſomno ſurgere, cave ſi in peccatis dormias ne in illis æternùm obdormias. Cur ad hanc Auream Domum non properas, ut in eâ ſomnum omnem excutias? Certè Ciſtercienſem quendam ante Altare dormitantem, veſte feriens, excitavit Maria & dixit: Non eſt hic locus dormiendi. O quoties lethargum mortiferi criminis excuſſit illa! ô quæ commoda! quæ beneficia ab hac

Domo

Domo aurea & tu reciperes, ſi modò velles. Audi Bernardum. Ipſa dico vobis chariſsimi, ſi piè à nobis pulſata fuerit, non deerit neceſsitati noſtræ, quoniam miſericors eſt, & Mater miſericordiæ. Quod ſi Bernardi teſtimonio non credis, crede hiſtoriæ, quam verbis ſimpliciſsimis, refert Meffret, Sermone 87. literâ F. de quodam vanitatibus dedito, cui talis obtigit viſio. Videbatur ſibi quod in campo magno conſiſteret, & ibidem tempeſtas ingens ſuper ipſum deſcenderet, qui dum à facie tempeſtatis fugeret, ad quandam domum pervenit, quam cùm clauſam inveniſſet, poſtulavit ſe in eam recipi, domus oſtium pulſans; qui intus erat reſpondit. Ego ſum IVSTITIA quæ hic habito, & hæc domus mea eſt, quia autem tu juſtus non es, mecum habitare non vales: ad cujus verba plurimum mærens abſceſsit, & aliam domum ultra illam conſpiciens, venit ad ipſam, & pulſans ad oſtium, ſe ibidem recipi poſtulabat, ſed quæ intus hoſpita erat, inquit. Ego ſum VERITAS, quæ hîc habito, & hæc eſt domus mea, te autem hoſpitem non recipio, quia veritas non liberat eum, qui veritatem non amat. Indeque recedens, aliam iterum domum ultra illam perſpexit, ad quam veniens, ſe ſimiliter contra tem-

pesta-

pestatem recipi flagitavit, quæ intus erat ait. Ego sum PAX, quæ hic habito, non est autem pax impijs, sed tantùm hominibus bonæ voluntatis, verùm ego quidem cogito cogitationes pacis, & non afflictionis, utile consilium do tibi. Vltra me soror mea habitat, quæ miseris consilium præstat, ad hanc accede, consilium ejus & monita comple. Cùm autem accessisset qui intus erat, dicit. Ego sum MISERICORDIA quæ hîc habito, si autem ab imminenti tempestate salvari vis, vade ad Mariam. O consilium omnium consiliorum optimum! hoc sequere, & in quacunque necessitate confidenter ad hanc Domum auream accurre, quæ centrum est Mundi. Audi Richard. à S. Laur. Lib. 8. de Laud. Virg. Maria, ait, centrum mundi, quia ex omni parte Mundi omnes habent ad eam recurrere in omnibus suis necessitatibus, sicut omnes circumferentiæ recurrunt ad centrum.

STIMVLVS TERTIVS.

Considera 3. Quàm benè huic Domui aureæ conveniat illud Regij Vatis. Psal: 111. Gloria & divitiæ in domo ejus, Deus enim gratiarum suarum

ſuarum theſauros in Maria recondidit. In manibus tuis, ait Petrus Damianus ad illam, ſunt theſauri miſerationum Domini. Non abs re Idiota de Con- templ. Virginis, in proloquio eam vocat, Theſau- rariam gratiarum Salvatoris. Andreas Cretenſis, Oratione in Salutationem Angelicam, vocat Ma- riam, Theſaurum vitæ immortalis. Ab aliquibus Eccleſiæ uber vocatur. Ab Ephræm. Paradiſus de- liciarum. A Bonav. Advocata Pauperum. Tu E- leemoſynariam Dei appella. Verùm quid agis? cur occaſione non uteris? cur ad hanc Dei eleemo- ſynariam, ad hanc auream Domum, ad hanc ter- ram promiſsionis, (ſic eam vocat S. Bernardus. Ser. 3. ſuper Salve Reg. Ipſa inquit, eſt terra pro- miſsionis lacte & melle manans,) non accurris? ut hinc accipias quæ paupertati tuæ pernecesſaria: ait enim Richard. à S. Laur. L. 2. de Laud. Virg. part. 1. Serviendum Mariæ, quia paſtum ſubminiſtrat famelicis, & potum ſitientibus. Si panem mendi- corum more quæris, ecce S. Alberto famenti, ut ſu- pradictum, panis bucellam ſuis manibus dedit Ma- ria. Si ſiti æſtuas ecce cuidam de quo Cartagena ex Damiano. L. 6. Ep. 29: cum jam anima de cor- pore mox migratura videretur, viſibiliter aſtitit

Maria & ſacri uberis papilla lac exprimens, ejus labijs inſtillavit, qui protinus convaluit. Si delicatiora pro languente ſtomacho appetis, ecce Ciſtercienſi cuidam de ſuo electuario impertijt Maria, de quo tantum dulcedinis & devotionis concepit ille, ut carnis commoda velut ſtercora reputaret. Cæſ. L. 7. mirac. Quod ſi magis auro oblectaris, ecce, 12. aureos, ut teſtatur Greg: Lib. 1, Dial. Cap. 9. perinde fulgentes quaſi ex igne producti eadem horâ fuiſſent, ſuppeditavit Maria. S. Bonifacio Ferentinæ Civitatis Epiſcopo, nam dum eos inſcio nepote, ad quem ſpectabant, pauperibus erogaſſet, eosque poſtea nepos ſibi reſtitui importunè flagitaret, B. Virginis Eccleſiam ingreditur Bonifacius, elevatis manibus, extenſo veſtimento orat, ut ei redderet, unde furentis nepotis inſania mitigaretur: mirabile dictu! repentè in veſte dictos aureos reperit. O Domum verè auream! ô Domum opulentiſsimã! ſimulq; liberaliſsimam! inebriabuntur ab ubertate Domus tuæ ô Maria, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Pſal. 35: eos nimirum, qui velut mendici & pauperes ad te in ſuis neceſsitatibus accurrent: eos, de quibus pronuncias illud. Beatus qui vigilat ad fores meas quotidiè, & obſervat ad poſtes

oſtij mei. Proverb. 8: eos quorum oculi inſtar ancillæ in manibus Dominæ ſuæ, hoc eſt, ad te continuò converſi, nam ut ait D. Bonaventura in ſpeculo. Ancilla Dominæ Mariæ, eſt quælibet anima fidelis illi devota, imò etiam Eccleſia univerſalis. Oculi hujus ancillæ in manibus Dominæ ſuæ ſemper debent eſſe, quia oculi omnium noſtrûm ad manus Mariæ ſemper debent reſpicere, ut per manus ejus aliquid boni accipiamus. Neque dicas. Quid ſperare poſſum ab illâ, à qua hucusque accepi nihil. Ah labia comprime blaſpheme & deſperate. Audi quid referat Iacobus Marcantius in ſuo Horto Paſt: qui hæc habet. Cuidam conquerenti, ſe in ſpeciali Virginis obſequio plurimos annos contriviſſe, nec tamen ob id ſpeciale aliquod beneficium percepiſſe, apparuit B. V: & ingratitudinem exprobrans, reſpondit. Annon meminiſti tales amicos tuos infauſtâ morte fuiſſe abreptos? nonne vidiſti hos & illos (quos nominabat) vicinos tuos peſte interijſſe? illi quoque amicitiâ tibi devincti (quorum nomina exprimebat) nonne infortunijs talibus ſunt obruti? imò verò ex illis multi æternis flammis ſunt addicti. Cur ergo conquereris te nihil à me ſpecialis beneficij accepiſſe? quarè tu ſimili morte, vel infortu-

fortunio mulctatus non es? quis te protexit? nunquid misericors manus mea? amodò ergo desine conqueri, sed grato animo gratias refer Deo, qui per me tot eximit peccatis, totque periculis æternæ damnationis; imò ferventior in meo obsequio persevera, cæterisque exemplo tuo calcar adjice. O solatia! ô beneficia! Sede die noctuve ad hanc Domum auream Christiane. Laicum illum Religiosum ex Ordine Minorum, nomine Paschalem imitare, qui singulari gaudio perfundebatur, si in Conventu, memoriæ Beatissimæ Virginis dicato habitaret. Chronic. L. 9. Æmulare S. Macarium Patriarcham, qui nonnisi in crypta Mariæ dicata sepeliri voluit. Et verò ubi mollius? ubi honorificentius ossa nostra jacerent, quàm in terra cultui Virginis sacrâ? quam penes Domum auream?

STIMVLVS QVARTVS.

Considera. 4. Quanto in honore & æstimatione apud Deum & homines sit Domus illa quæ vulgò Lauretana dicitur, à Lauretâ nobilissimâ Matronâ, in cujus nemoribus consedit. Hujus Domus nomine, intellige cubicellum illud in quo Ma-

ria nata, atque nutrita; in quo Verbum Divinum incarnatum; ubi Christus mundi Salvator magna ex parte educatus; quod Anno 1291. Angelico ministerio, ex Galilea absque fundamentis translatum fuit in Dalmatiam, ingenti sanè terrarum marisque tractu, quippè id spatium patet amplius vicies centena passuum millia; dein in nemore; mox in colle fratrum; & tandem in viâ publicâ collocatum. An ut passim accurrerent undique mortales? sexus uterque? & omnis status? nam

Non est in toto sanctior Orbe locus.

Verùm quid lapidea Domus, ad hanc Domum auream? Nobilior hæc est illâ, multoque nobilior. Nobilior agro Damasceno, ibi enim homo de limo terræ. Gen. 2. hîc Deus homo factus de immaculata Virgine. Nobilior Paradiso terrestri, Gen. 2: ibi enim mulier de Viri latere, hîc Vir ex sanguine purissimo efformatus. Nobilior Arcâ Noë, Genes: 7. & 8: ibi enim pauci servati, hîc propemodum infiniti. Nobilior Abrahæ hospitio, ibi enim tres Angeli suscepti, Gen. 18. hîc Angelorum Rex. Nobilior templo Salomonis, 3. Reg. 8. ibi enim Deus præsens, sed hîc simul incarnatus adfuit. Nobilior Arcâ fœderis. Exod. 34. ibi enim tabulæ Legis asserva-

      serva-

ſervabantur, hîc ipſe Legiſlator. Nobilior deniq́ue ipsâ Cruce, ipſoq; Dei hominis ſepulchro, ibi enim paucis horis mortuus jacuit Ieſus, hîc verò novem menſibus placidiſsimè quievit vivus. Et tamen proh pudor! quàm raró! quàm obiter hanc Domum auream veneraris! imò proh ſcelus! quàm ſæpè eam dehonoras! Quod ſi divinitùs pœnas dedêre ij, qui vel lapidum, calcisq́; particulas ex Lauretana Domo, etiam pietatis prætextu abſtulêre, putas te à pœna immunem fore, ſi quid etſi minimū honoris huic Aureæ Domui ſubtraxeris? Turſellino crede, Lib. 3. Cap. 30. referenti. Quendam qui exiguum lapidem Laureto abſtulerat, licet domi ſuæ omni honore cultuq́ue aſſervaret, tamen à Deo orbitate filiorum, amiſsione fortunarum omnium, morboq́ue vexatum, tandem Lauretanæ Virginis, cui mirè addictus erat, auxilium pariter & conſiliū imploraſſe, nec mora, Deiparæ monitu diſcit, lapidem ex æde Lauretana ſublatum, malorum quæ patiebatur eſſe cauſam, ideoq́ue reſtituendum, quibus perſpectis, in lachrymas ſolvitur ille, audaciæ veniam precatur, depulſoq́ue morbo, alacer Lauretum pergit, & furtum reſtituit. Heus peccator, qui ſecutus es errantem, ſequere jam pœnitentem.

Cave

Cave ampliùs exiſtas injurius in hanc auream Domum, præ oculis verſetur illud, quod Froſſardus refert. Cùm in quodam templo Sanctiſsimæ Virg: miles aliquid furari tentaret, ſpontè campanas omnes ſonuiſſe. O ſonum fatalem! ô ſonum corpori animæque noxium! Tu ne ſimilem unquam audias, hanc Domum auream quo potes honore ac donis proſequere. Et ſi Paulus quidam ſolitarius, de quo Antonius Balinghem in Kalendario Virginis: abſtinentiæ & ſanctimoniæ miraculo venerabilis, vidit aliquando & non ſemel, plurimum labi de cœlo ignem, flammamque longè lateque diffuſam, inſtar ingentis cometæ, quæ domui Lauretanæ incumberet, & æquabili tectum ædis ſplendore operiret: ah tu cultu, & nunquam interruptis obſequijs, velut tot clariſsimis luminaribus, illuſtra in terris hanc Domum Auream, ut tanto magis fulgeas olim in cœlis, per amabiliſsimam reflexionem à Maria.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

QVidni aurea Domus placeat, cui placet Maria? ſed placeat etiam illud quod placuit

placuit Viro probo & pio de quo Sanct. Gregor. 4. Dial. Cap. 36. Hic quidquid in sutrinâ per hebdomadam lucrabatur, Sabbato pauperibus erogabat, de quo alter per revelationem didicit, quod ejus domus aureis laterculis ædificabatur, in quâ constructores operari videbantur, at solo Sabbati die. O Sabbatum! ô Domum auream! quis non inter utrumque nexus! Tu quotidiè, Sabbato potissimùm, vel duo minuta in gazophylacium injice, ut modico ære ingentis pretij compares Domum Auream Mariam.

CAPUT TRIGESIMUM,

FOEDERIS ARCA.

Annon Maria testamenti Arca verissima, divinis manibus fabricata, auro vestita mundissimo, virtutum gemmis ornata, ac imputribilibus lignis spiritualiter facta, testamenti tabulas, frondentem virgam, & suavissimum in se manna continuit? B. Laurent. Iustin. Serm. de Nativit. Virg.

STI-

STIMVLVS PRIMVS.



Considera I. Cur multi Patrum hoc nomen arcę deferant Beatissimæ Matri. Arcam veram eam nominat Ephrem. Arcam animatam Athanasius. Arcam pietatis & gratiæ, Bonaventura. Arcam sanctificationis, Georgius Nicomed. Vivam Dei Arcam Damascenus. Arcam Dominatoris, Chrysostomus. Armarium vitæ, Chrysippus Præsbyter Hierosolymitanus. Ita omninò, Arca est Maria. Arca pulcherrima. Arca simillima veteris testamenti arcæ, in qua recondita fuêre manna, virga & tabulæ legis. Si manna quæras, an non manna panis ille Angelorum, factus cibus viatorum, qui in ea pluribus mensibus asservabatur? Arcæ hujus mysticæ, inquit B. Laurentius Iustin. Serm. de Nativ. Virg: gratiam contemplare, quæ tale excepit munus, talemque genuit prolem, quæ te corporis sui mannâ reficeret, inebriaret cruore, passione redimeret, morte salvaret. sic ipse. Quod si virgam desideres, annon virga, ingens illud Mariæ robur ac potentia? quâ percussus. Isa. 30. pavebit Assur, id est dæmon, sicut interpretatur S. Antoninus. Testis

ſit vel diſſoluta illa filia, quam dæmon rapere nitebatur, ipſa verò ad Arcæ hujus virgam recurrit, inquiens, Virgo Maria adjuva me, & mox dulce illud. Ave Maria gratia plena, &c: pronunciat; cui dæmon, maledicta ſit quæ hanc orationem te docuit, quam ſi non dixiſſes, te ad inferni incendium traxiſſem. Deniq́ue tabulas legis quidni invenias in hac Arca, juxta illud. Lex Dei in corde ejus. Quod ſi in antiquo teſtamento, in arca fœderis aſſervabantur tabulæ legis, per quam Deus cum Iudæis fœdus pacemq́ue percuſſerat, & in ea teſtatum erat, quid ab ijsdem fieri vellet. Exod: 35: dic amabò, ubi melius Dei voluntatem diſces, quam ad hanc Arcam? ubi ſanctiorem legem quàm ex hac Arca? ubi clarius percipies quæ tibi ad pacem, quàm per Matrem Mariam? Audi fili mi, ſvadet Salomon, diſciplinam Patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. Proverb. Cap. 1. Auream catenam ſi ambis, in hac etiam Arca latet. Si ad coronam aſpiras, in hac quoq́ue Arca aſſervatur. Hinc eſt quod Patris Michaelis à Fontibus, Societatis Ieſu: animam à corpore digreſſam, obvia Maria coronaverit, præſentibus Sanctis, Petro, Ioanne, & Ignatio Fundatore. Bourghesius

ghesius in Soc. B. V. sacrâ. O si hanc coronam cogitares, quoties opus aliquod difficile, & arduum aggredi debes, proh quâ jucunditate, quo gaudio illud non aggredereris! imò quid non tentares, quos labores non subires, si hanc ipsam Arculam, in qua tam pretiosæ res asservantur acquirere posses! Et quidni posses, si id olim potuit Beata Benevenuta Dominicana. Contendit hæc à Deo impetrare, dignaretur sibi ostendere Deiparam inter brachia S. Annæ, & quemadmodum ab ea lactaretur, & educaretur; nec frustra; ei quippè comparuit B. Anna Arculam hanc, Mariam scilicet, brachijs complectens. O fœlicitatem Benevenutæ! Sanctissimam puellam de manu B. Annæ accipit, & incredibili animi voluptate eam horâ integrâ retinet. O horam omni horâ quâ huc usque viximus feliciorem! Proh Deum immortalem! quid non in unâ horâ extrahere liceret ex tam divite Arcâ!

STIMVLVS SECVNDVS.

Considera. 2. Quàm aptè in Deiparam conveniant ea, quæ de arcâ fœderis, Exodi 25. legimus. Arca illa parva erat, instar cistæ quadratæ,

vel potius quadrangulæ. At quam parva in oculis ſuis fuit Maria, quæ, ut loquitur Bernardus, ſe omnium exhibebat ancillam. Secundò. Erat arca illa fabricata ex lignis Setim, quæ in Arabiæ deſertis naſcuntur, & quidem pulcherrima ſunt & imputribilia. At quid pulchrius Mariâ? quam fœminarum pulcherrimam appellat Bonavent: cujus corpus nequaquam corruptioni ſubjacuit, nam tertiâ poſt obitum die, animæ iterum unitum, glorioſum migravit in Cœlum. Tertiò. Auro intus & foris tecta erat arca. Aſt Maria tota fulgida ardente charitate, undè pulchrè Petrus Damianus. Virginis divinæ charitas, ad cæterorum omnium Divorum charitatem collata, velut Sol eſt inter minora ſydera. Quartò. Arca illa ſupernè patebat, ſed ſupra ſe habebat propitiatorium quaſi operculum, ex ſolido auro confectum. At Maria charitatis & clementiæ auro rutilans, tota eſt propitiatorium, Deum propitium nobis reddens. Quare Methodius Orat. in hypapantem, eam ſic affatur. Tu propitiatorium, per quod Deus humanam naturam indutus, mortalibus apparuit. S. Ephræm. Orat. de laudibus Virg: ipſam propitiatorium univerſæ terræ vocat: & Andreas Cretenſis Orat. 2. de dorm: commune propitia-

pitia-

pitiatorium,& commune reconciliatorium. Quin-
tò. Duo Cherubini erant ſupra propitiatorium ar-
cæ. At non duo Cherubini, ſed Angelorum millia
& millia aſsiſtunt Mariæ, imò ſerviunt, juxta illud
S. Bernardini. Omnes Angelici Spiritus ſunt hujus
glorioſæ Virginis miniſtri, atq; ſervi. Sextò. Ad la-
tera utrinq; erant duo circuli aurei, per quos inſere-
bantur duo vectes aurei, quibus portabatur arca.
At longè facilius à Spiritu Sancto movebatur Ma-
ria, de qua S. Bernardinus. tom. 2. Sermone. 51.
art. 3. Cap. 2. Virgo inquit, ſemper habuit conti-
nuum aſpectum ad Dei beneplacitum, promptum-
que conſenſum, ſemper gerebat in mente benepla-
cita divina adimplere. Denique arca illa coronâ
aureâ cingebatur. Sed quid hæc corona ad pretio-
ſiſsimam illam, quâ caput Mariæ coronatur in cœ-
lis? Dignum, inquit Bernardus Serm. Signum
magnum: planè ſtellis coronari caput, quod & ipſis
longè clariùs micans, ornet eas potiùs, quàm orne-
tur ab eis. Auro & ſtellis qui eam coronare nequis,
ſaltem ut Reginam jam coronatam adora, & flexo
poplite ſaluta, ſæpius dicendo. Salve Regina &c.
Putas hanc ſalutem ingratam fore Mariæ? falleris
profectò, nam fœmina quædam pia & devota, cum

die quadam adesset canentibus è D. Dominici Familiâ Fratribus. SALVE REGINA: statim corporeis sejuncta à sensibus, vidit dum occinerent illud. SPES NOSTRA SALVE: delapsam Dei Matrem, canentes vultu blando resalutantem. Vidit dum occineret illud. EIA ERGO ADVOCATA NOSTRA: flectentem ante Filium genua, & pro canentibus orantem. Vidit dum dicerent. ILLOS TVOS MISERICORDES OCVLOS: mitissimè eos intuentem. Vidit deniquè dum canerent. ET IESVM BENEDICTVM &c: tanquam lactentem IESVM singulis ostendentem. O Iesum pretiosissimum thesaurum! quidni eum tibi sanctè viventi, suppeditet olim hæc Arca mystica MARIA?

STIMVLVS TERTIVS.

Considera. 3. Bona & mala quæ olim ex Arcâ fœderis retulerint mortales, juxta sacrarum literarum testimonia. Miserè interijt Oza Sacerdos, temerè extendens manum ad arcam Dei, 2. Reg. 6. Et de Viris Bethsamitibus, eò quod vidissent arcam Domini. 1. Reg. 6: percussit Dominus de populo. 70. Viros, & 50. millia plebis. Gloriosè evertit ar-

ca Dei idolum Dagon. 1. Reg. 5. eique caput ac manus præcidit. Muri Ierichuntini postquam septies circa Civitatem Iericho arca fœderis circumlata fuisset, turpiter corruerunt. Iosue.6. Sacerdotibus qui arcam fœderis portabant, Iordanem ingressis, divisæ sunt aquæ Iordanis, & populus per alveum arentem transivit. Exod. 14. Denique in deserto Filij Israel, cum ad terram promissionis contenderent. Num. 10. Arca fœderis Domini præcedebat eos per dies tres, providens castrorum locum. Disce hinc Anima fidelis, etiam ex hac mysticâ Arcâ Mariâ prodire posse bona & mala, dulcia & amara, fulgura & tonitrua, nam cum in Cœlo visa est arca testamenti. Apocal. 11. è vestigio facta dicuntur fulgura, voces, terræ motus, & grando magna, quod de B. Virg. exponit Ildephonsus Serm. 1. de Assum. At inquies, quî fieri possit, ex hac Arca, bona & mala referrent mortales? Ah ne nimium, nimiumque tibi, nobisque aduleris. Dic amabò, nonne Vdoni Magdeburgensi Episcopo, inertis quondam ingenij, apparuit Maria, & scientiam quam petijt benignè contulit: ecce quale bonum! & tamen ne ab Angelo capite truncetur, non impedivit: ecce quale malum! Dic amabò, nonne Theodorico illi,
de

de quo Cæſarius Libro 7. mirac. c. 41. Epiſcopatum contulit: ecce quale bonum! & tamen iniquis ejus actibus poſt irritata, egit, quemadmodum ex viſione quadam colligi poteſt, indignè ſatis à Moguntino deponeretur: ecce quale malum! Dic amabò. Nonne Ioanni Duro è Societate Ieſu. Franciſci Xaverij Socio (incertum an vigilanti, an ſomnianti) in quadam æde ſacrâ videndam ſe præbuit Maria: ecce quale bonum! ad quam puer Ieſus qui tunc aderat, Durum verecundantem pellicere conabatur, ſed illa primò eum averſari ac repellere videbatur: ecce quale malum! tandem pacem ac veniam ſuppliciter orantem admittere, ad ultimum de certis defectibus admonuit: ecce quale iterum bonum! Turſellin. in vita S. Xaverij, Lib. 3. cap. 7. Dic amabò, quam multis hucusque ſuccurrit Maria: O quale bonum! & tamen apparuit aliquando nonnullis fidelibus, eosque contra ſceleſtum Anatolium de quo ſupra, incitavit: ô quale malum! Dic denique & amabò. Nonne paratiſsima illa ad opem ferendam mortalibus: ô quale bonum! Sed audi & contremiſce. Sodalium quidam, preces Marianas perſolvere recuſabat, dicens. Leges Sodalitij nequaquam ad culpam obligare. Eadem die, ortâ

tem-

tempestate, dum in aquis de vita periclitatur, Mariam inclamat, cui illa. Non obligabaris me colere, nec ego obligor te morte eximere: & sic cum hoc amarulento scommate, jam cum morte luctantem deseruit. Oh quale malum! Heus Christiane, qui mala times, & bona quæris: vis ex hac Arca omnia bona referre? vis æternam vitam? vis Iesum & Mariam? dic quod Filij Israel dicebant. 1. Reg. 4. Afferamus ad nos arcam fœderis, & veniat in medium nostrum, & salvet nos ab insidijs inimicorum. Nunquam sis absque hac mysticâ Arcâ, ejusque icone; tibi ob oculos versetur continuò illud Salomonis 3. Reg. 2. ad Abiathar Sacerdotem. Equidem vir mortis es, sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Dei coram Patre meo.

STIMVLVS QVARTVS.

Considera. 4. An non arca fœderis 3. Reg. C. 8: illata à Sacerdotibus in Templum Salomonis, typus fuerit aut umbra Virginis in Cœlos assumptæ, regnaturæ in æternùm, juxta illud, 3. Reg. 11. Te assumam & regnabis super omnia quæ desiderat anima tua. De hac gloriosissimâ Assump-

tione loquens Bernardus in Serm. de Aſſumpt. ſic ait. Quis cogitare ſufficiat, quàm glorioſa hodiè mundi Regina proceſſerit, & quanto devotionis affectu, tota in ejus occurſum cœleſtium legionum prodierit multitudo, quibus ad thronum gloriæ canticis ſit deducta, quàm placido vultu, quàm ſerenâ facie, quàm divinis amplexibus ſuſcepta à Filio. Cui conſonat illud Damaſceni. Aſſumptionem Virginis, nonnihil Aſcenſioni Chriſti præferentis. Attolle inquit oculos ad Aſſumptionem Virginis, & ſalvâ Filij majeſtate, invenies occurſum hujus pompæ non mediocriter digniorem: ſoli quippe Angeli Redemptori occurrere potuerunt, Matri verò Filius ipſe, cum totâ Curiâ, tam Angelorum quàm Iuſtorum, ſoleñiter occurrens, erexit ad beatæ conſiſtorium ſeſsionis. ita ille. Vis ſcire quàm procul? dic intrepidè, elevatam ſupra omnium Cœlitum Choros, ad ſolium uſque Dei. Doctè S. Bernardinus tom. 3. ſerm. 3. de glor. nom. Mariæ. art. 2. C. 1. Certudinaliter inquit, tenendum eſt, quòd ipſa ſit ſuper omnem puram creaturam in gloria exaltata: & paulò inferius. Ratio naturalis ex gratuita lege dictat, quod Mater Regis omnium eſt in ſede regiâ ſuper omnes miniſtrorum ordines collo-

can-

canda. Clariſsimè Gerſon. tract. 4. ſuper Magnifi-cat, ait. Virgo ſola conſtituit Hierarchiam ſecundam ſub Deo Trino & uno, Hierarchâ primo & ſummo. Quare meritò Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus ita ad Virginem. Tu in illa Beatorum feliciſsima Regia primi Ordinis dignitatem adepta. O felicitatem immenſam! ô Arcam Cœleſtis Noë. Gen. 7. verè elevatam in ſublime à terra! Inquire ea quæ hanc elevationem præceſsêre. Nonne vita ſanctiſsima? vita innocentiſsima? vita puriſsima? nonne Angelus ut teſtatur Nicephorus, Eccl. Hiſt. Lib. 2. Cap. 21: & alij, attulit Mariæ nuncium de ſuo hinc abitu, & porrecto ramo palmæ in manum, diem obitus indicavit? Nonne Apoſtoli per Orbem terrarum diſperſi, inſtante Virginis obitu, ex varijs mundi partibus nubis miniſterio adducti, quemadmodum refert Damaſcenus? Nonne ut teſtatur idem Damaſcenus Orat. de Aſſum: paulò antè emiſſum ſpiritum, dixit ad Ieſum Maria. In manus tuas commendo ſpiritum meum &c. & teſte Alberto Magno, præ amore ſine dolore obijt, tunc ut ſentit Dionyſ. Lib. 4. de Laud. Virg. art. 3. contemplationi profundiſsimæ intenta. O lachrymæ ubi eſtis? ubi planctus? ubi ſingultus? moritur

Maria, licet absque dolore, & ullâ ægritudine, teste Damasceno, sed tamen moritur: moritur Maria Hierosolymis in domo Ioannis, sub vesperam, moritur ut notat S. Brigida. Lib. 4. Revel. C. 23: placidissimè absque timore, sed tamen moritur: moritur Maria, & in ejus obitu, teste Andrea Cretensi, ingens Cœlo delabitur Angelorum exercitus, & tu nequidem affectu compares? moritur Maria, & in transitu ejus, ut S. Iuvenalis vel Eut. ad Martianum Imperatorem scribit, suavissimus Cœlestium concentus auditur, & tu hæc considerans, nec plorans, nec suspirans audiris? moritur Maria, & Apostolorum manibus, ut refert Simeon Metaphrast: ac humeris, ad Gethsemane prædium effertur, & tu nec corde bonâque voluntate accurris, ut humeros submittas? Toto illo itinere. notat Andr. Cretens. orat. de Assump: & alij: quo sacrum cadaver fertur in Gethsemani in aëre plurimi conspiciuntur Angeli, an ut illud obsequiosi comitentur? & tu ne piâ quidem recordatione comitaris? Ad sepulturam Virginis teste Damasc. surdis auditus, claudis pedum firmitas restituitur, cæcis visus instauratur. Niceph. attestante, L. 2. C. 22. omne morbi genus solo attactu fugatur; & tu nec pro corporis animæq; salute recu-

recuperandâ huc accurris? Deniqúe ſepulto jam in horto Gethſemani ſacro cadavere, Angeli ad ſepulchrum triduò exequias celebrant, dulciſsimè concinentes: & tu quid? horres fortaſsis mortuos? fugis ſepulchra? Accurre ergò ad viventem in cœlis Mariam, & cum Friderico III. Auſtriaco Imperatore, in profeſto Aſſumptæ, omni ferè cibo & vino abſtine. Et quemadmodum, ut refert Petrus Abbas Cluniacenſis, Lib. 3. de miraculis, Cap. 30. cerei Romæ in æde S. Mariæ Majoris, à primis Veſperis Feſti Aſſumptionis incenſi, uſque ad finem ſecundarum, totis 24. horis continenter ardere ſoliti, nihil penitus imminuebantur, ſic tu in pervigilijs Aſſumptæ maximè, ardeas devotione, eâ tamen lege, ne impoſterum aliquid de ea imminuas.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

Non omnis curioſitas acriore cenſurâ digna: curioſus audit, ſed ſanctè, quisquis inveſtigat, quibus gemmis & unionibus hæc Arca fœderis ſit exornata. O fœlix Mechtildis, cui licuit eam propiùs intueri! nam aureis literis exaratam

habens in suo pectore salutationem Angelicam MARIA, comparuit S. Mechtildi Sabbato quodam. O tu vel centum singulis diebus adjiceres, ducentas Sabbato, ut eo specisiorem olim in cœlis conspiceres, imò Sabbato quopiam obtineres hanc ipsam Arcam fœderis! ajebat enim senex ille Rabbi, de superstitioso Sabbati cultu nugatus, quod nos Sabbato nostro piè accommodamus. Quisquis Sabbato multùm mutuatur, eidem Sabbatum multum rependit.

CAPUT TRIGESIMVM PRIMUM.

JANUA COELI.

Ave Porta Cœlorum, & Scala, Ascensusq; omnium. Ave Reseramentum portarum Cœlestis Paradisi. ita Ephræm ad B. Virginem Orat. de Deipara.

STIMVLVS PRIMVS.

Consi-



Onſidera. I. Quàm multi Beatiſsimæ Virginis ope & auxilio, Cœlorum Regna poſsideant, nam ſubſidia gratiæ congruæ & efficacis, quibus ſalutem conſequuntur Electi, & & optatum perſeverantiæ donum attingunt, à B.V. obtineri & conferri ſuis clientibus haud dubium videtur: quare non eſt improbanda eorum Theolog. ſententia qui affirmant, prædeſtinationem noſtram & electionem de communi perditionis maſsâ, peccato primorum noſtrum parentum damnatâ, factam imprimis per Chriſti merita, tum per Mariæ preces, hæ enim ab ipſa æternitate in conſpectu Dei verſabantur. Meritò ergò Sanct. Bernardinus Senenſis. Mariam vocat Portam Cœli. Paradiſi portam perviam S. Bonaventura. Andreas Cretenſis orat. 2. Portam ſublatam ſupra Cœlos Cœlorum. Rupertus. Lib. 3. de divinis officijs. Maximam Portarum Cœli. Methodius Oratione in Hypapante. Portam per quam Deus in carne exortus eſt. Deniqùe ad pedes ejus provoluta Sancta Romana Eccleſia. ſic illam ſupplex affatur.

Alma Redemptoris Mater, quæ pervia Cœli
Porta manes, & ſtella maris ſuccurre cadenti.

Chri-

Christiane, proh quoties in die non cadis! quoties non deficis! quoties ab hac Porta Cæli non aberras! Quid ergo? revertere ocyùs ad hanc Ianuam Cœli, en via plana, via facilis, & jucunda. Familiare erat magno illi Cantuar: Episc: S. Thomæ, diebus singulis iteratâ septies salutatione Angelicâ colere Mariã, in honorem septem eorum gaudiorum, quibus cum Filio in terris fuit delibuta; sunt. Annunciatio. Visitatio. Natalitia Christi. Trium Regum adoratio. Inventio Filij. Resurrectio. In cœlos ascensio. Virgo Mater se illi videndam fortè obtulit, & gratum inquit, omninò mi Thoma obsequium tuum est, sed quid tantum meministi eorum gaudiorum quibus afficiebar in terris, recole etiam ea imposterum, quibus nunc fruor in Cœlis, namque omnem, tam hæc, quam illa honorantem, in horâ exitus solabor, exhilarabo, Filoque meo dilectissimo sistam. Mirè exultans D. Thomas, & quanam inquit ratione ô Domina mea suavissima hoc præstare possim, cum quænam ea sint penitus ignorem. Septenâ subintulit Virgo salutatione, etiam hæc gaudia honorabis, sunt porrò talia.

PRIMÒ. Gaudeo quia secundùm sanctissimam Trinitatem suprà rem omnem purè creatam honores obtineo.

SECVN-

SECVNDÒ. Quia intemeratæ Virginitatis aureolâ, omnes Angelorum, ac Sanctorum ordines longè antecello.

TERTIÒ. Quia ingens lumen gloriæ meæ, ad instar Solis, Curiam Cœli illustrat universam.

QVARTÒ. Quia omnes Cœli indigenæ, me, ut Deiparam venerantur ac colunt.

QVINTÒ. Quia à Filio nacta sum facultatem quidlibet impetrandi.

SEXTÒ. Quia olim in terris mihi immensa collata fuit gratia, meisque clientibus jam in Cœlo ingens gloria à Filio præparata est.

SEPTIMÒ. Quia gloria mea novis surget incrementis (loquitur de accidentali) ad diem usque extremum, & inde perennabit in omnem æternitatem. Hęc illa. Proh quàm facile hæc Ianua Cœli tibi patet ad Capitoliũ æternæ gloriæ! tota reseratur, tota omninò panditur, si modò septena & septena illa gaudia cum honore recolas, & non facies? Gaudia à Maria præstolaris, & offerre gaudia Mariæ recusas? Quidam de quo B. Petrus Damiani. Lib. 3. Ep. 10. quotidiè dum altare Sanctissimæ Genitricis pertransiret, illam ex more percurrebat antiphonam. Gaude Dei Genitrix Virgo immaculata. Gaude

quæ gaudium ab Angelo ſuſcepiſti. Gaude, quæ genuiſti æterni luminis claritatem. Gaude Mater. Gaude S. Dei Genitrix Virgo. Tu ſola Mater innupta, te laudat omnis factura. Genitrix lucis intercede pro nobis. Quam antiphonam dum quadam die pertranſiens diceret, audivit vocem ex eodem altari procedentem. Gaudium mihi annunciaſti, gaudium tibi eveniet. Ita eſt Chriſtiane. Cœli gaudia per Ianuam Cœli in terram deſcendunt, & ideò. Beatus qui vigilat ad fores ejus quotidie.

Stimvlvs Secvndvs.

Conſidera 2. Praxes & modos diverſiſsimos, quibus nonnulli ad portas Vrbium uſi, quin liber in Vrbem pateret aditus. O quæ ſtratagemata! quos habitus! quos fucos! quas larvas! quem ſexum & ſtatum non ſimularent ſubindè filij tenebrarum, ſi modò prænoſcerent ſibi oſtium apertum iri! Ah quàm fortunatiores illiſque ſapientiores ſunt filij lucis, qui non illicitâ, ſed ſanctâ fraude, ad hanc Ianuam Cœli ſæpius accedunt. Videres aliquos curruum occaſione in eam invehi: ita S. Philippus Servita: nam Annunciatam Servorum B. V. æ-

dem

dem Florentiæ ingreſſus, dum illa ex Actis verba audit. Philippe accede, & adjunge te ad currum iſtum, conſpexit Mariam in curru aureo, Angelis ſtipatam, ejusq́ue ſequenti nocte monitu, Servos ſuos adijt, & in Ordinem eſt admiſſus. Videres alios veſte immutatâ, Cœli ingreſſum tentare; ita nonnullæ Religioſorum Familiæ, ut montis Oliveti, & aliæ, candentibus veſtimentis in honorem puritatis B. Virg. utuntur. Videres quosdam nomen Servorum B. Virg. ſibi imponi: ita Ordo Servitarum. Videres deniq́ue plurimos ad hanc Ianuam Cœli accurrentes, hunc illo, alium alio ſtratagemate, aditum in cœlos ſollicitare. Tu hâc ingeniosâ arte utere, Mariæ nimirum virtutibus, quàm potes pulcherrimè te exorna. Quidni Ianua Cœli pateat ei, qui inſignia Cœlorum Reginæ præſeferat, & velut è primorum famulorum numero unus incedat? O incederes! ô ſervires! nam huic Reginæ ſervire, inquit S. Anſelm. de excell. Virg. C. 9. regnare eſt, & inter illius mancipia numerari, plusquam regium. Sed quæ virtutes Virginis ſint ex S. Bonav. audi. Omnis ſermo ejus ita erat gratiâ plenus, ut cognoſceretur in linguâ ejus Deus. Erat ſollicita circa ſocias ſuas, ne aliqua ex eis in ullo ſermone pec-

caret, ne aliqua in risu vocem suam exaltaret, ne aliqua injurias, aut superbiam contra parem suam exerceret. Sine intermisſione benedicebat Deum, & ne forte in salutatione sua à Dei laudibus tolleretur, si quis eam salutabat, illa pro salutatione suâ, DEO GRATIAS, respondebat. Hæc Bonaventura. Audi nonnullas alias Virginis virtutes, quas Sanctæ Brigittæ ipsamet Virgo Beatisſima recensere dignata fuit. Lib. 1. Revelat. Cap. 10. Ego elongavi me quantum potui à colloquijs, & præsentiâ parentum & amicorum. Omnia quæ habere potui, dedi indigentibus, nihilque nisi victum tenuem, & vestitum reservavi. Nulla mihi nisi Deus placuerunt. Timida fui in silentio, & multum anxia, ne fortè silerem ea, quæ magis loqui debuissem. Denique ut legimus. L. 1. Revel. ejusdem S. Brigittæ. Cap. 31: non fuit virtus aliqua in aliquo, quin ipsa hanc eandem virtutem haberet excellentius. Iure merito ergo. Ambros. L. 1. de Virginibus. B. Virginem totius probitatis figuram & disciplinam nominat. Idiota. Vitæ moralis ideam, & exemplar. Verùm si hæc celebrare delectat, imitari non pigeat. Benè enim ait B. Laurentius Iustinianus. Tunc veraciter Sanctos colimus, cum eorum vitam conversando

imi-

imitamur. Et ſapienter monet S. Ambroſ. Quicunque ſibi Mariæ optat præmium, imitetur exemplū.

STIMVLVS TERTIVS.

Conſidera. 3. Inter media & artes quibus Civitas aliqua capi, ejusq́ue porta occupari poſſit, numerari & hanc, ſi nimirum cuſtodes vigilesq́ue portarum, auro argentovè corrumpas. Hinc Philippus Macedonum Rex, intelligens ab exploratoribus, locum quem capere cupiebat inexpugnabilem eſſe, quaſi difficultatem quam proponebant derridens, dixit. Num usq́ue adeò difficile eſt, ut nec aſinus auro onuſtus poſsit accedere? Eraſm. Lib. 2. Apophtegm. Fuit ac ſi diceret, ut notant Eraſmus & Manutius, nihil eſſe tam munitum & adamantinum, quod auro non expugnetur. Anima Chriſtiana! quid agis? quid cunctaris? cur ad ſimilia ſtratagemata non accurris? Cur non ad Cœli Cives, hujus cœleſtis Ianuæ cuſtodes? Lege Lib. 4. Revel. S. Brigittæ Cap. 54: ubi cum eâ loquens Deipara, de quodam peccatore converſo, & ad viam Cœli deducto, eum vocat filium lachrymarum, & ſic ait. Propter lachrymas, & propter preces amico-

 rum

rum meorum, extraxi illum de mundo. O utinam Virginis amicos! ô utinam hujus Cœlestis Portæ vigiles, tibi propitios redderes! Recurre si sapis ad amicissimos Mariæ. Recurre maximè ad S. Ioachimum. S. Annam, S. Iosephum &c. hos si muneribus atque obsequijs corruperis, tibi Cœli Ianua patebit. Et quidni pateat per illos, quibus tantum debent Iesus & Maria, cum creaturâ universâ. Vndè S. Damasc. Orat. 1. O inquit par beatum Ioachim & Anna! quibus omnis creatura est obstricta, per vos enim donum omnium donorum præstantissimum Creatori obtulit, nempe castam Matrem, quæ sola Creatore digna erat. Et certè mundum universum illis obstrictissimum, quis non colligat vel indè, siquidem plerique Patres eorum precibus tribuere non dubitant, quod ipsi talem tantamque Filiam à Deo promissam per Angelum genuerint. Hinc Damasc. Lib. 4. de fide Cap. 15. Sicuti Anna, inquit, sterilis, per orationem ac promissionem Samuelem procreavit, eodem modo hæc etiam per obsecrationem & promissionem Dei genitricem à Deo accepit. Et Gregorius Nyssenus, Oratione de Christi humana generatione ait. Anna sterilis imitatur Matrem Samuelis, supplicat Deo, & donum

quod

quod petijt, accepit. Denique Epiphanius hæresi 79. Virgo inquit, per preces & omnem diligentiam, secundum promissionem patri ac matri data est. O efficaciam precum! si ijs Deum ad sua vota pertraxerunt illi, putas tu, te non pertracturum ad tua Ioachimum & Annam? sed cave ne castissimum Mariæ Sponsum prætereas, qui in tanto apud Cœlites est honore, ut hoc in Revel. B. Gertrudis Lib. 4. Cap. 12. de ipso extet testimonium. Cum in Cœlo nominabatur, B. Ioseph cui erat desponsata Mater Virginea, omnes Sancti capita sua reverenter ob honorem ejusdem inclinabant, & nutu oculorum amicabiliter blandiebantur, ipsius dignitati congaudentes. Cave ne illum omittas, quem adeò Maria coli cupit: nam P. Balthasar Alvarez Societatis Iesu, ante mortem fassus est, se à B. V. monitum, ut S. Iosepho singulari affectu devotus esset. Cave ne illum despicias, quem adeò suspicit ipse Iesus: nam S. Bernardinus piè credit, S. Iosephum cum Christo resurrexisse, & animâ atque corpore beatum esse in Cœlis. Hanc sententiam probabilem putat Suarez tom. 2. in 3. part. disput. 8. Sect. 2. eamque dum tu recipis, recipe unâ, singularem erga hunc Sanctum, pietatem atque affectum, de cujus intercessio-

ceſsionis apud Chriſtum & Deiparam efficaciâ, pulchrè Gerſon in ſua Ioſephinâ canit.

Quanta ô fiducia, quanta eſt
Vis impetrandi, quia dum Uir, dum Pater orat
Uxorem & natum; velut imperium reputatur.

STIMVLVS QVARTVS.

Conſidera. 4. Verba illa Chriſti Salvatoris. Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Ita eſt Anima fidelis, vi & armis reſtat expugnanda hæc Cœli Ianua, aſſultibus reſeranda, tormentis evertenda. Ictus audi, audi ſonitum. Eminentiſsimus Cardinalis Alexander Vrſinus, in Congregationem Deiparę Romani Collegij Societatis Ieſu adſcitus publicè in turba plebejorum cum illis ſeſe acriter diverberat, idque non rarò ad ſanguinem, quod perpetim agebat in pervigilijs Beatiſsimæ V. M. Ah quidni expugnaret Portam hanc, tot totiesque replicatis ictibus? Numera ſi potes globos illos, quibus olim hanc Portam quatiebant nonnulli. P. Bernardinus Realinus in vita, morte, & poſt mortem magnis miraculis in Italia clariſsimus, interdiu quotidiè duodecim, vel tre-
decim

decim coronas, & totidem noctu recitare non dubitavit, ut de eo refert Lancicius, tom. 2. Cap. 13. & putas his globis non expugnandam Cœli Portam? expugnavit eam profectô felicissimè ille, de quo Annales Rigæ 1611: cui decimo ante mortem die, duabus Virginibus comitata adfuit Maria, & Cœlum brevi morituro promisit, eo quod officium, & hos globulos non ex consuetudine tantùm, sed affectu planè singulari sibi quotidiè percurrisset. Quod si assultus magis placeant. Intuere obsecro illos quos vel unus S. Bernard. Senensis instituit. Hic non tantum sæcularis, portã Civitatis Senensis, Camolliam dictam, supra quam imago Sanctissimæ Virginis elegantissimè depicta fuerat, per multos annos quotidiè invisebat, ac flexis genibus preces ei offerebat, sed etiam post susceptum religiosæ vitæ habitum, ad eandem portam non rarò accedebat. O strenuum ac indefessum militem! de quo Pelbartus in stellario, Lib. 2. part. 2. art. 3. his verbis, & nos supra. S. Bernardinus de Senis. Ord. Min. de Observ. quotidiè eam (loquitur de coronâ B. V.) ob devotionem Virginis perorabat, cui die quadam oranti ipsam coronam, apparuit Beata Virgo dicens. O mi devote famule, multum mihi complacui in tua

devotione, ecce quia me hac coronâ quotidie honorasti, impetravi à Filio meo tibi gratiam miracula faciendi & prędicandi, & tandem scias te in Cœlo mecum sine fine lætaturum: ita Pelbartus. O Portam Cœli verè omnibus accessibilem! verè expugnabilem! verè gloriosam, & divitem! Quoniam inquit S. Antoninus, per eam exivit de Cœlis ad nos, quicquid unquam gratiæ creatum venit in mundum. Concludat Ecclesia.

Tu Regis alti Janua
Et Porta lucis fulgida
Vitam datam per Virginem.
Gentes redemptæ plaudite.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

TRitum illud sæpius inaudis. *Medium tenuere Beati.* Sabbatum, inter diem pænosum Veneris, & gaudiosum Dominicæ mediat, itaque medium tene, & Sabbatum ardentiùs cole, quod ut inquit Duran. Rational. C. 79. est janua & introitus in diem Dominicam, quæ est dies requiei, & significat vitam æternam. Et quidni Sabbatum Marianum, sive MARIA ipsa Sabbato ferventius

ventiùs à te culta, tibi olim fiat Ianua Cœli? Inquire diligentiùs causas, cur Ludovicus Secundus Gallorum Rex, simulque summæ Genitricis Cliens, dum graviter ægrotaret dixerit, sperare, se nonnisi Sabbati die, Virgini sacro moriturum, quod & contigit. An ut Sabbato per Ianuam Cœli, Cœlos ipsos intraret?

CAPUT TRIGESIMUM TERTIUM.

STELLA MATUTINA.

Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice Stellam, voca MARIAM.

S. Bernardus, Serm. 2. super Missus.

STIMULUS PRIMUS.



Onsidera. I. Admirabilem lucem ac splendorem hujus Stellæ matutinæ, quam Petrus Damianus Stellam mundi appellat. Lucernam mi-

cantiſsimam Ephrem. Eccleſiæ Lucernam Bonaventura. Et idem. Feneſtram Cœli cryſtallinam. Lampadem ardentiſsimam Bernardus, qui Serm. 1. de Aſſump. ait. Mariæ præſentiâ totus illuſtratur Orbis, adeò ut & ipſa jam cœleſtis Patria, clariùs rutilet Virgineæ Lampadis irradiata fulgore. Rupertus docet, Mariam fuiſſe Auroram in nativitate. Lunam in Chriſti conceptione. Solem in aſſumptione ad Cœlum. Petrus Damianus ſerm. de Aſſump: explicans quomodo Virgo dicatur. Electa ut Sol. Nihil inquit, habuit Spiritus in viſibilibus creaturis excellentius, cui excellentiam Virginis compararet, ideò Soli aſsimilat. Et infra. Electa ut Sol, quia ſicut Sol ſolus Orbem illuminat, ſic hæc ſola ſolidiori lumine, & Angelos & homines illuſtrat. Verùm ne à ſtellæ metaphorâ quidquam diſcedas, audi quid de hac Stella loquatur Bernardus. hom. 2. Super miſſus eſt. Ipſa eſt nobilis illa ſtella ex Iacob orta, cujus radius univerſum orbem illuminat, cujus ſplendor & præfulget in ſupernis, & inferos penetrat. Ipſa (inquam) eſt præclara & eximia Stella, ſuper hoc mare magnum, & ſpatioſum neceſſariò ſublevata, micans meritis, illuſtrans exemplis. O quisquis intelligis in huju ſæculi profluvio

vio magis inter procellas & tempeſtates fluctuare, quàm per terram ambulare, ne avertas oculos ab hujus Syderis fulgore, ſi non vis obrui procellis. Si inſurgant venti tentationum, ſi incurras ſcopulos tribulationum, reſpice Stellam, voca Mariam. ita Bernardus, qui Serm. de Nativ. Virg. Tolle inquit, Mariam hanc maris Stellam, maris utique magni & ſpacioſi, quid niſi caligo involvens & umbra mortis, & denſiſsimæ tenebræ relinquuntur? Porrò quia oculis ipſis cernere cupis hanc lucidiſsimam Stellam, ipſa enim quaſi ſydus eximium inter fluctus ſæculi labentis, gratia privilegij ſpecialis refulſit, ut Bedæ verbis utamur. Hom. in feſt. Annunc: cerne an non lucida? annon fulgida hæc Stella? nam B. V. adhuc in corpore exiſtens, recto viſu non potuit intueri, teſte Hieronymo in Sermone, qui ait. Quidam ignei radij in oculis ejus micantes, ſic faciem ejus infundebant, ut eam Ioſeph nunquam poſſet recto lumine intueri. Et declarat. Non mirum ſi in Moyſen qui viderat Deum, ſine velamine non potuit populus intendere, nec videre eum: quid de ea tunc, quæ Deum non tantum vidit, ſed etiam genuit, & tractavit. De magno illo Dionyſio Areopagita Carthuſianus in 1. Sentent. diſt. 16.
 quæſt.

quæſt. 2. hæc ſubjicit. In opuſculo inquit, quod de laudibus electiſsimæ Mariæ edidimus è ſcripturis fide dignis retuli, & probavi, quod Divinus Dionyſius quadam vice terram ſanctam intravit, & Ioannem acceſsit Apoſtolum, rogans, ut eum ad Sanctiſsimæ Virginis Chriſtiferæ præſentiam, & conſpectum introducere dignaretur, quo facto illuſtriſſima ac honeſtiſsima Virgo, in tanto ſplendore, ſublimitate, & gloriâ oſtenſa fuit magno Dionyſio, quod præ ſtupore ruens in terram defecit, & reverſus ad ſe dixit. Niſi ex ratione & fide cognoſcerem inviſibilem Deum, non aliam putarem Deitatem, quam Virginem hanc ſublimem. Hæc Carthuſianus. Qui ſubdit. Forſan (ut piè credendum cenſetur) frequenter ita oſtenſa eſt, atque circumdata lumine copioſiſsimo inventa, præſertim cum & aliæ quædam utriusque ſexus perſonæ, ſic circumdatæ luce ſupernâ viſibili interdum inventæ, ac viſæ legantur. Hæc ille. Anima Chriſtiana! vide quàm ſplendida hæc Stella : vide quàm fulgida Maria: tota ſerena, tota lucida. O tu hanc lucem amares!



STIMV-

STIMVLVS SECVNDVS.

Conſidera. 2. Vehementem hujus myſticæ Stellæ calorem, ardoremque. Et quidni ardeat hæc Stella matutina? quam ut S. Ildephonſus teſtatur, Spiritus Sanctus ignivit. Quidni ardeat hæc Stella matutina? de qua Bernardus ait. Solem ſibi Virgo induit. Quare Sermone. Signum magnum. Candidiſsimus inquit, ſed & calidiſsimus hujus mulieris amictus, cujus omnia tam excellenter irradiata noſcuntur, ut nihil in ea non dico tenebroſum, ſed obſcurum ſaltem, vel minus lucidum, ſed ne tepidum quidem aliquid, aut non ferventiſsimum liceat ſuſpicari. Quidni ardeat hæc Stella matutina? de qua S. Bernardinus Senenſis tom. 7. Serm. 51. art. 3. Cap. 2. Mens Virginis ait, in ardore dilectionis continuè tenebatur. Hinc eſt quod hæc nobiliſsima Stella tot igniculos in mundo excitârit. Si materialem deſideras. Nonne illum excitavit Edmundo Cantuarienſium Pontifici? qui in adultam usque noctem Biblijs inhærens, extincto lumine, domeſticosque turbare nolens, Mariam orat, igniculum reddat extendendæ lectioni, & ecce cereus denuò vivere cæpit. Si ſpiritualem. Nonne illum

illum excitavit in tot cordibus, quot unquam amatores ſui habuit. Hinc tam ardenter loquebantur nonnulli de Maria, ignitos erga eam ſpirabant affectus, manus eorum non tam de Maria ſcribebant, literaſque de eâ exarabant, quam flammas ſpargebant, Si audes ſimiles ſparge. Sparge laudes, ſparge encomia. Sparges, ſi ad cultum Mariæ alios hortatus fueris: ita Tyrones hortabatur Petrus Nicolaus Minorita, negans eum poſſe triſtem exitum habere in Religione, qui ei addictus eſſet. Sparges, ſi Virginis imagines his illiſque diſtribuas, ita B. Borgias è prototypo S. Lucæ depictas, per Societatem diſperſit. Sparges, ſi Virginis coronas non tantùm recitaveris ipſe, ſed & alijs recitandas ſvaſeris; ita Frater Iacobus de Coronis. B. V. admodum ſtudioſus, ejus coronas multas quotidiè recitabat offerebatq;, & quibus cum agebat, etiam Epiſcopos & Cardinales ad coronam recitandam hortari conſveverat, ut vel ex eo adeptus ſit cognomen de Coronis. Sparges deniq́ue, ſi palàm ames ac benefacias illis, qui Mariæ ſunt ſtudioſi. Certè quæ ſtella apparuit ſupra caput B. Ioannis Capiſtrani Minoritæ, de laudibus ac virtutibus Deiparæ concionantis Aquilæ, eadem ſequenti die ſeſe itineris ducem ei exhibuit,

Aquilâ Romam tendenti, ad ſollicitandam canonizationem, devotiſsimi in Mariam D. Bernardini. Vis & tu Stellam Mariam ubiq; habere comitem? amore atq; beneficijs, illam ſuosque devotos proſequere. Vis Stellam hanc tibi olim donari? vince omnia viarum, vitæque hujus incommoda atque difficultates, nam ut ait Franciſcus Mayro Doctor cognomento illuminatus, in Sermone de creatione animæ Virginis. Iſta eſt iſta Stella, quæ unicuique promittitur. Apoc. 2. Vincenti inquit, dabo Stellam matutinam, quia omnes Sancti in Patriâ de plenitudine felicitatis Virginis participant. Hæc ille.

STIMVLVS TERTIVS.

Conſidera. 3. Beneficos Syderis hujus influxus in hæc inferiora, graviſsimorum Virorum teſtimonijs comprobatos. Ephrem Sermone de Laudibus Virginis. Ave inquit, Stella fulgidiſsima, ex qua Chriſtus proceſsit. Ave per quam clariſsimus Sol juſtitiæ nobis illuxit. Andreas Cretenſis. Sanctiſsimam Virginem ſalutans, Serm. de Annunciatione. Salve ait, dioptra perſpectiva, per quam qui in triſti peccatorum umbrâ ſedebant, recipien-

tes justitiæ Solem, mirabiliter illustrati sunt. S. Bernardus super Missus. hom. 2. asserit. Lucem hujus Stellæ, calefacere magis mentes quam corpora, fovere virtutes, excoquere vitia. Hugo de Sancto Victore in sententijs dicit. Maria Stella est, ideò peccatores quasi in nocte à Maria consolantur. Bernardinus Senensis tom. 3. Sermone 1. de glor. nom. Mariæ. art. 3. Cap. 2. sic loquitur. Nec inconvenienter situs Stellæ maris, cum sit in Aquilone convenit Mariæ, quoniam per Aquilonem persecutio, vel tribulatio designari solet, propter ventorum & procellarum vehementiam, ideò locus Mariæ in Aquilone est, ut per eam austeritas persecutionis inflictæ, humanius temperetur, & mitigetur. Solet etiam per Aquilonem, peccatum significari, unde Ierem. 1. Ab Aquilone pandetur omne malum, ideò consequenter locus Aquilonaris ei appropiatur. Hæc ipse. Quod auctoritate Alexandri Alensis confirmat. Eo quod ipsa media inter peccatores & Filium statuatur, ut ex unâ parte, iram ejus mitiget, ex aliâ peccatũ exterminet. Hactenus S. Bernardin. Sed tu quid? nonne ingens beneficium asseris, hunc à morte æternâ, illum à temporali præservari, te in literis, illum in spiritu illuminari, hunc honore,

re,

re, illum pecuniâ, hunc ſanitate, illum ſanctitate, &c. donari, & unde hæc? nonne à Maria? quæ quaſi ſtella matutina in medio nebulæ. Eccleſiaſt. 50: miſeriarum atque ærumnarum noſtrarum nebulas, lucis ſuæ fulgore diſcutit: & ut ait S. Bernardus. Omnibus ſuæ lucis radios impertitur. Idem de eadem. Si Mariæ inquit, devotus fueris, velis nolis nequaquam expers eſſe poteris ejus gratiæ, juvaminis, & favoris. Quam ſi hucuſque non tam liberalem in te ſis expertus, tuæ culpæ adſcribas, & ut experiaris, devotiùs impoſterùm Mariam colas, ſæpius dicendo.

Nunc ô Stella Maris noſtri nos aſpice præſens
Eripe tot pelagi penè hauſtos fluctibus atris
Nunc lucem, lucisq; tuæ jubar exere & Orbi.
Exerere ac radijs nigrantem diſcute nubem.

Ita Christianus Poëta Vida in hymno ad Deiparam. Proh ſi ſapis, Stellam hanc obſerva, & periclitantium nautarum more, quemadmodum illi in ſtellam maris, ita tu frequenter in hanc oculos conjice, ne in æternum pereas. Quod ſi magis Aſtrologicæ quam nauticæ facultatis placeant magiſtri, eos ſequere, qui etſi aliorum aſtrorum rationem aliquam habeant, tamen motum curſumque Lunæ ad criſes

potiſsimum obſervant, atque inde colligunt temporis mutationes, medicamentorum tradendorum opportunas vel importunas occaſiones venantur, plantandi, ſerendi, ligna ſecandi, & id genus plurimarum rerum opportunitates captant, & nihil horum niſi Lunâ conſultâ periti faciunt: ita tu hanc Stellam, quæ pulchra eſt ut Luna, præ omnibus tuis actionibus & negotijs fideliter conſule. Quod ſi plurimi Mariæ adſcribunt illa verba. Eccleſ. 43. Et luna in omnibus, in tempore ſuo oſtenſio temporis, & ſignum ævi: id eſt, luna docet in omnibus rebus, quomodo quælibet opportuno & accommodo tempore gerenda ſint: inſpice ergò illam ſæpius, ut nil non ſuo tempore aggrediaris. Aſtrologi procerto habent, Solis vim, & cæterorum planetarum ac ſignorum influxus, prius excipi à Luna, & tandem in terram derivari; ita ut nihil è cœlo boni defluxus in terram decidat, quod Luna non moderetur, ac temperet. Georgius Venetus Minorita, Har. Cant. 1. ton. 4. Cap. 38. ait. Ea quæ Sol ſuperius vi maſculinâ generat, hæc (intelligit Lunam) ipſius, & aliorum etiam planetarum fœtum ſuſcipiens, inferiori mundo ſibi vicino edit. Aſsimilat hic idem Author Mariam Lunæ, ideoque inquit.

Non

Non abs re Lunæ aſsimilatur Mater illa omnium gratiarum plena, quæ à ſupernis fontibus per diverſos canales haurit, largitur quidem inferioribus pro recipientium diſpoſitione. Idem Author in planetis atq; alijs ſignis cœleſtibus, Cœlites contemplatur, & ex illa lunæ ſimilitudine oſtendit, nullum alicujus Sancti ſuffragium ad nos pervenire poſſe, niſi etiam Virginis meritum & oratio accedat: deducit item, nil boni etiam à Chriſto in nos defluere, quod Virgine intercedente non capiamus: quæ quomodo intelligat hic non ignobilis Author, tu pro tuâ pietate inveſtiga. Quod ſi adhuc nec Nautæ nec Aſtrologi placeant, fortè Reges placebunt. En Robertus Galliæ Rex. Hic Oratorium Pariſijs erexit, & ſequenti titulo inſignivit. Noſtræ Dominæ de Stella: in quo etiam novum Ordinem inſtituit. 30. Equitum è primâ Regni nobilitate, quem & hoc nomine inſignivit. Ordo Equitum Dominæ noſtræ de Stella. Nec hoc contentus, ſingulis quos creavit, auream torquem dedit, in cujus extremo pendebat ſtella aurea, quinque radijs illuſtris. Tu ut Eques Torquatus noſtræ Dominæ de Stella exiſtas in Cœlis, in terris pendeat tibi continuò non tam è collo, quàm animâ Stella, ſed illa cu-

jus radij non alij, quàm 5. his literis expressi.

M. A. R. I. A.

STIMVLVS QVARTVS.

Considera. 4. Vbi & quando hæc Stella exorta: cui hîc occini potest illud Damasceni in Orat. 1. de Virginis Nativitate. Certabant sæcula quodnam maximè ortu tuo gloriaretur. Exorta est igitur. Anno ab Orbe condito ter millesimo, nongentesimo, quadragesimo septimo, ut leges apud Canisium, Lib. 1. Cap. XI. Exorta in Nazareth, eo ipso cubicello, quod hodiè Lauretana Domus appellatur. Decebat sanè ibi hanc Stellam oriri, ubi Sol justitiç Deus, primùm in carne humanatus. Exorta est eo ipso mense Septembris, nempè quo secundùm Iudæos Eva in paradiso terrestri formata. Exorta denique ut vult Duran. Lib. 7. Cap. 28. non tantùm octavo Septemb: sed etiam aurorâ illucescente, juxta revelationem cuidam Viro religioso factam. Et quidni eo tempore Stella matutina compareret, quæ tanquam mystica aurora Solem justitiæ anteibat? aurora erat illa, teste Ruperto, qui ait.

Quan-

Quando nata es ô Virgo beata, tunc vera nobis au-
rora ſurrexit, aurora prænuncia diei ſempiterni,
quia ſicut aurora quotidiana finis præteritæ noctis,
& initium eſt diei ſequentis, ſic Nativitas tua, finis
dolorum, & conſolationis fuit initium, finis triſti-
tiæ, & lætitiæ nobis extitit principium. Hæc ille. O
auroram ſaluberrimam! ô auroram mundo utiliſ-
ſimam! Aurorâ exurgente, noctua, nicticorax, bu-
bonesque fugiunt, & à clamoribus ceſſant; natura-
le quippè eſt, exoriente luce, animalia homini mo-
leſta, ut lupos, & cætera fugari in cubilia ſua, juxta
illud Pſalmi. 103. Ortus eſt Sol, & congregati ſunt,
& in cubilibus ſuis collocabuntur. Aurorâ exur-
gente, morbus mitigatur, ut aſſerit Phijaretus in
tractatu de natura morborum. Aurorâ exurgente,
ſomnus dulcis ſalubrisque eſt ob ſanguinis domi-
nium. Aurorâ exurgente, vel ipſæ aves excitantur
ad volandum cantandumque, ut proindè aurora ſit
quaſi avium hora. Deniq; veniente aurorâ, Exod. 4.
ſubmerſus eſt in profundum totus exercitus Pha-
raonis. Proh quàm bellè hæc adumbrant myſti-
cam auroram, ſive Stellam matutinam Mariam!
De quá Hieronymus. Quidquid maledictionis in-
fuſum eſt per Evam, totum abſtulit benedictio Ma-
riæ.

riæ.

riæ. De qua Bernardus. Serm. 2. Pent. Meritò in te reſpiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te, benigna manus omnipotentis, quicquid creaverat recreavit. De quâ Serm. 4. in Aſſum. Per te Cœlum repletum, infernus evacuatus eſt, inſtauratæ ruinæ Cœleſtis Ieruſalem, expectantibus miſeris vita perdita data. Ideò Eccleſia canit. Nativitas tua Dei genitrix Virgo gaudium annunciavit univerſo mundo. Et Petrus Damian. Serm. de Nat. B. V. ait. Nativitas Beatiſsimæ & intemeratæ Genitricis Dei, meritò præcipuum & ſingulare præbet hominibus gaudium, quę totius extitit humanæ ſalutis exordium. Vide Sodalis Mariane, num de hac Nativitate ſeriò gaudeas. Vide an eâ devotione colas Feſtivitatem illam, quâ Eccleſia eam colere cœpit, nempè poſt Epheſini Concilij tempora, anno 436. celebrati: cui Feſtivitati Octavam adjecit Innocentius IV. Vide deniq́ue, quàm ingenioſus eâ die exiſtas Mariæ cultor. Beatus Franciſcus Borgia, qui dum in Aula Ioannæ Luſitaniæ Principis verſaretur, ut reperies in Hiſt. Societatis. p. 1. l. 13. n. 49. Die Natali Sanctiſsimæ Virginis, multis in ſchedulis varias ejusdem virtutes ac laudes inſcripſit, egregijs cuiq́ue virtuti appoſitis precandi formulis, poſt-
ea

ea in alijs numero paribus ſchedulis, matronarum ac puellarum ſcripſit nomina, quæ in Principis verſabantur obſequio, hiſque ſingillatim nominibus unâ ex parte, ex alterâ ſchedulis cum laude Virginis, ac ſubjectâ prece ſortitò eductis, quam cuique ſchedulam ſors dediſſet, totis deinceps octo diebus, jubebatur è conceptâ in eâ formulâ precem quotidie fundere. O ſi tu ſimilia in hujus Stellæ honorem ageres! O Stellam hanc ubique laudares! Certè dum B. Ioannes Capiſtranus Minorita, ut leges in vitâ ejus apud Sedulium, Aquilæ in Regno Neapolitano, de Mariæ laudibus ac virtutibus concionaretur, ſuper ejus caput Stella apparuit, quæ ab illo, & universâ concione conſpecta fuit. Et quidni ſtellis coronetur caput, quod Stellam Mariam cogitat? quod Stellam Mariam prædicat?

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

STellam à ſtella ne disjungas, idem enim ſtellarum locus eſt COELUM. Quid mirum ergo Seraphicum Franciſcum, poſtquam Sabbato quodam, anni 1226. obijſſet, mox in Cœlum

velut centrum ſuum abijſſe, nam eo ipſo Sabbato, vidit quidam animam illius, ſub ſpecie ſtellæ præfulgidæ, in Cœlum recto tramite ſurſum ferri. O fœlicem cui hæc ſors obtinget, ut Sabbato ſub ſpecie ſtellæ, evolet ad Stellam matutinam, quæ occaſum neſcit, Mariam. Fulgebunt velut ſtellæ, qui in cultu Mariano, erudierint multos.

CAPUT TRIGESIMVM TERTIVM.

SALVS INFIRMORVM.

Tu auxilio destitutorum unica adjutrix. Tu ægrotantium exultatio, & omnium ſalus.
S. Ephrem in Serm. de Laud. B. V.

STIMVLVS PRIMVS.



Onſidera. 1. Quàm appoſitè hic titulus ex Patrum teſtimonijs conveniat Mariæ. S. Damaſcenus, Orat. 1. de Nativ: vocat illam, fontem univerſo Orbi medicinam afferentem.

Ab eodem Orat. 2. de dorm: abyſſus gratiæ, & pelagus dicitur curationum. Methodius Orat. in Hypapantem, appellat eam, Bethlehemiticam ciſternam. Tu Bethlehemitica illa ciſterna, quam veluti vitæ refocillatricem David deſideravit, ex quâ immortalitatis poculum cunctis manavit. Albertus Magnus ſuper Miſſus eſt. Vmbraculum infirmorum, Mariam indigetat. Siſto Richardum à S. Laur. qui Lib. 9. de Laud. Virg. hæc habet. Maria fluvius Iordanis, in quo ad præceptum Eliſæi reſtituitur caro Naaman leproſi, ſicut caro parvuli pueri, ſi in eo ſepties abluatur. Pulchrè Baſilius Seleuciæ Epiſcopus. Oratione in Deiparæ annunciatione, his verbis. Si Chriſtus ſervis tantam gratiam contulit, ut ſolo contactu, imô verò ſolâ corporis umbrâ ægris præſidium afferre poſſent, qualem vim adverſus omne morborum genus, Virgini Matri collatam fuiſſe putandum eſt? annon multò majorem quàm cæteris Chriſti imperio ſubjectis? ita ille. Præclarum eſt illud Cæſarij Lib. 7. Cap. 15. Medicinâ, inquit B. Virginis nihil eſt efficacius, nihil eſt ſalubrius. Et tamen proh dolor! quàm pauci ad hanc recurrunt medicinam, ſi quando infirmitate aliquâ animi, ſive corporis pulſentur! Quàm

pauci ægrorum ad probaticam piſcinam, ſic B. V. vocat Richar. Lib. 9. de Laud. Virg. accedunt, ad hoc ſalutiferum vitæ antidotum Mariam! de quâ Cæſarius Lib. 7. Miracul. Cap. 1. Nomen ejus & memoriale ejus mortuos ſanat. Ah Chriſtiane fulminis otior alis, fuge medicinam, quam venefica aliqua coxit, ne tu in æternum habeas quod concoquas. Sequere præeuntem S. Bernardum adhuc puerum, (in vitâ Lib. 1. c. 2.) ad quem cùm adducta fuiſſet vetula, quæ carminibus & incantationibus dolorem capitis leniret, cum indignatione exclamans eam repulit, ſenſitque paulò poſt divinam virtutem, eodem enim die convaluit. Sequere Damaſcenum quo te invitat, dum in Orat. 2. de Virginis Aſſump: ex perſonâ ipſius Mariæ Apoſtolos jam jam moriturâ alloquens, ait. Quicunque morborum ſanationem, vitioſarum animi affectionum depulſionem, & univerſum quicunque bonum aliquod ſitit, cum fide ad me veniat, & ex eâ gratiâ, quâ plena ſum, hauriat. Sequere Scholæ Salernitanæ monitum.

Cùm tibi defuerint medici, medici tibi fiant
Hæc tria: mens hilaris, requies, moderata diæta.

Seu quod idem eſt, recurre cum ingenti fiducia ad

jeju-

jejunia in honorem Mariæ: recurre ad quietem ſpiritualem, quâ ex animo tuo pellas noxias mundi curas & cogitationes, omniumque loco ſaluberrima ſubintret de Maria cogitatio: recurre denique ad mentem hilarem, id eſt de unâ poſt Deum gaude Mariâ, proculque abſint ſolatia omnia, quæ mundus offert, nè aliàs tibi accidat quod accidiſſe commemorat Cæſarius, Lib. 7. Dial. 42. Dum hæc Salus infirmorum Maria, quadam ſuâ feſtivitate chorum piè pſallentium intraſſet, & de pixide quam manu geſtabat, electuarium per cochlear promens, ſingulis porrigeret, pertranſijt Religioſum quendam, inquiens. Tu electuario meo opus non habes, quia medicus es, & plurimas tibi impendis conſolationes.

Stimvlvs Secvndvs.

Conſidera. 2. Hunc glorioſum titulum Salus infirmorum, nequaquam convenire Mariæ præcisè ex Patrum honorificâ appellatione, ſed etiã è re ipſâ, ſeu à multiplici morborum curatione. Certè Damaſcenus, Orat. 2. de dormit. agens de miraculis in Deiparæ dormitione effectis. Tum inquit morbi fugam capeſſebant, atque hic ſurdis au-

ditus, claudis pedum firmitas restituebatur. Petrus verò Damianus tractans de miraculis, quæ ex Deiparæ manabant sepulchro, introducit Deiparæ sepulchrum ita loquens. Nunc me circumdant Angeli, nunc divina in me habitat gratia, ego evasi officina medicinæ ægrotantibus, ego fons perennis curationum. Quæ sive de corporis, sive de animi curatione intelligant, MARIA jure sibi vendicat hunc illustrissimum titulum. Salus infirmorum. Et quidni? refert enim Cæsarius, in monte Pessulano tantas Beatissimam Matrem operari sanitates in quâdam suâ Ecclesiâ, ut Medici gratiæ invidentes, pauperculis infirmantibus, & pro remedio sanitatum ad se confluentibus dicere soleant. Ite ad Ecclesiam S. Mariæ, deferte ei lumen, & recipietis sanitatem; & cum hoc ironicè dicant, pauperes ab eis passi repulsam, ad ipsam confugiunt, & sanantur. Hæc ex Cæsario. Verùm quid multis opus? Nonne solius Lauretanæ Virginis ope cœci illuminati? muti sanati? surdi & paralytici curati? Nonne Bernardum ad mortem ægrotum invisit Maria, eumque sanavit? Nonne S. Adalbertum adhuc infantulum, periculoso morbo liberavit? integrè sanitati restituit S. Philippum Nerium?

O simi-

O ſimilem gratitudinem tu oſtenderes, ſi quando Virginis ope convaleſcis, quam oſtendit præfatus S. Philippus! dum enim deſperatâ à Medicis ſalute penè moribundus, ad ſe in lectulo jacentem venire conſpexiſſet Mariam, à quâ mox ſanatus: ipſe nullo fultus adminiculo, ad unius circiter cubiti altitudinem ſublimis, mirandum in modum attollebatur, & Virgini clarâ voce, uberrimis intermixtâ lachrymis, audientibus qui aderat, ipſumque ita à cubili ſublatum videntibus, dicebat; O chariſsima mihi Virgo, tu ad me veniſti, ut me his doloribus liberares? & quis ego ſum quia tua præſentiâ ſim dignus? ſimiliaque verba humilitatis ac familiaritatis pleniſsima promebat. Et tu nulla promes? tu nullo grati animi ſigno Mariam veneraberis? à quâ toties ſanitati priſtinæ redditus es. Solent plebei, principesque etiam Viri, tabellis, cerisque, aut id genus reculis, gratitudinis vel voti ergò, Virgineas Aras exornare, tu plebejos, Principes, Regesque ipſos æmulare; nam miraculoſa quædam Mariæ beneficentia, de quâ Hiſt. Anglicana Malmesburienſis, occaſionem dedit ijs Angliæ Regibus, qui de Familiâ Artus propagati erant, geſtandi in ſuis inſignibus imaginem B. Virginis MARIÆ.

STI-

Stimulus Tertius.

Considera 3. Causas, cur hæc Salus infirmorum non omnibus opituletur, sinatque subindè gravissimis vexari infirmitatibus nonnullos. Oculos conjice ad sequentem catalogum, & si quando ei adjectus fueris, cave ne per impatientiam aut desperationem, Mariano albo expungaris in cœlis. Passi sunt Capitis dolores. S. Chrysostomus, S. Dominicus Loricatus. S. Theodorus. S. Lidvina. Capitis vertiginem. S. Xaverius. Coecitatem. S. Lydvina. Asthma et tussim. Venerabilis Beda. S. Plato Monachus. S. Romualdus. Dolores stomachi. S. Gregorius Papa. Sanct. Chrysostomus. S. Ignatius Loyola. Dolorem lateris. S. Paulinus Nolanus. S. Maurus discipulus S. Benedicti. S. Severinus. Nauseam. S. Anselmus. S. Isidorus Hispalensis Archiepiscop. Vomitum sanguinis. S. Dositheus Monachus. Et S. Philippus Nerius moriens. Apostema. B. Frater Didacus. S. Lydvina. Cancrum. S. Aldegundis. S. Galla vidua monialis. Fluxum sanguinis. S. Bernardinus. S. Xaverius. Calculum. S. Lydvina. Paralysim. S. Gregorius Episcopus Traje-

Trajectensis. S.Servulus. HYDROPEM. S.Lydvina. PEDVM TVMOREM. S. Augustinus. PODAGRAM. S. Gregorius Papa pluribus annis. S. Iulianus Martyr. & S. Bonnitus Episcopus, doloribus podagræ è vivis excessit. PESTEM. S. Mellitas Monachus, & S. Macharius Patriarcha Antiochenus, quâ & obijt. Plura petis? lege sequentia. S. Lydvina. 39. annis infirma fuit. S. Clara, 28. annis. S. Margarita Virgo Romana, 14. annis. S.Odilo. 5. annis in gravissimis doloribus decubuit: duobus S. Vbaldus. O Superi! ô Maria! ergone absque ope? ergone absque pharmacis? ergone sine ullo solatio ægri jacebimus? Scio Alexandrum Bertium febrientem, floridâ aurâ à te recreatum. Scio ad Lidvinam ægrotantem Angelum sæpius à te delegatum, qui eam recreabat, & cruciatuum acerbitatem levabat. Scio, ut alios præteream, quod Stanislao graviter infirmo visendam te dederis, & Iesulum in felicissimo Stanislai lectulo collocaveris: an ut ex lectulo illo Paradysum efformares? O mihi quid simile contingeret! eccur non contingit? S. Christianum Confessorem (cujus memoria recolitur 4. Febr:) IESVS & MARIA ægrum 7. continuos dies inviserunt, & cum morituro horas precarias ijdem visi percurre-

re. O homo! vis ſimiliter viſitari? vis ſimiliter moriens honorari? Chriſtianus eſto nomine. Chriſtianus eſto re. Chriſtianus in ægritudine & patientiâ, ſæpiusque prorumpe infirmus in hanc precatiunculam, quam à Chriſto & Maria didicit Alphonſus Rodriquez. IESVS. MARIA, mei dulciſsimi amores: patiar ego, moriar ego veſtri amore, veſter ſim totus, & nullatenus meus, acſi nihil prorſus eſſem. Prorumpe frequenter in ea, in quæ B. Iacobus Venetus Dominicanus; hic in graviſsimo cancri dolore, qui ejus pectus inſederat, hoc unicum loquebatur. Laudetur IESVS CRISTVS. Maria Mater gratiæ, Mater miſericordiæ.

STIMVLVS QVARTVS.

Conſidera. 4. Nonnulla motiva, cur Maria ab infirmis præ cæteris Sanctis invocanda. Primum. Quia inter Cœlites omnes potentiſsima. Secundum. Quia illa, ut teſtatur Bernardus Sermone. Signum magnum, omnibus miſericordiæ ſinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant univerſi, æger curationem &c. Tertium. Quia ſi amicorum omnia ſunt communia, quidni ſaltem ex parte, privilegij

vilegij sui Maria redderet te participem à morbo relevando? illa enim dum in vivis ageret, ut multi teste Suarez. tom. 2. in 3. part. disp. 2. Sect. 2. censent, propter optimam sanctissimi sui corporis complexionem, cum magnâ animi moderatione conjunctam, nunquam in verum ac proprium morbum incidit. Et Cajetanus Cardinal. in opusculo de spasmo Virginis docet; nullo unquam morbo B. V. corpus laborasse. Dissonum inquit, rationi est, B. Virginem ægritudinem aliquam passam esse, quia similis debebat credi Filio per omnia quantum fas est. ita ille. Christum autem nequaquam afflictum morbo, patet ex D. Basilio. Athanasio. & S. Thom. 3. part. q. 14. art. 5: aitque Chrysostomus, non fuisse conveniens eum aliquo morbo languere. Quartum. Quia tot & tot ope Mariæ convaluêre; quare ultimi motivi loco tibi sit illud, quod eximius Virginis encomiastes Petrus Antonius Spinellus, in suo opere de Laudibus Deiparæ Cap. 35. sic refert. Anno 1572. cùm Cæsar Baronius, Vir non minus vitæ sanctimoniâ, quàm eruditione clarissimus, qui postea in S. R. E. Cardinalium numerum est cooptatus, periculosâ febri ita laboraret, ut de eo jam conclamatum esset, B. Philippus ad orandum pro

ejus valetudine ſe dat, cujus orationis ſeries ipſi Baronio, qui eo tempore ſomno correptus erat, objecta eſt. Videbatur ſibi videre eundem B. Philippum propè Chriſtum ſtantem, ad Chriſti dexteram Sanctiſsimam Virginem candenti amictu, & Beatum Virum obnixè Dominum rogantem in hæc verba. Cæſarem priſtinæ reſtitue valetudini: id quod magnâ fiduciâ varijs identidem repetebat, nec tamen quicquam impetrabat: quare ad Sanctiſsimam Virginem converſus, cum eâ ſuppliciter agebat, ut quod ex ſe conſequi non poterat, per eam omninò aſſequeretur. Cumque Virgo impensè oraret Filium, tandem exoravit. Somno deindè æger expergefactus, brevi omni penitus morbo liberatur. Hæc Spinellus. Chriſtiane! Diſce hinc recurrere ad Salutem infirmorum Mariam. Diſce vel ægrotans opem implorare Mariæ: & ſi corporis animique morbis ocyùs liberari ſatagis, dic ei frequenter, jam cum S. Bernardo, qui Sermone 2. de Adventu, ad Virginem ait. Per te acceſſum habeamus ad Filium ô Benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ, Mater ſalutis. Iam cum S. Philippo Nerio, qui frequenter ſic eam invocabat. Virgo Maria Dei genitrix IESVM ora pro me. Ah quidni illâ volente

lente

lente ſalutem obtineres à Chriſto! qui palam Medico ſeſe comparat illis verbis. Non eſt opus valentibus Medicus. Ah quidni priſtinam valetudinem recuperares, ſi ad ſanctiora amuleta confugeres! fac ſuper te recitari verba illa, quæ Sanctus Philippus Nerius cuidam aſsiduis capitis doloribus, & febribus vehementer afflicto, manibus ſuis capiti impoſitis, recitavit. Peccata fuge, Sanctiſsimam Dei Matrem magno pietatis affectu venerare; & confeſtim melius habere cæpit, brevique incolumitati eſt redditus. Aut ſi magis placet, vivâ & ardenti fide, imaginem Virginis parti affectæ appone, nam S. Hedwigis Duciſſa, impoſitâ icone Mariæ ægrorum capitibus morbos plures abegit. Quod ſi tamen, quia ita animæ ſaluti expedit, aliò avocaris, cave ne hinc diſcedas, quin Ioannis Berchmans morientis imitator exiſtas, & cum eo, crucem & roſarium complexus arctiſsimè dicas. Hæc (inquiebat ipſe) arma mea ſunt. Hæc mihi chariſsima, cum his libenter moriar.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

PRocul hinc, procul exeſte Galeni, & Hyp-

& Hyppocrates, meliori alexipharmaco, morbos nostros pellit SALVS INFIRMORVM MARIA. Postquam enim Lamberto Attrebatensium Pontifici demandasset, Sabbato quodam (ô prodigiosos Sabbati influxus!) nocte vigil excubaret, jacentesq; præ templi vestibulo ægros inviseret, tandem sub primum galli cantum, adfuit ipsamet, cum cereo accenso, quem disparens post se reliquit, cujus beneficio sanarentur multi, quod & factum. Lege RECIPE in sacratiore Gvilielmi Gazei Apothecâ, ubi in hunc modum adnotatum reperies. De cereo, inquit Maria, pauxillum instillabitis in vasa aquæ plena, quam ægris potandam præbebitis, eâdemq; inflammatas lue pestiferâ partes irrigabitis. Disce hinc quisquis graviore morbo premeris, Marianum RECIPE poscere, quod Sabbatinâ devotione exsolvas.



CAPUT

CAPUT TRIGESIMVM QVARTUM.

REFVGIVM PECCATORVM.

Tu es Spes unica peccatorum, per te speramus veniam delictorum, & in te Beatissima est nostrorum expectatio præmiorum. S. Augustinus ad B. V. Serm. 2 de Annunc.

STIMVLVS PRIMVS.



Onsidera. I. Quo illæ Ecclesiæ voces, quibus toties Mariam interpellat. Solve vincla reis, profer lumen cæcis, mala nostra pelle. Quo istę. Nos culpis solutos, mites fac & castos. Quo hæ. Sumens illud Ave, peccatorum miserere. Cur Augustinus eam vocet. Spem unicam peccatorum. Ephrem Syrus. Spem desperantium. Andreas Cretens. Divinam cum hominibus reconciliationem. Bernardinus

nus Sen. Arcum fœderis, ut non interficiatur omnis caro. Carthuſianus Lib. 2. de Laud. Virginis. art. 23. Advocatam omnium iniquorum ad ipſam confugientium. Bernardus. Peccatorum Scalam. Filioli inquit ille. Serm. de aquæ ductu: hæc peccatorum Scala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc tota ratio ſpei meæ. Ah cœcus es ſi non advertis. Stupidus ſi vel hinc non diſcis, Mariam eſſe refugium peccatorum. Perverſus es, ſi non credis, Advocatam eſſe deſperatorum. Præſcitus, ſi in tuis flagitijs ſedes, nec ad illam recurris. Times fortè impuriſsimus puriſsimam Virginem? Audi Bernardum Ser. Signum magnum. Quid inquit, ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? nihil auſterum in ea, nihil terribile, tota ſvavis eſt. Audi eundem, hom. 2. ſuper Miſſus eſt. Si criminum immanitate turbatus, conſcientiæ fœditate confuſus, judicij horrore perterritus, barathro incipias abſorberi triſtitiæ, deſperationis abyſſo, cogita Mariam. Et infra. Ipſam ſequens non devias, ipſam rogans non deſperas, ipſam cogitans non erras, ipſâ tenente, non corruis, ipſâ protegente non metuis, ipſâ Duce non fatigaris, ipſâ propitiâ pervenis. ita ille. Credis hæc Bernardo? Si credis, recurre ergo liberè, poſt mille

& mil-

& mille crimina ad Mariam. Maria, inquit Richardus à S. Laurentio. L. 2. de Laud. Virg. part. 5. dicitur Altare placationis Domini, qui placatur erga peccatores, cum super hoc Altare offerunt dona & sacrificia sua, de quo altari ipse Deus dicit. Offeruntur super placabili altari meo. Isaiæ 6. Recurre ad Mariam jam cum Ecclesia orando. Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes. Iam cum Gregorio Nazianzeno. Maria sis mihi propitia. Iam cum Gregorio Nicomediæ Archiepiscopo. Tu ô Dei Genitrix ne despicias preces eorum qui semper petunt. Iam cum Germano Patriarcha, miserere mei, flexa meis lachrymis. Flectetur sanè hæc pientissima Mater, & te quamvis Æthiope, ipsoq; carbone nigriorem, in suam gratiam recipiet, tibique blandietur, juxta illud, quod ex quadam visione Beatæ Gertrudis, in Libro 4. suarum Revelationum, cap. 49. constat, quæ sic habet. Posthæc inquit videbantur Gertrud. quasi sub pallium intemeratæ Virginis, accurrere quædam diversi generis bestiolæ, per quas notabantur omnes peccatores, ad ipsam specialem devotionem habentes, quas omnes Mater misericordiæ benignè suscipiens, & quasi pallio suo protegens delicatâ manu suâ singu-

las contrectando, deliniendo, ipsis amicabiliter blandiebatur, quemadmodum quis blandiri solet catulo suo: per hoc manifestè insinuans, quàm misericorditer suscepit omnes se invocantes, & quàm maternâ pietate defendat, ac protegat homines peccatis deditos, in se sperantes, donec eos Filio suo reconciliet, veraciter pœnitentes. Hæc ibi. Nonne similes favores experiris hodie? nam Andreas Hierosolymitanus Episcopus asserit in Sermone de Annunciatione. Senio quasi cōfectus mundus per Mariam peccatorum senectam exuit. O homo! quidni similes blanditias & tu speres, licet jam in bestiam Nabuchodonosoris instar transformatus videaris, si modò ad hoc Refugium peccatorum accurras? Neq; dicas: peccata gravant, ea amplius detestari nequeo, imò ad nova patranda denuò me accingo. Audi & obstupesce. Refert. Vincentius in Spec. Histor. Libro 4. Cap. 116. De scelesto quodam fure, frequentium latrociniorum insigni patratore, tamen Virgini Sanctissimæ plurimùm devoto, hic dum furtum commissurus iret, unum Ave Maria recitabat, tandem captus, suspensusq;, at suspenso affuit Refugium Peccatorum Maria, tribus diebus eum ut sibi videbatur, suis manibus sustentans. O stupen-

ſtupendum prodigium! illac caſu tranſeunt, qui eum ſuſpenderant, vivumq́; & vultu alacri reperientes, quem non bene laqueo aſtrictum fuiſſe arbitrantur, gladio jugulare contendunt, verùm Maria, ferientium gladio manum opponit, clientem tutatur; qui rem enarrans, è patibulo deponitur, Monaſterium intrat, & quo usq́; vixit, in ſervitio vixit MARIÆ. O ſervum mille titulis Virgini obſtrictum!

STIMVLVS SECVNDVS.

Conſidera. 2. Vnum ex potentiſsimis motivis, cur ad Mariam recurrere debeat peccator, eſſe, quia illa peccatoribus plurimùm obſtricta, eò quod illorum causâ Mater Dei ſit effecta. Nam ſi verum eſt Antecedens, nempè Verbum Divinum naturam humanam aſſumpſiſſe, ut hominem redimeret, nec fuiſſe aſſumpturum niſi peccaſſet. Si homo inquit, S. Auguſt. Serm. 8. de Verb. Apoſt. non perijſſet, Filius hominis non veniſſet; Ergo etiam vera & legitima erit conſequentia. Virginem ſi homo in peccatum non incurriſſet, Matris Dei dignitatem non fuiſſe conſecuturam. Quod ſentit D. Anſelmus

ſelmus. Lib. de excell. Virg. Cap. 12: cum illam his verbis affatur. Cur non juvabis nos peccatores, quando propter nos in tantam celſitudinem es levata, ut te Dominam habeat & veneretur omnis pariter creatura. Idem Cap. 1. Si propter peccatores facta eſt Dei Mater, quomodo immanitas peccatorum meorum cogere poterit deſperare veniam, cum tam ineffabile bonum ſit factum ex ea, ob curationem eorum? Abulenſis Epiſcopus. Num. 23. quæſt. 9. De Beata Maria inquit, dicimus quod ipſa propter nos Mater Dei eſt, & ſic dicit Eccleſia. Qui pro nobis natus tulit eſſe tuus, licet, ly pro, vel propter, non dicit cauſam meritoriam, ſed finalem, quia nos non meruimus, ut ipſa eſſet Mater Dei, ſed ut nos ſalvaremur, ipſa Dei Mater facta eſt. Hæc Abulenſis. & Dionyſius. lib. 3. de Laudibus Virg. art. 5. Virgo cognoſcit ſe peccatoribus ſuo modo debere, quod Mater effecta ſit Dei. O peccator! quidni ergo ſperes favores & gratias ab illâ, quam tu ad tantam dignitatem ſublimaſti? Quidni magnam ſalutem conſequaris per eam, quæ magna facta eſt per magnos peccatores, juxta illud. Peccatores non abhorres, ſine quibus nunquam fores tanti Mater Filij? Terret te fortaſsis majeſtas ne accedas.

Audi

Audi Hugonem de S. Victore in ſententijs, timorem omnem propulſantem, ſi pertimeſcis inquit, ſupplicaturus ad Deum accedere, reſpice ad Mariam, non illic invenis quod timeas, genus tuum vides. Hæc ille. O genus noſtrum! verè noſtrum! nobiſque adeò clemens & propitium! teſtetur id plurimos inter vel juvenis ille, de quo Turſell. Lib. 3. C. 33: qui impuro amore fœminæ cujusdam captus, illâ potiri poſsit, à Chriſto deficit, dæmoni ſe tradit, ipſiq́ue fidem ſuam chyrographo obſtringit. Proh ſcelus! verùm deſiderio expleto, tandemq́ue pænitentiâ ductus, Lauretanam ædem adit, ante Deiparam lachrymans orat, recepto illo nefario chyrographo, ſaluti ſuæ conſultum velit. O Matrem verè Refugium peccatorum! en in manus ſuas delapſum conſpicit chyrographum. Teſtetur id celeberrimus ille Theophilus, qui Chriſtum Mariamq; abnegavit, qui abnegationis chyrographum conſcripſit, qui annulo ſignatum diabolo tradidit, tamen in ſe reverſus, ad imaginem Mariæ confugit, cui ſemel apparens illa, de impietate quidem redarguit, ſed exorata patrocinium ſpopondit, ſtetitq́ue promiſsis; nam poſt triduum veniens dixit. Ecce ad petitionem meam ſuſcepit te Deus in gratiam: &

 ſche-

ſchedulam quam malo genio dedit, retulit. O Ma-
riam potentiſsimam! clementiſsimam! ô Theophi-
lum quondam ſceleſtum, jam Sanctorum catalogo
adſcriptum! cujus ſolennis memoria, quarto Fe-
bruarij quotannis in Eccleſia celebratur. Diſce hinc
peccator, ante aram Virginis tua negotia agere. Di-
ſce Mariana templa adire. Diſce in enormibus etiã
peccatis veniam ſperare. Id à te poſtulat Chriſtiana
Religio. Id à te flagitat Maria, in cujus vitâ de inſi-
gni quodam peccatore hæc leges. Intrat hic Eccle-
ſiam Mariæ, cujus imagine conſpectâ, intra ſe cogi-
tat, num pro ſuorum remedio peccatorum invocan-
da? dumque pauſando conſiſteret, tandem prorum-
pit dicens. Si te Domina miſericordiæ invocarem,
incaſſum laborem, quia non exaudis tam magnos
peccatores. O deſperate Iuda ecquid dicis? quid
loqueris? quò præ triſtitia abire contendis? audi
propitiam Mariam: apparuit enim ei inquiens. Sta,
& pete à me, ut intercedam pro te apud Filium me-
um. Cui ille. O Domina libenter, ſed tot ſunt pec-
cata mea, ut me damnatum exiſtimem: at ipſa. Si
jam damnatus eſſes, adhuc ſcio me tui poſſe miſe-
reri. O verba ſolatio plena! plena ſpe! Vnde benè
dixit Anſelmus. Pro peccatoribus dulciſsima Virgo

Mater intercedere nunc non cessas, qui si non essent nunquam esses.

Stimulus Tertius.

Considera 3. Alterum ex potentissimis motivis, cur ad hoc Refugium peccatorum Mariam recurrere debeamus, esse illud Anselmi. C. 6. de excell. Virg. Velocior inquit ille, interdum est salus, memorato nomine Virginis, quam invocato nomine Filij, non quod ipsa major & potentior eo sit, verùm quia etsi merita invocantis non merentur ut exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt ut exaudiatur. Rationem hujus dicti accipe. Quia Filius licet sit Dominus & potens benefacere, tamen cum simul sit Iudex omnium, discernens merita singulorum, juxta illud Ioan. 5. Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio: si ipse à quovis suo nomine invocatus non statim exaudit, injustè non facit, at dum Maria intercedit, quamvis tua desint, illius tamen merita perorant, est enim Patrona tantum, Patronæ autem sola competit misericordia. Huc facere videtur illud Bernardi Serm. Signum magnum. Fidelis inquit, & potens mediator Dei, & hominum Christus, sed Divinam in eo

reve-

reverentur homines majestatē: absorpta videtur in Deitatem humanitas, non quod mutata sit substantia, sed affectio Deificata: non sola illi cantatur misericordia, cantatur pariter & judicium. Denique Deus noster ignis consumens est, quidni vereatur peccator accedere, ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, sic pereat ipse à facie Dei: opus est enim mediatore ad mediatorem istum, nec alter nobis utilior quàm Maria. Ita ille. Huc etiam facere videtur illud Augustini. Cum justitia gladium vibrat in homines, Pater æternus suum brachium, nempe Christum objecit, non tamen continuò Divina justitia gladium extensum ad vulnus contraxit, &c. At de Beatissima Virgine idem Augustinus subjicit, & S. Ambrosius ait. Te enim brachium & manum extendente, pro nobis, Divinæ ultionis gladius elevatur & contrahitur. O peccator qui hæc legis & ruminas, quid agis? quid cunctaris? cur ad Mariam non accurris? Ah lætus & audax imposterum, speq; plenus recurre ad Mariam, quia quos ipse Deus non potest salvare per suam justitiam & veritatem, hos ipsa salvat per suam infinitam misericordiam, secundum Anselmum in Sermone. Si ad Christum Iudicem veremur accedere, ad Mariam Patronam,

inquit Anſelmus accedamus, impoſsibile eſt ut pereamus. Sequere monitum Bernardi. Serm. de aquæ ductu. Ad Patrem verebaris accedere ſolo auditu territus ad folia fugiebas, Ieſum tibi dedit Mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? exaudietur utique pro reverentia ſua: an verò trepidas & ad ipſum? Frater tuus eſt, & caro tua, tentatus per omnia absque peccato, ut miſericors fieret: hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forſitan & in ipſo Majeſtatem vereare Divinam, quod licet factus ſit homo, manſerit tamen Deus. Advocatum habere vis & ad ipſum? ad Mariam recurre. Hæc Bernardus. O quàm eximia! ô quàm præclara Advocata eſt Maria! quæ per Filium non acquirimus, obtinemus per Mariam. Revolve penſiculatiùs illud, quod ſupra annotatum reperies de Cæſare Baronio. Revolve illud quod ex intimis Socijs Seraphici Franciſci. F. Leo vidit in ſomnis, nempè binas ſcalas à terra ad Cœlum protenſas, in ſummitate unius aderat Chriſtus, in alterius Maria, ſed qui per ſcalam Chriſti aſcendebant, turpiter decidebant, hic ex tertio, ille quarto, ille decimo gradu, aſt Maria benignè excepit aſcendentes, ita ut ſine labore Regnum ingrederentur. in Chron. Minorum p. 1.

Lib. 2. Cap. 35. Revolve illud de Romanâ peste, pro quâ avertendâ ad Cœlites confugitur, ad Christum itur, sed heu! frustra. Confugitur, ad S. Virginis iconem, per Vrbem circumfertur, & ecce pestifera lues cedit. Vndè benè quadrat huc illud D. Bonavent. in Spec. Ante Mariam nemo sanè fuit, qui sic detinere Dominum auderet. Et illud Alcuini, in Serm. de Nativitate. Ecce coram tremendo Iudice assistimus peccatores, cujus manus terribilis gladium iræ suæ vibrat super nos, & quis avertet eum? nemo sanè tam idoneus est, ut gladio Domini manum pro nobis objiciat, ut tu Dei amantissima. Ita ille. Tu ne olim Iudicis hujus iram experiaris, favores in terris expete Mariæ, nam ut dicit Ignatius, in Epistola ad B. Virg. Impossibile est salvari aliquem peccatorem, nisi per tuum ô Virgo auxilium & favorem. Quod si Astrologi in Cœlo, inter Leonem & Libram, Virginis signum interponunt, tu inter Leonem de tribu Iuda Christum, & Libram illam judiciariam, in qua omnia tua facta aliquando examinabuntur, vide interponere possis Virginis signum, sive Virginem amabilissimam Mariam. Felicissimè sanè id successit mulieri illi, de qua ejus Confessarius, è Societate Iesu, ad suum Generalem perscri-

perſcripſit, & in Horto Paſtorum tr. 4. ad finem hæc leges. In Literis ex India Orientali ad Generalem Societatis Ieſu, refertur. In quodam ibi Burgo delata eſt quædam mulier Chriſtiana, quæ peſte obierat, ad ſepulchrum: cùm verò illud anguſtum foret, & mora fieret ut inferretur, vox audita eſt, quaſi cadaveris ingemiſcentis. Hei mihi! Mirantur omnes, & ſtatim linteum, quo obvolvebatur, diſcindunt, inveniuntque mulierem adhuc vivere, & ut confeſsione peccata ſua expiaret, Confeſſarium implorare. Reducta ergò in ædes ſuas, & cùm illuc miraculo accitus adveniſſet loci Dominus, curat advocari Patrem Caſparum Ruiz, Sacerdotem Societatis, qui tunc temporis non longè aberat. Hic adveniens interrogat mulierem, ut totam rei ſeriem enarret. Dicebat ergò, ſe in inſtanti mortis per adoleſcentem fulgidum deductam fuiſſe ad thronum quendam magnificum, in quo Chriſtus ſedebat cum Maria Matre, multis Sanctis, & Angelis cinctus; ubi dæmon comparens eam de omnibus peccatis accusârat. Cùm verò ipſa, nec ejus Angelus, quicquam reſpondere poſſet, ad Virginis patrocinium confugere ſe coactam dicebat, ut opem imploraret in tanto diſcrimine. Cumque precibus

commota forent materna Virginis viſcera, Filio Matrem ſupplicaſſe, ut tempus pœnitendi & peccata confitendi ei daretur, certam repræſentans eleemoſynam, quam in Virginis honorem pauperi mendicanti, paucis abinde diebus elargita fuerat, cùm mendicus à marito ſeveriore, domo expulſus fuiſſet. Addebat deinde. Chriſtum Iudicem Matris precibus, trium dierum ſpatium indulſiſſe, juſsiſſe tamen, ut ſatisfieret Divinę juſtitiæ, à dæmone multis eam verberibus eâ horâ affici, ac ſtatim poſtea animam corpori redditam fuiſſe. Hæc utique narrabat mulier multis cum lachrymis totius vitæ delicta confeſsione generali expians. Cumq. tres dies elapſi forent, quos cum Patre ſpiritualibus colloquijs impenderat, Sacro Viatico, & extremâ Vnctione munita, animam magnâ cum fiduciâ Deo reddidit. Hæc ibi. O Virginem inter Leonem & Libram! O Refugium peccatorum Mariam!

STIMVLVS QVARTVS.

Conſidera. 4. Vltimum illudque efficaciſſimum motivum, cur ad hoc Refugium, vel ut loquitur Ephræm in Serm: de Laud: Deiparæ, cur ad

cur ad hoc peccatorum hoſpitium, ſic MARIAM compellat, accurrere debeat peccator, eſſe hoc, quia MARIA non tantum nomine ſed & re ipsâ, tale ſe omnibus exhibet. Hinc tot & tanta extant monumenta Marianæ indulgentiæ, atque clementiæ in peccatores, ut nemo ſanæ mentis eſſe debeat qui etiam poſt enormia ſcelera perpetrata deſperet de venia. O quot illa benigniſsimè adjuvit! quot Cœlo inſeruit! dubium enim non eſt quin multos nedum mortuos ab inferno liberârit, per anticipationem, hoc eſt protegendo ne illuc labantur: & in hoc ſenſu dicit mellifluus Doctor Bernardus Serm. 89: à Beata Virgine Cœlum impletum, infernum evacuatum. Germanus autem Sermone de Zonâ Virginis aſſerit, plurimos ejus interceſsionibus ab æterno ſupplicio liberatos. Nec dubiũ eſſe debet, multos etiam vitâ functos, jamque mortuos, ne in æternas pœnas ruerent præcipites, Mariæ precibus fuiſſe liberatos, & vitæ reſtitutos, ubi pœnitentiam agerent; cum enim nonnulli Sancti multos in lethali culpa defunctos excitârint, ſuisque precibus obtinuerint, ne æternis ignibus devoverentur, cur non idem aſſererendum de MARIA? Perpende Christiane, quàm meritò ad hoc peccatorum hoſpitium

 accur-

accurrere debeant omnes, de cujus ſalutiferâ terrâ loquens Richardus: Lib. 8. de Laud: Virg: hæc habet. Maria terra, quia nobis interponitur & abyſſo, quâ ſubtractâ, ſicut Core, Dathan, & Abiron, ſtatim deſcendimus in infernum viventes, ſic ſubtracto nobis adjutorio MARIÆ ſtatim labimur in peccatum, & inde in infernum. Operam ſanè luderet, qui fabricam terræ non imponeret. Pulchrâ metaphorâ id premit Richard. à S. Laur. qui Lib. 8. de Laud. Virg. ait. MARIA terra, quia omne ædificium in terrâ fundatur, ſic quidquid boni facere volumus in ipſa fundare debemus. Age igitur peccator, & ſi à peccato reſurgere cupis, vitamque imposterum Angelicam vivere, auxiliatricem Mariæ manum implora, non immemor illorum, quæ acutè obſervavit Sanctiſsimus Ravennatenſium Præſul, S. Petrus Chryſologus dum Serm. 64. loquens de Lazari per Chriſtum reſuſcitatione, cui intereſſe debuerat ſoror Marthæ MARIA, ſic ſcribit. Martha mittitur ad MARIAM, quia ſine MARIA nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari: veniat MARIA, veniat materni nominis bajula quatenus prodeant ab inferis mortui, mortui exeant de ſepulchris. O verba omnium peccatorum cordibus

profun-

profundè insculpenda! ut omnibus iñotescat, vitam animæ per Mariam restitui. Suffragatur Richardus Lib. 1. de Laud. Virg: Cap. 2. inquiens. Peccator es? ad nomen MARIÆ confugias, ipsum solum sufficit ad medendum, nulla enim pestis tam efficax, nulla sic hæret quæ ad nomen Mariæ non cedat continuò. Huc flecto quæ quidam ab Aloysio Novarino Lib. 4. de umbrâ Virgineâ. Excursu 74. adductus, observavit. Christus aliquando justitiam, Beata Virgo semper misericordiam exercet, unde in hoc etiam illæ Virgines se fatuas præbuerunt, nam si, quemadmodum Domine, Domine, inclamaverunt, ita inclamarent Domina, Domina, illam fortasse repulsam non paterentur, quia Matris misericordia, Filij justitiam temperaret. Sed age, & Caroli exemplo, hoc Refugium peccatorum tibi propitium reddere contende. Vidit quondam S. Brigitta, de Caroli filij sui salute anxia, utpotè vagi & dissoluti, qui in ætatis flore, morte abreptus, vidit inquam Tribunal, in quo summus omnium Iudex Christus sedebat, cujus dextræ adstabat Maria, accessit quoque humani generis capitalis hostis dæmon, multaque contra Mariam conquestus, allegabat primò: quod cum ei jus concessum sit tentandi

tandi animas, & maximè in morte, tamen in morte Caroli, Virgo cubiculum ingressa, inde eum depulerit, nec permiserit ullo modo ingredi ad tentandum. Allegabat secundò: se jus habere animas in judicio præsentandi, & accusandi, ipsam tamen Virginem statim animam exeuntem à corpore, inter brachia suscepisse, judicioque præsentâsse, prohibendo omnem dæmonis accusationem, & ideò judicium sine parte actum esse contra omne jus. Fradelinus lib: 3. Cap. 21. Dic amabo, quid ad hæc putas responderit MARIA? Audi, Sibi prestita à Carolo obsequia obtendebat. Tu similibus obsequijs tibi non devincies Refugium peccatorum MARIAM?

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

LEge quæ Pelbartus Lib. 12. p. 2. a. 1. & ex illo Libellus, cui titulus Maria Mater agoniz: refert in hunc modum. Scelestus quidam latronum princeps, cùm viduam quampiam unà cum filiabus Sabbato jejunantem videret, atque id se eo consilio facere affirmarent, quòd audivissent, Beatissimam Dei Matrem id facientibus à Filio impetra-

petrare, ut ſyncerè confeſsi feliciter morerentur, vovit & ipſe Sabbatinum jejunium honori Virginis. Elapſis inde annis pluribus, captus & capite truncatus, mori tamen non poterat. Confeſsionē, Confeſsionē clamabat reſectū à trunco caput. Adeſt Sacerdos & caput trunco unit, rogatq; rei cauſam & ſeriē. Tum verò caput. Iam ajebat, reſecto prorſus capite, aderant dæmones, qui migrantem animam meam ſecum ablaturi erant, ſed Virgo Mater mori me non permiſit, priusquàm Sacramento Pœnitentiæ anteactæ vitæ ſcelera expiarem. Expiavit, & ſtatim expiravit. Ah vel cadaveri crede, Mariam eſſe Refugium peccatorum. Diſce vel à latrone Sabbata in pretio habere, ſed cave totius hebdomadæ turpem libertatem in unicum Sabbati jejunium declinare, axioma enim eſt. Quod uni gratiosè conceditur, non debet trahi in exemplum.

CAPUT TRIGESIMVM QVINTUM.

CONSOLATRIX AFFLICTORVM.

Ex ore tuo pendet conſolatio miſerorum, redemptio captivorum. S. Bernardus Homil. ſuper Miſſus.

STIMVLVS PRIMVS.



Onſidera. I. Quàm afflictus, quàm miſerabilis ſit ſtatus earum Animarum, quas Purgatorij teterrimus carcer captivas tenet. Perpende obſecro ingentem illam afflictionem, quam multæ juſtorum animæ ſuſtinent in Purgatorio. Dic amabo quàm horribiles! quàm graves! quàm acerbæ earum ſint pœnæ! de quibus B. Maria Magdalena Pazzia. 2. par. vit. C. 13. pag. 169: in raptu exiſtens dixit. Omnia tormenta quæ paſsi ſunt Sancti Martyres, fuiſſe tanquam amænum hortum, reſpectu eorum, quæ infliguntur in Purgatorio. Annon acerbæ? ſiquidem teſte S. Auguſtino. in Pſal. 37. S. Anſelmo in 1. Cor. 3. & S. Iuliano Archiepiſcopo Tolet. L. 2. Prognoſticorum, C. 19:

gra-

gravior eſt ignis purgatorij, quàm quicquid homo poteſt pati in hac vita. Annon graves? ſiquidem teſte B. Beda in Pſal. 37. Gravior eſt purgatorij correctio, quàm quicquid unquam paſsi ſunt latrones, vel Sancti Martyres, vel quicquid graviùs homo poſsit excogitare. Annon horribiles? ſiquidem teſte S. Thoma in 4. d. 21. q. 1. art. 1. q. 3. Minima purgatorij pœna, excedit maximam pœnam hujus vitæ. Annon acerbæ? Annon graves? Annon horribiles ſimul? ſiquidem vel puer novennis, de quo Philippus Berlaymont, comparens matri ſuæ dixit. Si omnes carbones, quos carbonarij in univerſo mundo, à tempore nativitatis uſque hodiè arſerunt, in uno cumulo arderent, & tu dilecta Mater mea, in medio cumulo ſtares & arderes, non tantas pœnas ſuſtineres, ſicut jam in purgatorio ſuſtineo. O dolorem! ô pœnas! ô tormenta! Heus Viator! afflictiſsimis Animabus opem ferre memento. Flectere ad illas voces, acſi eas jam audires. Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Diſce has deſolatas Animas ſolari, vel exemplo illius, quæ Conſolatrix afflictorum meritò audit. Diſce exemplo MARIÆ, quæ animas in Purgatorio detentas, imbre ſuæ conſola-

ſolationis ſingulis momentis, prout ipſa S. Gertrudi revelavit, refrigerat. Diſce exemplo clementiſſimæ DEI MATRIS, quam nonnulli putant ſtatim Conceptionis ſuæ momento, uti pro alijs, ita & pro Animabus Purgatorij oraſſe, easque tunc cum ſolatio ſenſiſſe, atq; intellexiſſe illam eſſe conceptam. Diſce exemplo pientiſsimæ Cœlorum Reginæ, quæ S. Brigittæ Lib. 4. Revel. C. 138. dixit. Sum etiam Mater omnium qui ſunt in Purgatorio: & Lib. 6. Nulla inquit eſt pœna in Purgatorio, quæ propter me non remiſsior erit, & lenior ad ferendum, quàm aliter eſſet. Diſce exemplo MARIÆ, nam de Hieronymo Caravalle Luſitano Societatis IESV, qui fœliciter obijt, Año 1604: ex fidâ aliorum narratione, refert P. Douterman. Quod cum aliquando ob pœnas Purgatorij, quas valdè formidabat, ſubtriſtior eſſet, apparuerit ei Deipara & dixerit. Ne inquit ita vehementer angaris, ego namque non tantùm Advocata ſum peccantium in hâc vitâ exiſtentium, ſed etiam dum igne purgatorio purgantur. Diſce denique vel ab ipſo Filio Mariæ, qui S. Gertrudi. Lib. 4. C. 18. Infin. aſſeruit, inquiens. Qui pro peccatoribus & Animabus purgandis devotè oraverit, hoc tam dignanter acceptabo, acſi

ad me

ad me incarceratum crebriùs veniendo, blandis
consolationibus suis, desolationem meam sublevas-
set. Et aliâ vice orante S. Gertrude. L. 5. C. 21. In-
sin: & petente, quàm acceptus esset Domino labor
earum in recitando Psalterio pro defunctis. Respō-
dit Dominus. Tam acceptus certè, acsi memetip-
sum toties suo pretio à captivitate liberasset, quoties
aliqua liberatur anima per orationes earum: & hoc
ipsis indubitanter restituam in tempore opportuno
secundùm omnipotentiam meæ liberalissimæ pie-
tatis. O indociles stupidosque discipulos! qui ex
tot lectionibus Iesu & Mariæ nil proficiunt. Si ver-
ba non docent, doceant moveantque exempla, nam
ut est in vitâ Alvarez. C. 45: ante imaginem San-
ctissimæ Virginis oranti Ioanni Ximenes Societatis
Iesu, eximiæ probitatis Coadjutori temporali, cla-
ra vox ad aures venit. Ximene memor esto anima-
rum Purgatorij: quâ voce ille ita permotus est, ut
ab eo tempore usque ab obitum, per. 8. circiter an-
annos, omnia opera sua, tam externa quàm inter-
na, tum devotionis, tum mortificationis, in suffra-
gium earum Animarum obtulerit. Et tu nil offeres?

STIMVLVS SECVNDVS.

Considera. 2. Quàm facilè, nulloq; negotio pœnas purgatorij incurrant mortales. Testis sit devotissimus ille MARIÆ cliens, P. Iacobus Rem, cui Ingolstadij quidam è Societate IESV apparens dixit, se in purgatorio esse, eò quod sæpè absque facultate disciplinas fecisset. Ann. Coll. Ingolstad. Ann. 1618. Testis sit Religiosus ille è Divi Dominici Familiâ, de quo Gherardus de Fracheto in vitis F.F. Prædicatorum, qui non ob aliam causam purgatorio detentus fuit, quam quod cum novi socci de more darentur, acceptis novis, veteres contra Regulæ statutum, puritatemque religiosæ paupertatis occultaverit, & ut conjecturari licet non malitiosè. Testis sit Durañus ex Abbate Episcopus Tholosanus, de quo Vincent. Belluacen. in Spec. Histor. Libr. 26. Cap. 5: qui purgatorio solvit, quòd sæpiùs verba risum moventia incautè usurpasset. Testis sit puer ille novennis, qui ob non solutos 9. hallenses, quos mutuò acceperat, in maximas purgatorij pœnas incidit. Testis denique non minus à purpurâ quàm doctrinâ & pietate celebris Bellarminus, qui Lib. 1. de amiss. gr. C. 13. ait. Vix inquit,

inquit, ulli justi homines, nisi ex magna misericordia Dei, pœnam purgatorij acerbissimam evadunt, ita ut rectà ex corpore ad Cœlum evolent. Tu ne aliquando eò devoluaris, indeque tardiùs ad Cœlites evoles, fuge omnes etsi levissimas culpas, justitiam pietatemque sectare, ne aliàs ipsa Consolatrix afflictorum annunciet tibi illud ipsum purgatorium, quod duobus è Societ. IESV, qui Anno 1597. in Collegio Romano totius Societatis Seminario è vivis excessêre. Rem sic describit Sebastianus Beretarius. Celsus Finettus magnæ pietatis, purique candoris, & egregiæ expectationis adolescens, cursum & ipse suum consumavit. Sex hic fuit annos in Societate, cùm vicesimum tertium ætatis ageret. Patriâ fuit Senensis, cultui Matris Virginis præcipuè addictus, quam etiam in morte visam, mortem sibi & salutem certò prædixisse narravit: diem quoque purgatoriarum pœnarum in quadriennium finiendam nunciasse: adjecisse insuper B. Matrem, M. Antonium Ridolphinum, adolescentem 22. annorum, non longo intervallo sequuturum, non tamen illi ultra biennium purgatorij carceris finitam diem. Quod cui cuimodi accipiendum sit, ad excutiendam tamen è nostro pectore socordiam, scri-

bendum

bendum visum est, ne quis inani fiduciâ, expeditum sibi fore transitum ex his ærumnis blandiatur, cum duas tanto candore animas, quæ tantâ sinceritate, suæ primitias ætatis, Deo dedicassent, iter ad cœleste gaudium, tanto pœnarum vallo obseptum habuisse audiamus. Non inane autem aut umbratile fuisse visum, multi judicarunt, cum insolitâ ex eo tempore lætitiâ ipsius animus perfrueretur, nec nisi de futurâ vitâ libenter jucundeque sermones vel haberet, vel admitteret. Sed multò magis ejus rei fidem confirmavit, alterius pari probitate pietateque condiscipuli consequuta mors. Huc usque Annuæ literæ. Proh Deum immortalem! si ad quadriennium unus, ad biennium pœnarum alter condemnatus, uterque tamen moribus Angelus, quid ergò cum libertinis? quid cum iracundis? quid fiet cum delicatulis? unde Salvator Lib.6. Rev. Cap.2. postquam dixisset S. Brigittæ de quodam ad purgatorium ituro. Sic in purgatorio amarum habebit anima ejus supplicium, quod nullus mortalis est, qui posset illud cogitare. Tandem concludit inquiens. Quid ergo patientur illi, qui omnem voluntatem suam habent in mundo, & nullis tribulationibus fatigantur.

STIMVLVS TERTIVS.

Considera 3. Ingens illud levamen, quod percipiunt afflictissimæ Purgatorij animæ, si vel horam aut quadrantem de tormentis earum auferas, plus enim abstulisti, quàm si vitæ hujus ærumnis omnibus obnoxium simul universis exemisses. Et quidni? nam Author antiquus (sed non Cyrillus) apud S. Augustinum Epist. 206. tom. 2. scribit, audivisse se à quodam resuscitato per saccum S. Hieronymi. Omnia tormenta hujus vitæ comparata minimæ pœnæ purgatorii sunt solatia: mallet enim quilibet viventium, omnes quæ hinc videntur pœnæ & tormenta, si illas experientiâ nosceret pœnas, usque ad finem mundi, omnibus his simul sine remedio cruciari pœnis, quas omnes homines ab Adam hucusque sigillatim pertulerunt, quàm unâ die in inferno, sive in purgatorio, minori quæ illic habetur pœnâ torqueri. Perpende jam ô Christiane, quo solatio, quo levamine prives desolatas illas Animas, si quas tam facile juvare posses, tamen omittas. Facile esse negas? imò facillimum, nam in Vitis Fratr. Prædic. Par. 5. C. 4. hæc leges. Sacerdos quidam uno sacrificio cum lacrimis &

pietate oblato, additis illi unius diei pijs operibus. 15. annorum purgatorium, quod cuidam Religioso ſtatutum erat, ſuſtulit, qui ei apparens gratias pro liberatione egit. Et Venerabilis Beda. Lib. 5. hiſt. Cap. 13. affirmat; devotæ cuidam perſonæ fuiſſe revelatum, aliquas animas paſſuras fuiſſe usque ad diem judicij, niſi à vivis per ſuffragia fuiſſent adjutę. Perpende etiam quo ſolatio eas afficiat verè Conſolatrix afflictorum Maria, nam refert Petrus Damianus, Lib. 3. Epiſt. ult. Mulierem quandam defunctam Romæ nocte Aſſumptionis cuidam apparuiſſe, & interrogatã quemadmodum haberet, reſpondiſſe. Vsque hodiè non levis me pœna cruciavit, at hodiè Regina Cœli pro nobis preces fudit, meq; cum multis alijs de locis pœnalibus liberavit, totq; indè eripuit, ut numerum totius Romanæ plebis excedant: cumq; de rei veritate dubitaret altera mulier, ſcito inquit, in ſignum veritatis, te hac ipſâ die poſt annum morituram. & ita factum. Narrat quoque Dionyſius Carthuſ. Serm. 2. de Aſſumpt. Quendam ex purgatorio, Amico ſuo comparuiſſe, & affirmaſſe: ſolere B. V: nocte Nativitatis purgatorium ingredi, multasque animas liberare in memoriam partus Virginei: item in Reſurrectione in memo-

memoriam deſcenſus Filij ad inferos. O ſi tu Mariæ nis ſaltem pervigilijs, Feſtisq; diebus, Animabus illis opem feras! piè enim creditur teſte Gerſone ſuper Magnificat, in Aſſumptione Beatiſsimæ V. Purgatorium evacuatum fuiſſe; & piè quidam exiſtimant, Animas è purgatorio à pientiſsimâ Virgine Feſtis ejus ſolennioribus liberari.

Stimulus Quartus.

Conſidera. 4. Commoda & lucra ingentia eorum, qui animas purgatorij ſuis precibus & ſanctis operibus adjuvare nituntur. De S. Gertrude refert Dionyſius Carthuſ. eam inſtante morte vehementer expaviſſe, quod omnibus ſatisfactionibus totius vitæ deſtituta, quas omnes defunctis applicuerat, terribile purgatorium eſſet ſubitura, cui Chriſtus apparens, filia inquit Gertrudis, ut videas quàm mihi placuerit ingens tua in defunctos charitas, in compenſationem condono tibi omnes pœnas quas debes, efficiam denique ut animæ per te liberatæ, tibi morienti aſsiſtant, teque in Cœlum cum triumpho deducant. O commodum! ô lucrum ingens! accedat ſingulare illud Angelici Doctoris

 ctoris

ctoris S. Thomæ Aquinatis, quem Soror ab eo liberata è purgatorio, edocuit de instante ipsi morte. Accedat & illud eximium S. Catharinæ Senensis, à qua Parens ejus, ut habetur in vitâ 3. p. C. 7. è purgatorio carcere liberatus, beneficij memor, non solùm continenter pro filia Deum orabat, sed eam etiam crebrò invisebat, in pietatis officijs instruebat, dæmonum fraudes & insidias patefaciebat, alterius vitæ gaudia & plurima arcana revelabat. Proh quantum perdis, quisquis animabus illis non opitularis! Si enim illæ pro suis benefactoribus orant, ut docent Theologi, dum adhuc in Purgatorio detinentur, quid ergò non agent in Cœlo? imò ne ob negligentiam graviùs aliquando puniaris cave, nam leges in Annalibus Franciscanis. p. 2. Lib. 9. Cap. 22. de quodam Religioso deside in persolvendis ijs, quæ ex Regula pro defunctis debebat, qui post mortem alteri apparens dixit, se acerbissimas pœnas pati, nihilque sibi hactenus profuisse missas & suffragia pro se facta, ob illam suam negligentiam, sed alijs omnia attributa. O pœnam! ò justam de Cœlo vindictam! P. Iacobus Rhem è Soc: IESV, quo haud facilè amantiorem Virginis reperies, frequentibus apparitionibus Animarum purgatorij opem

opem implorantium, celebris ſanè evaſit. P. Ioſephus Anchieta ingentem earum turbam, lugubre ejulantium, fuſis precibus unâ vice liberavit. Tu utroque in genere eos ut ancellas, ipſamque è Cœlis Dei Matrem, ad te in ſolatium proprium evoces, vive memor animarum purgatorij, eaſque quibus potes ſanctis operibus, Miſſæ præſertim Sacrificijs adjuva, nam ut Ferdinandus de Caſtiglio in 1. p. Hiſt. Dominic. Lib. 2. C. 14. ſcribit. Robaldo ejus Ordinis Sacerdoti, Sacrificium Miſſæ pro quodam ejusdem Familiæ defuncto offerenti, Conſolatrix afflictorum MARIA, animam illius defuncti in ulnis geſtans apparuit, dixitque. Vides amicum pro quo Sacrificium offers.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

Conveniunt rebus nomina ſæpè ſuis.

TEſtentur id vel ſumma in terris capita, quorum imperio Conſolatrix afflictorum audit Maria. Hæc ut refert Cartagena. de antiq. Carmelitar. apparuit olim Ioanni XXII. Summo Pontifici, & præcepit, evulgaret Carmelitis qui à

Sancta Maria de monte Carmelo nomen habent, & omnibus cum Scapulari Ordinis ſepulturæ traditis, ac in Purgatorio detentis, ſingulari Virginis beneficio, primo SABBATI die ab ipſorum obitu, integram relaxationem dandam pœnarum purgatorij. O verè Conſolatrix afflictorum MARIA! quæ S. Simoni Stok V. Ordinis Carmelitarum Generali, & Ordini ſibi peculiariter dicato promiſit, quod primâ die Sabbati poſt obitum, animas Fratrum, Sororum, Confratrum, & Conſororum Ordinis Carmelitarum in Purgatorio exiſtentes, ſuâ interceſsione à pœnis ſit liberatura. O Sabbatum per quod introitus patet in æternæ fœlicitatis Dominicum!

CAPUT TRIGESIMVM SEXTVM.

AVXILIVM CHRISTIANORVM.

Te Chri-

Te Christianorum multitudo murum habet firmissimum. Te fideles Reges arma tenent valida. Per te consequuntur trophæa victoriæ. Georg. Nicomediensis Archiep: ad B. V.

STIMVLVS PRIMVS.



Onsidera. I. Inter tot visibilia & invisibilia Christianorum bella, nam militia est vita hominis super terram, teste Iob. C. 7: quid optabilius? quid desiderabilius Mariano auxilio? illa est Christianorum propugnatrix, sic eam appellat Gregor. Magnus. in Epistol. insertâ Synod. Nicænæ. 2. Act. 4. Illa est Christianorum fidei propugnaculum, sic eam vocat Andreas Cretensis. Orat. de dormit. Virgin. Illa murus est stabilis & firmus, nobis ad defensionem & munitionem datus, ut de ea testatur Vgo Charensis. Illa est Christianorum spes, sic eam nominat Damascenus. Orat. de Nat. Mariæ. Illa denique vita est Christianorum, quo titulo eam insignivit Germanus Ser. de Zonâ B. V. dum ait. Si tu inquit, nos deserueris, quidnam de nobis fiet ô Sanctissima Deipara, Spiri-

Spiritus & vita Christianorum? Tu voca eam Debboram Christianorum, ex quâ mille clypei pendent, omnis armatura fortium. Cant. 4. Voca eam terribilem ut Castrorum aciem ordinatam. Cap. 6. Assimilare eam equitatui in curribus Pharaonis, C. 1. Voca eam iterum atque iterum Debboram Christianorumm, Iudic. 4: contra gravissimum hostem Sisaram. Voca eam gloriosissimam Iudith. 13. contra Holofernem. Voca eam pulcherrimam Esther; 7. contra superbissimum Aman. Voca eam fortissimam Salomonis mulierem contra omnes Virorum assultus. Dic de ea quod de Iudith dictum. 14. Vna mulier Hebræa fecit confusionem in Domo Regis Nabuchodonosor. Dic de ea. Dominus omnipotens tradidit eum in manus fœminæ, & confodit eum. Cap. 16. Dic ipsi. Benedixit te Dominus in virtute suâ, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros. Cap. 13. Dic denique Mariam esse velut alteram illam Moysis sororem, quæ transito mari rubro, demersoque in eo Pharaone, sumpsit tympanum. Exod. 15. in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat dicens. Cantemus Domino gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem

ejus

ejus dejecit in mare. O tibi morienti sic olim præcineret Maria! ut præcinat, egredere post illam, eique prius occine dulce illud Angelicum melos. Ave, &c. nam cuidam sensibus alienato, & in angustijs in quibus tunc versabatur, Virginis opem imploranti, nequaquam sub principio succurrere volebat Maria, acriter de ipso conquesta, quod salutationem Angelicam, ne unâ quidem vice sibi repręsentasset. Histor. Ord. Cisterc.

Stimulus Secundus.

Considera. 2. Magis in particulari præstantiam atque efficaciam Mariani auxilij, quod in visibilibus, cruentisque Christianorum bellis, clientibus suis afferre valet Maria. Et quidni afferat Bellatrix egregia? sic eam nominat Bernardus in Deprecatione ad Virginem. Tomo. 2. Quidni afferat summis etiam Angelis robustior? sic eam compellat Carthusianus Libr. 3. de Laud. Virg. art. 11. Quidni afferat Generalissima belli Catholici Bellona? sic eam vocat Ferdinandus II. Cæsar pientissimus. Quidni denique afferat illa, quæ à victorijs adeò celebris, meritò vocari potest S. Maria de Vi-

ctoria? Et nonne celebris à victoriâ illâ quam teste Theophane Anastasio & Cedreno, atque ex ijs Baronio, Heraclius Imperator obtinuit? qui Regem Persarum ope magnæ Virginis devicit, qua factum est, ut grando miræ magnitudinis Persas contriverit. Nonne celebris à victoriâ illâ quam Ioannes Zemisca Imp. Græcorum retulit? qui Bulgaros, Rossos &c. ejusdem Virginis ope superavit, quæ adeò clemens & benigna, S. Theodorum Martyrem submisit, qui visus est equo albo insidens in prima acie pro Romanis pugnare, & hostium vires infringere. Nonne celebris à victoriâ, quam ejusdem ope habuit Pelagius Princeps? qui cum paucis Gothos debellavit, tela enim hostium vi divinâ in ipsosmet retorta, ita ut Alchaman eorum Dux cum 20. millibus turpiter cæsus sit. Nonne celebris à victoriâ illâ de quâ Hieronymus Blanca in Cõmentario rerum Aragonensium ad annum. 1134? Mauris Cæsaraugustam Vrbem noctu clam invadere contendentibus, B. Virginem Cœlesti Angelorum agmine coacervato ipsis infidelibus restitisse, ac ne Vrbis sibi carissimæ potirentur, illius se præbuisse propugnatricem ac murum. O fœlices eos belli Duces, qui ad hoc Auxilium Christianorum accurrunt! nam ut
ait

ait Angelicus Thomas, opuſcul. 8. in omni periculo potes obtinere ſalutem ab ipsâ Virgine gloriosâ. O ter, quaterque beatos! qui non prius ſe pugnæ cõmittunt, quam hujus Bellonæ ſuccurſum implorent. Habent quem imitentur Ferdinandum II. piæ memoriæ Auguſtiſsimum Cæſarem, qui Mariam vexillis bellicis inſcripſit. Habent quem imitentur Andronicum juniorem, qui ad bellum proceſſurus, DEVM Deique Matrem pro felici ſucceſſu precabatur. Habent quem imitentur Stephanum Hungarorum Regem, qui ut refert Anton. Bonfin. Lib. 1. de rebus Hungar. Dec. 2. iturus contra hoſtes, ſupplex Mariam implorabat, dicens. Si placet tibi ô Domina mundi, tuę partem hęreditatis ab inimicis devaſtari, & novellam Chriſtianiſmi plantationem diſsipari, ne quæſo ſinas illud imputari diffidentiæ meæ, ſed potius diſpoſitioni volũtatis tuæ. Si quid commiſit culpa paſtoris, ipſe luat, oves quæſo inſontes ne patiaris affligi. Putas ad has, ſimilesque voces obſurdeſceret Auxilium Chriſtianorum Maria? putas clientes ſuos non exauditurام? putas nullam ei de bellis curam? certè de Narſete magno Virginis Sanctiſsimæ cliente ac cultore refertur. Eum ſub Iuſtiniano Imper. cujus exercituum

ipſe Dux fuerat, ope Beatiſsimæ Virginis, miras & crebras contra Totilam & Gothos obtinuiſſe victorias, & quod obſtupeſcas, ipſa univerſi Regina ei apparere ſolebat, & quando prælium ineundum eſſet præcipere, quarè ipſe in aciem non deſcendebat niſi ab ea tempus opportunum didiciſſet. O Duces! ô milites! ſi ad palmas & triumphos aſpiratis, ſi ad lauros & victorias anhelatis, eja agite, & prius obſequijs Mariam vobis devincite, tum demum vexilla pandite, ad arma conclamate, haſtas vibrate, ſed haſtas à Mariæ nomine, ſacriſque pignoribus relucentes. Cum Dux Normanorum Vrbem Carnotenſium obſediſſet, Epiſcopus Vrbis illius tunicam Sanctiſsimæ Virginis Mariæ, quæ ibidem aſſervabatur, more vexilli haſtæ impoſuit, & ſubſequente populo ſecurus ad hoſtes exijt, moxque omnis hoſtilis exercitus cœcitate percuſſus eſt & amentiâ, ſtabatque totus corpore trepidus, animoque ſtupefactus. O victoriam! Duce Alphonſo VIII. Caſtell. Rege. Anno 1212. 16. Iulij, ducenta millia Maurorum in pugnâ cæſa perhibentur, cum è Chriſtianis nonniſi 25. aut 30. occubuiſſent. O triumphos! ô cladem turpiſsimam! ubi memorabile illud. Mauri visâ Beatiſsimæ Virginis effigie in vexillo expreſ-

expreſsâ, exterriti in fugam ſe convertiſſe narrantur.

Stimvlvs Tertivs.

Conſidera. 3. Victorias & triumphos, quos in occultis atque inviſibilibus prælijs ſperare poſsint Chriſtiani, ubi Auxiliatrix comparuerit illa, quæ accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roboravit brachium ſuum, Proverb. 31. Vbi advenerit fœmina illa fortis, ad bellum doctiſsima, ſic Mariam appellat Bernardus. Vbi vel tranſierit Bellatrix illa ſumma, quam Damaſcenus, Orat. 1. de dorm. alloquens, ait. Tuum, inquit, in Cœlum aſcenſum, impuri atque in aëre verſantes ſpiritus perhorruerunt, tuo tranſitu aër benedicitur, ſuperior æther ſanctitate afficitur. Vbi denique vel conſpecta fuerit illa, de qua S. Bernardinus, Serm. art. 3. Cap. 2. Sicut magnus ignis effugat muſcas, ſic ab ardentiſſima Virginis mente, & inflammatiſsima charitate effugabantur dæmones, & pellebantur in tantum, quod ſolum in modico non erant auſi reſpicere mētem ejus, nec de magno ſpatio illi propinquare. O quàm glorioſè de acerrimo humani generis hoſte triumphavit Maria! Contrivit potentiam, inquit

 Fulber-

Fulbertus Episcopus Carnotensis, Sathanæ, per Filium quem genuit, spoliando illum Dominio suo. O quoties in nostram salutem vicit illa dæmonem! ut meritò ei dicere possimus cum S. Bernardino, Tom. 2. serm. 51. art. 3. C. 4. Tu perdito Mundo aditum recuperas, & principem tenebrarum evertisti. Evertit sanè, nam teste Bernardo, Sermone signum magnum. Vnicus inquit ille, stultus (loquitur de dæmone) totius stultitiæ princeps, qui verè mutatus ut Luna, sapientiam perdidit in decore suo, sub Mariæ pedibus conculcatus & contritus, miseram patitur servitutem. Hæc Bernardus. Ah Christiane! quidni speres dum spiras? quidni audacter tibi promittas victorias & triumphos, ubi succurrerit Auxilium Christianorum Maria? Crede vel Cæsario, Lib. 2. Exemp. Cap. 12. narranti. Cum miles quidam Christo abrenunciato, homagium diabolo præstitisset, Mariæ autem licet dæmone svadente abrenunciare nollet, quin imò dum rediret, & in viâ ad Ecclesiam divertisset, ibiq; ad Deiparæ imaginem filium in sinu gestantis prostratus, admissi sceleris veniam à filio impetraret rogasset, res mira! ipso audiente, inquit ad Filium Maria. O dulcissime Fili miserere huic homini. Sed proh dolor!

Filius à Matre faciem avertens tacet: inſtat illa. Sed heu! Matri dorſum vertit IESVLVS. O ſpectaculum funeſtum! ecquid tandem agat Maria? audi ſtratagema: ſurgit imago, puerum ſuper altare ponit, ejusque pedibus proſtrata perorat. Rogo, inquit. Fili, ut propter me dimittas ei hoc peccatum: mox infans Matrem elevans ait. Mater nunquam tibi aliquid negare potui, ecce propter te totum dimitto. O victoriam celeberrimam! ô victoriam Mundo univerſo publicandam! Et quidni ergò de dæmone triumphent Chriſtiani, ſi auxilietur illa, quæ de Deo ipſo triumphat?

STIMVLVS QVARTVS.

Conſidera: 4. Gratitudinem eorum, qui auxilio magnæ Matris olim triumphaſſent. Annon gratus Ioannes Zemiſces Conſtantinopolitanus Imperator, qui cum ope Virginis hoſtes domuiſſet, ejus ſtatuam ſuo loco, in curru triumphali collocavit, ipſeque albo equo inſidens, triumphantem in Vrbem ut cliens ſubſecutus eſt. Annon gratus Ioannes Commenus imperator, de quo ex Niceta Chroniata, Ioannes Gans in ſua Quinquatria.

Diſcur-

Discursu 1. de Concept. sic habet. Amplius fecit post hunc alius Imperator Ioañes Commenus, cum & ipse ingentem ac mirabilem contra Scythas victoriam Deiparæ auxilio retulisset, currum enim ex argento, auro, ac gemmis fieri curavit, quatuorque huic nive candidiores equos junxit, qui Virginis imaginem in curru positam veherent: ipse pedes, crucem manu gestans, præibat currum lætabundus: equos primarij Viri & Amici regebant, atque ita triumphabundam Imperij Collegam Mariam in Vrbem introduxit. Hæc ipse. Nota est celebris illa victoria Ioannis Austriaci, quam ille in mari Corinthiaco, Anno 1571. à Turcis retulit ope Magnæ Virginis, undè ejus memoriam quotannis recolunt fideles, vocantque Festum S. Mariæ de Victoria, quod sub initium Octobris celebrant. O gratitudinem dignam quam imitentur Christiani! dignam quam tu imiteris Anima mea, quæ tot insignes victorias hucusque retulisti de carne, mundo, dæmone, auxiliante tecumque bellante Mariâ. Ah quidni Victrici applaudas, sæpiusque acclames. Io triumphe! Io triumphe! Quod si Octavianum triumphantem, corvus quatuor hisce verbis adsalutavit. Ave, Cæsar, Victor, Imperator. Tu vel corvum imita-

imitare, & Mariam Victricem totiesq́; ex te triumphantem, quatuor quoq́; verbis adſaluta dicendo. Ave Maria gratia plena. Certè S. Mechtildis cogitans aliquando, quodnam Virgini gratiſsimum offerre poſſet obſequium, vidit ipſam Virginem geſtantem in pectore aureis exaratam litetteris Angelicam ſalutationem, dicente Virgine. Supra hanc ſalutationem nunquam homo pervenit, nec aliquis me dulciùs ſalutare poterit. Kal. Marian. 26. Febr. Proh ingratum Chriſtianum! qui ad hoc Auxilium Chriſtianorum non accurrit occinens. Ave Maria gratia plena. &c.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

PErpende quàm gratioſo ſtratagemate, hoc AVXILIVM CHRISTIANORVM ſibi propitium reddere, conati fuerint olim Fideles. In Concilio Claremontano ſub Vrbano II. ſtatutum fuit, SABBATIS Officium Deiparæ, & Miſſa de eadem ſolenniter celebraretur, quod tunc factum ad patrocinium potentiſsimæ hujus Bellonæ implorandum, pro expeditione ad Terram Sanctam recuperandam, quæ expeditio in eo Concilio decreta

fuerat. Et quanquam longè etiam antè Sabbata cultui Mariano consecrata fuissent, novis tamen obsequijs demulcendum, devinciendumque erat Auxilium Christianorum, in quorum potestatem redijsse Hierosolymas ope Mariæ, testatur post alios Spinellus, Mirac. n. 51.

CAPUT TRIGESIMVM SEPTIMUM.

REGINA ANGELORVM.

Quid dicam de te ô Virgo Maria. Si cœlum te vocito, altior es. Si Matrem gentium te dicam, præcellis. Si Dominam Angelorum te vocem, per omnia comprobraris. S. Augustinus in Sermone.

STIMVLVS PRIMVS.



Onsidera I. Nobilissimas illas substantias in Cœlo Empyreo creatas, quas Angelos nuncupamus, quàm illustres eæ sint, quàm decoræ, quàm singulæ

singulæ à singulis specie differentes, quàm omnis compositionis expertes, denique quantâ gratiâ prææditæ. Maximus Angelorum tantum habet de gratiâ, ut asserat Suarez. tom. 2. in 3. part. disp. 18. sec.4. nullum Sanctorum hominum pervenisse, nedum excesisse illum in gratię intensione, solis Christo & Virgine exceptis. Horum omnium Reginam si inquiris, est MARIA. Vos Angelis superiorem ait Damascenus Orat. 1. de Nativ. alloquens Ioachim & Annam, nunc autem Angelis dominantem filiam extulistis. S. Bernardinus Senensis tom. 3. Serm. 3. de nomine Virg. C. 3. affirmat, eam Angelis dominari, respectu quorum inquit, est electa ut Sol ad irradiandam totam multitudinem Spirituum Beatorum. Sed audi Angelum in Revelationibus S. Brigittæ. C. 20. Ipsius inquit animam, quando fuit à corpore separata, statim super omnes Cœlos ipse Deus mirificè sublimavit, eique imperium super universum Mundum donavit, & Angelorum Dominam æternaliter illam constituit. ita ipse. Tu verò exclama: ô Reginam potentissimam! ô Dominam Angelorum! Dic ei cum S. Iacobo in Liturgia. Dignum est, inquit, ut te verè beatam dicamus Deiparam honorabiliorem quàm Cheru-

bim, & gloriosiorem quàm Seraphim. Dic de ea cum S. Ephrem. Oratione de Laudib. Virg. Intemerata ait, Deipara Regina omnium, sublimior Cœlicolis, honoratior Cherubim, sanctior Seraphim, & nulla comparatione cæteris omnibus superis exercitibus gloriosior. Dic quod de ipsâ dixit Anselmus de excell. Virg. Cap. 4. Tota, inquit, Christianitas novit, quæ illam super omnes Cœlos, exaltatam, & Angelicis choris prælatam certissimè credit. Dic cum Bernardo, Sermone Signum magnum. Hanc ait, super omnes Angelorum Choros, super Cherubim quoque, ac Seraphim exaltatam nefas est dubitare. Dic denique cum Ecclesia. Exaltata est Sancta Dei Genitrix super choros Angelorum ad cœlestia Regna: cujus rationem bonam afferes, si ex S. Bernardino tom. 3. ser. 3. de glor. Nom. Virg. art. 2. Cap. 1: dicas. Ratio naturalis ex gratuitâ lege dictat, quod Mater Regis omnium est in sede regia super omnes ministrorũ Ordines collocanda. Verùm quid documenti hinc erues Anima fidelis? Disce primò imitari Mariam in eâ virtute, ob quam adeò illa exaltata fuit, nam Christus Salvator Lib. 1. Revel. Cap. 51. revelavit S. Brigittæ, inter causas ob quas B. V. super om-

nes Angelorum choros exaltata fuit in Cœlis, fuiſſe
mititatem ipſius. Diſce ſecundò diligenter rumina-
re ea quæ ad Virginis dignitatem faciunt, advertit
enim S. Bernardinus Senenſ. tom. 3. Serm. 11. art.
2. Cap. 1. Angelos ab ipſo exordio creationis &
glorificationis eorum prævidiſſe, eam futuram Ma-
trem Dei, & per conſequens ſuper omnem ratio-
nalem creaturam in Cœleſti gloriâ exaltandam. Di-
ſce tertiò non invidere, ſed gaudere de proſperis
aliorum ſucceſsibus. Gaudent, inquit S. Bernardi-
nus Senenſ. tom. 3. Serm. 11. art. 2. Cap. 3. & læ-
tantur Angeli, cum B. Virgo animâ & corpore in-
greditur Empyreum Cœlum, quia vident Reginam
Cœli hodiè primò in Curia Paradiſi, jam enim ma-
jori fœdere conjunguntur hominibus, quia etſi vi-
diſſent hominē DEVM in aſcenſione ſublimatum,
nunquam tamen hominem purum omni alteri cre-
aturæ præpoſitum. ita S. Bernardinus. Angelus
verò S. Brigittæ indicavit. Cœleſtes omnes Hier-
archias ſimulatq; thronum ſublimiſsimum, & Di-
vino Solio viciniſsimum à Deo Mariæ præparatum
intuiti ſunt, ſummopere admiratas, ita in amorem
ejus & reverentiam exarſiſſe, ut Seraphini vehemē-
tiùs ipſam amârint quàm ſe ipſos, tamq; ſincero af-

fectu, ut magis exultaverint ob singulares gratias ac prærogativas, quibus illam Numen ditaturum erat, quàm si ipsimet illas accepissent, plusque gaudij senserint ex eo, quod Deus Virginem creaturus erat, quàm quòd se jam creasset. Subjicit Angelus C. 4. pag. 538. sub fin. Verè DEVS cum Angelis, & Angeli cum Deo de te ô Virgo creaturarum omnium dignissima, antequam creareris, intimè congaudebant. O sic tu gauderes Anima mea! O publicares ubique illud quod jam pridem dixit Epiphanius. Orat. de Laud. Virg. nimirum. Mariam sublimiorem Angelis esse factam, & solo Deo excepto, cunctis superiorem existere.

STIMVLVS SECVNDVS.

Considera. 2. Quâ reverentiâ, quâ modestiâ & compositione, Serenissimæ huic Reginæ assistant Angeli: priùs tamen adverte; septem numerari Angelorum Principes, quorum in suâ Apoc. Cap. 4: meminit S. Ioan. Et septem inquit lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem Spiritus Dei. & de ijsdem, C. 1. dixerat. A septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt; inter quos;

quos, & reliquam Angelorum multitudinem, ex eodem Evangelistâ collige discrimen, quod illi solùm ante Dei thronum, hi verò in circuitu Divini throni, Seniorum & quatuor animalium esse perhibentur. Cap. 5. Et vidi & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium & Seniorum, &c. Et Cap. 7. Angeli stabant in circuitu throni, & Seniorum, &c. Adverte etiam quod septem hi Angelorum Principes, sicuti dignitate præstant cæteris Angelis, ita pariter Sanctissimis hominibus nequaquam sint inferiores, utpotè qui post Deum & Virginem sibi agnoscunt superiorem neminem. Hinc B. Amadeus, de cujus sanctitate, 3. parte Chronic. S. Francisci, Lib. 6. Cap. 30: in suis revelationibus, in primo raptu, cum Cœlestem Curiam vidisset, audivit vocem. Septem Angeli sumus, qui Genitricem Dei nostri veneramur, alios omnes vestri generis præcedimus: loquebatur de septem Angelis qui throno Dei astant, ut ex ijs quæ ibi subjiciuntur videre est. Quibus omnibus præmissis, perpende jam Anima fidelis, quâ reverentiá, quâ pietate non assistant throno Reginæ suæ, Sanctissimi Angeli? quâ voluptate eam non intueantur Divini illi Spiritus? Tu, inquit Andreas Cretens.

tenſ. Orat. 2. de dorm. Deiparæ cum eadem loquens, es res magna venerandæ œconomiæ, quam cupiunt inſpicere Angeli. Fœlices Angeli ait Petrus Damian. Serm. 1. de Nat. Virg: qui Beatæ Virginis habent præſentiam, nos interim memoriam abundantiæ ſvavitatis ejus eructamus, illi præſentiam, nos memoriam, ſi ſic dulcis eſt memoria, quid eſt præſentia? illi Genitum, & Genitricem contuentur, nos memoriâ paſcimur: interim conſolemur nos ſvavitate memoriæ, donec dulcedine præſentiæ ſatiemur. Sic ille. Sed audi Franciſcum Mayro quid ipſe de hac Angelorum aſsiſtentiâ ſenſerit aliquando, qui dum decem proprietates, ſeu ut ille vocat privilegia, quæ habet ſtella maris, piè & doctè Mariæ applicaret, ubi alia privilegia expoſuiſſet: decimum, inquit, privilegium hujus ſtellæ maris eſt, quia habet ſeptiformitatem in ambitu, quia ſeptem ſtellæ notabiles volvuntur circa eam, ideò ejus Regio dicitur Septentrionalis, ita & Mater Domini dicitur habere ſeptem Angelos notabiles, qui aſsiſtunt ejus throno. Hæc Mayro. Et proſequitur: à ſeptem ſpiritibus qui in conſpectu ejus ſunt, & per conſequens in conſpectu throni Matris, quæ ſedet à dextris ejus Ita hic nobilis Scoti Auditor,

tor, in Sermone de creatione animæ B. V. Cui fa-
vere videntur nonnullæ imagines, uti Venetijs, ubi
sedentem in throno Virginem, septem hi Angeli
circumstant. Idem quoque in celebri & antiquâ
imagine Deiparæ in monte Virginis cernitur, quæ
septem Angelos sub throno habet. Idem etiam in
imagine S. Mariæ Angelorum Romæ, in thermis
Diocletianis, quæ in summo Altari piè colitur. Ah
quid agitis vanissimi dignitatum sectatores? cur
tam inutiliter? cur tam laboriosè? cur tot jam an-
nis Principum Aulas gratis & incassum teritis? cur
Salomoni non creditis? Vanitas vanitatum & omnia
vanitas: eheu! cur potius Angelis adscribi non sa-
tagitis? ut cum illis in Regiâ Cœli vivatis fœlices,
æternùmque læti, assistentes throno illi, in quo con-
sidentem liceat intueri Reginam Angelorum, de
quâ Cæsarius Lib. 7. Exemp. Cap. 1. ait. Sicut in
creaturis universis Matre Creatoris nîl est sanctiùs,
nîl digniùs, nîl præcellentiùs, ita ejus visione nulla
Sanctorum visio dignior, nulla jucundior, nulla e-
minentior. Sic ille.

STIMVLVS TERTIVS.

Considera. 3. Obsequia fidelissima Sancto-

rum Angelorum erga hanc ipsorum Reginam, quæ S. Gertrudi aperuit. Insin. Divinæ piet. Lib. 4. C. 93. pag. 676. & seq. Angelos cùm Annæ Matris sanctissimo utero etiam tum clauderetur, adeò in sui obsequio alacres sedulosque fuisse, ut novem istis mensibus, aërem, & quidquid ad Virginis inibi alimentum ac sustentationem ullo modo pertinebat, purgarent, perficerentque, maximi æstimando vel in re minima, corpusculum ejus spectante, ei se gratificari posse: atque ut honorem hunc, summamque voluptatem participarent omnes, per vices hæc ei obsequia detulisse. In Angelum custodem habuit Gabrielem, qui inter omnes Angelos secundùm Michaëlem principem obtinet locum: imò S. Bernardinus Senensis, tom. 2. Conc. 51. art. 3. C. 2. Piè, ait, credo, quod plurimas legiones habuit Angelorum ad custodiam suam. Teste Georg. Nicomed. Orat. de Oblat. Virg. per Angelum in canistro materiali ei cibus deferebatur. Pulchrè S. Augustinus. Michaël inquit, Dux & Princeps militiæ Cœlestis, cum omnibus spiritibus administratorijs, tuis Virgo paret præceptis, in defendendis in corpore, & in suscipiendis de corpore animabus fidelium specialiter tibi Domina, & die ac nocte se tibi
commen-

commendantium. Pulchrè S. Bernardinus Senens. ubi dixisset ex sententia Hugonis, maximum esse Angelorum numerum, subdit. Omnes Angelici Spiritus sunt hujus gloriosæ Virginis ministri. Pulchrè S. Bonavent. in Cantico. Tibi, inquit, omnes Angeli & Archangeli, tibi Throni & Principatus fideliter deserviunt, tibi omnes Potestates & omnes Virtutes Cœli Cœlorum, & universæ Dominationes obediunt. De obedientia Angelorum ergà hanc supremam Reginam, lege apud S. Brigittam in Revelationibus in Serm. Angel. Cap. 20. Angeli inquit, ita obedientes Virgini effecti sunt, quod omnes inferni pœnas libentiùs sustinerent, quàm aliquibus suis præceptis in aliquo contradicerent. Hęc ibi. De adoratione Angelorum audi Epiphanium. Conspicio, inquit, Virginē ab Angelis adorari. Audi Suarium tom. 2. in 3. part. disp. 22. sect. 1. qui ex eo quod Virgo Sanctissima futura erat perpetuò Domina, & Angelorum Regina, infert, fuisse in Verbo clarè cognitam ab Angelis, ab initio eorum beatitudinis. Quoniam, ait, ad eorum statum pertinebat, quæ enim ad statum alicujus Beati pertinent, ab eo in Verbo videri docent Theologi, & ideò jam tunc ab eis adoratam, ut Dei Matrem & omnium

Dominam. Sentit igitur Suarez ab Angelis adoratam fuisse cum primùm ab illis est cognita ut Dei Mater, ac proindè adoratione digna. De laudibus quas suæ Reginæ concinunt Angeli, gratiosè S. Athanas. Sermone de B. V. Beatam, ait, te prædicant omnes Angelorum Hierarchiæ. Et S. Bonav. in Cantico. Tibi, inquit, omnis Angelica creatura incessabili voce proclamat. Sancta, Sancta, Sancta Maria Dei Genitrix Mater & Virgo. Quarè Ephræm. Sermone de Laud. Virg. sic eam adsalutat. Ave, inquit, Canticum Cherubim, & Seraphim, & hymnodia Angelorum, &c. Eja Sodalis Mariane, huc huc ocyùs accurre, hîc Angelicas voces melodijs omnibus suaviores, attentâ aure excipe. Egredimini filiæ Sion (ita in Missâ Conceptionis B. V. quâ ex privilegio Summi Pontificis Fratres Minores utuntur, in Introitu leges) & videte Reginam vestram, quam laudant astra matutina. Tu si per astra matutina Angelos intelligas, cave ne si Marianis in laudibus negligentior existas, tibi morienti improperet Maria illud Iobi. 38. Vbi eras cum me laudarent astra matutina?

STIMVLVS QVARTVS.

Consi-

Conſidera. 4. Glorioſiſsima Sanctorum Angelorum miniſteria ſive officia, & perpende, quàm in ijs emicuerit Beatiſsima illorum Regina Maria. Intuere SERAPHIM, ardentes & charitate incenſos, aſt majori æſtuabat ipſa, ut jure ei aptetur illud, Cant. 5. Dicite dilecto meo quia amore langueo: imò nullo dolore correptam, nullo morbo tentatam, ſed vi amoris mortuam graviſsimi aſtruunt Patres. Contemplare CHERVBIM, qui plenitudinem ſcientiæ ſonant, at nonne ſcientiſsima Maria, quæ continuit eum, in quo teſte Paulo ad Coloſſ. 2: ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Recogita Thronos, qui ſedes Dei dicuntur, ſed quæ amabo honoratior ſedes Mariâ? quam Bonav. in Spec. Cap. 5. Sedem Dei altiſsimam vocat; unicam Sedem Domini Rupertus Lib. 5. in Cant. Sedem glorioſam, Deoq; dignam Methodius Orat. in Hypap. Inſpice DOMIMATIONES qui de agendis præcipiunt, atquid efficacius Mariano præcepto? Siquidem B. Gertrudis Libr. 4. Revelat. Cap. 49. agens de Angelis, quos videbat coram Deipara eos qui ad Feſtum Aſſumptionis ſe paraverant adducere, eoſque ab inſidijs malignorum Spirituum defendere: ad imperium inquit Dei

Genitricis multitudo Angelorum undiq; defendendo protegit omnes gloriosam Virginem invocantes. Miraris fortè VIRTVTES quæ quintum Angelorum Ordinem constituunt, atque stupenda supra naturam miracula operantur, & non miraberis Mariam? quam omnium miraculorum quæ quomodocunque facta sunt aut fiunt, effectricem esse asserit Andreas Cretens. Orat. 2. de Assump. Miraris POTESTATES, quæ heroicè sanè dæmones coërcent, & non miraberis Mariam? cujus vel nomine audito, ut ex revelatione ejusdem Virginis habetur apud S. Brigittam. L. 1. Revel. Cap. 9: statim animam, quę eorum unguibus astricta tenebatur, relinquunt. Miraris PRINCIPATVS qui Provincijs & Regnis præficiuntur, sed magis mirare Mariam, quæ non Orbi duntaxat sublunari, sed & cœlesti gloriosissimè præest, adeò ut dicat S. Bernardin. Senens. Meritò habent de illâ omnes cœlestes Spiritus confiteri & dicere illud, 4. Reg. 10. Servi tui sumus, quæcumque jusseris faciemus. Miraris denique sive Archangelos qui Civitatibus præsunt, sive Angelos quorum munus est homines custodire, sic tamen ut singuli Angeli singulos homines custodiant, ah mirari desine, Maria custodit ut rectè

asserit S. Antoninus universaliter singulos,& singulariter universos. Maria teste Bernardo. Omnibus omnia facta est. Mariam Mundi salutem appellat S. Ephræm. Orat. de Laud. Virg. Te universus Mundus,ait Andreas Cretens. Orat. de Dorm. Virg: continet commune propitiatorium. O Sodalis Mariane! disce ex dictis hucusque,& Angelos & Angelorum Reginam imitari. Angelos, à quibus sæpissimè augustum Summæ Reginæ nomen pulcherrimis characteribus, aureis, argenteis versicoloribus exaratum fuisse constat. Angelos, de quibus olim ad B. Brigidam Lib. 5. Revel: eadem Cœli Regina, eos quotiescunque nomen Mariæ invocari audiunt, gaudere. Angelos, juxta illud Damasc. Orat. 1. de Nativ. O Sanctissima filia, quæ materni uberis lacte aleris, & ab Angelis undique cingeris. Disce exemplo Mariæ, neminem spernere. Intelligentia Angelica (verba sunt Bonav. Spec. B. V. C. 3.) est famula, super quam Maria innititur in Cœlo se Angelis sociando. Disce exemplo Mariæ omnibus prodesse, nam Petrus Damianus. Serm. 3. de Nat. Marię affirmat,per hanc Beatissimam Virginem non solùm amissa olim vita hominibus redditur, sed etiam beatitudo Angelicæ sublimitatis augetur. Di-

ſce exemplo Mariæ cunctis veluti matrem te exhibere: pulchrè S. Antoninus. C. 14. explicat, quomodo B. V. Mater dicatur non ſolum hominum ſed & Angelorum. Quoniam inquit, quidquid eſt cauſa cauſæ, cauſa etiam cenſetur cauſati. Sed Angeli illuminationem, perfectionem, & beatificationem recipiunt à IESV, per quem omnia reſtaurantur in Cœlo & in terra. Ergò Maria quæ Mater eſt IESV, cauſa eſt aliquomodo gloriæ Angelorum, ut apertè dicatur Mater eorum. Hæc ipſe. Diſce denique, & toti mundo prædica, quod epiſtola illa continebat, de quâ Petrus Biverus è Soc. Ieſu, Lib. Privil. B. V. Diſſert. 3. n. 63. Hæc è Cœlo delapſa in Vrbem Hieroſolymæ cum ſequenti inſcriptione. Nunc ſcitote quod ſalvati eſtis per orationes Sanctiſsimæ Genitricis meæ Mariæ, & ſanctorum Angelorum meorum abundanter, qui orant pro vobis quotidiè.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

ITe Angeli veloces ad gentem convulſam & dilaceratam. (Iſaiæ 18.) Ite ad populum terribilem, poſt quem non eſt alius. Ite ad gen-

tem expectantem, & conculcatam. Ite ad montes & valles &c. ubiq; Mariam prædicaturi. Ah quid- ni Reginam suam ubique deprædicent Angeli? Ah quidni obsequiosi eam consalutent vel svavi illâ me- lodiâ SALVE REGINA? Fama est, inquit Navar- rus in manuali de Oratione, Cap. 19. Orationem Salve Regina in nostra Roncana valle Sabbatis so- litam ab Angelis cantari apud quendam fontem. O dulcem echonem! Heus Christiane! Angelis te ad- junge, Sabbatis maximè gratiosam illam antipho- nam occine, sed ad fontem, hoc est iconem, vel in Templo quopiam Mariæ, quam fontem appellat S. Bernardin. tom. 1. Conc. 61. ut spiritualiter in te ipso confirmes tritum illud. Cantores amant hu- mores.

CAPUT TRIGESIMVM OCTAVUM.

REGINA PATRIARCHA- RVM.

Germinat Virgo Jesse de tortuosa generis humani radice, & de Patriarcharum arbore in altitudinem & rectitudinem erumpens, omnem ignorat nodositatem, filiorum tenebras nescit.

Petrus Damian. Sermone de Annunciatione.

STIMVLVS PRIMVS.



Onsidera. I. Quo gaudio, quâ lætitiâ perfusi non fuerint Sancti Patriarchæ ex hac illorum Reginâ. Et quidni gaudeant de illâ? quam alloquens Damasc. Orat. 1. de dorm. Tu inquit, es Patriarchis sempiterna oblectatio. Quidni lætentur de eâ? quam S. Ephræm. Orat. ad Virginem: vocat lætitiam Patriarcharum. Quidni jucundentur in eâ? quam Andreas Cretens. Orat. de Annunciatione, Patriarcharum omnium ornamentum appellat. Quidni deniq; in delicijs habeant illam? de cujus prosapiâ loquens Honorius ait. Ex benedicto Patriarcharum semine hæc inclyta virtutis Dei virga processit, quæ singularissimum florem meruit germinare. ita Honorius. Intuere si libet Sanctum Patriarcham Abrahamum, de quo Sancta Brigitta

gitta in Revelationibus ſuis, in ſermone Angel habet. Abraham mirum in modum de hac ſuâ Filiâ naſciturâ magis quàm de Iſaac exultâſſe, eamq́ue maximâ charitate proſequutum, ſimiliter Iſaac, Iacob. Hæc ibi. Intuere Patriarcharum omnium Parentem Adam, de quo ibidem. Adam magnam concepiſſe lętitiã ex revelatione, quâ Virginẽ Deiparam ex ſuo ſemine naſcituram cognovit, quæ ſuâ reſponſione ad Angelum, & ſummâ ſuâ humilitate, ac obedientiâ reparatura erat, quidquid Eva ſuperbiâ, & inobedientiâ perdiderat. Hæc ibi. Ah quid agis Anima Chriſtiana? cur Sanctos Patriarchas non æmularis? Angelus de Abrahamo apud S. Brigittam Cap. 8. pag. 541. ait. Præſcius Abraham hanc Virginem quæ Deum pareret, de generatione ſuâ debere procedere, plus de ipſa ſola conſolatus eſt, quàm de omnibus Filijs & filiabus ſuæ ſtirpis; tu verò (proh dolor!) vice verſâ, plus de limo, terræq́ue pugillo lætaris, quàm de Cœli terræq́ue Reginâ Mariâ! DEVS Virginem tanquam bonum quoddam infinitum, Angelos, ac Patriarchas antiquos celare, occultamq́ue habere nequivit, quò ſolâ ſe expectatione illius erigerent, animumq́; paſcerent ac oblectarent, tu autem, ô nefas! ô pudor! laſci-

vâ quapiam formâ mavìs delectari quàm Mariâ! Proh si sapis, à turpi larvâ, ne terreat in morte, ocyùs oculos averte, juxta illud, Psal. Averte oculos meos ne videant vanitatem, eosque oblectare in REGINA PATRIARCHARVM, ad quam Idiota C.4. Inter omnia opera æterni opificis, post operationem illam, quâ naturæ nostræ unitus est Filius tuus, speciale opus fuisti ô Beatissima Virgo Maria, qui ad hoc te fecit, ut quod de primo opificio fuerat deformatum, per te reformaretur.

STIMVLVS SECVNDVS.

Considera. 2. Quo honore & reverentiâ hanc suam Reginam prosequantur in Cœlis Sancti Patriarchæ: si enim 24. illi Seniores circumamicti vestibus albis, & coronis aureis insignes, quorum in suâ Apocal. Cap. 4. meminit Divinus Ioannes, mittebant coronas suas ante thronum, ah quidni ante Thronum gloriosum, sic Mariam appellat Georg. Nicomed. Orat. de Oblat. Deip: ante Thronum excelsum, sic eam vocat Andreas Cretens. Orat. 2. de dorm. Virg: ante Thronum Divinitatis, sic eam nominat Epiphan. Serm. de Laud.

Deip: ſuas quoque coronas & glorias mittant Sanctiſsimi quique Patriarchæ? Si titulum quæris, vel hic unicus ſufficiat gratitudinis ergò: nam B. Laurentius Iuſtinianus Serm. de Annunc. agens de illis verbis. Ecce ancilla Domini. Iſto unico inquit reſponſo, complevit Cœlum gaudio, captivo ſæculo ſpem dedit, dæmones univerſos exterruit, ac detentis in inferno Patribus, libertatis gratiam repromiſit, affectu quippè avido, extenſis in Cœlum manibus, propatulo cordis auditu hujuscemodi præſtolabantur reſponſum. Erat nempè illis præ libertatis amore, diuturna nimis expectatio, pavidaque obſervatio, ne ob humilitatis virtutem reniteretur Virgo, conſenſumque negaret. Verùm ut datum à Maria percepêre reſponſum, omnes pariter prorumpentes in laudes, decantavêre dicentes. Benedictus Dominus DEVS Iſraël, quia viſitavit & fecit redemptionem plebis ſuæ. Hæc ille. O utinam æquè gratum te exhiberes! utinam & tu accepto quopiam à Maria beneficio, in gratiarum actiones prorumperes! exclama interim & dic cum Bernardo, hom. 2. ſuper Miſſus eſt. O admirandam inquit ille, & omni honore digniſsimam fœminam, ſingulariter venerandam, ſuper omnes fœminas ad-

mirabilem, parentum reparatricem, posterorum vivificatricem. Exclama & dic cum S. Leone, Sermone de Passione. Salutiferæ inquit, Virginis partus, non extremi tantùm temporis generationibus profuit, verùm se etiam in præteritas refudit ætates. Exclama & dic. Quid retribuam Mariæ pro omnibus quæ retribuit mihi? Exclama denique & dic juratus. Seneciones illos Apocalypticos æmulabor imposterum. Thronus meus posthac erit Maria, quem jam è floribus contextis adornabo sertis: jam supplex eas appendam corollas, quibus ab Angelico Ave, velut pretioso unione refulget initium. Et quidni de me quoque dicat olim Maria, quod de Religioso illo, de quo Pelbartus in Stellario. L. 2. part. 2. art. 3. dixerat ad Angelos. Ecce quali me coronâ Frater ille ornavit.

STIMVLVS TERTIVS.

Considera. 3. Quantoperè resplenduerit Serenissima hæc Regina ab heroicâ illâ virtute, quæ Patriarchis attribuitur, nempè fide. Cui non defuit fides Patriarcharum, inquit S. Bernardus super illud Eccl. 24. In plenitudine Sanctorum detentio mea. Quarè meritò à fide eam deprædicat Elisa-

Eliſabeth. Beata quæ credidiſti quoniam perficientur ea quæ dicta ſunt tibi à Domino. Et Sanctus Auguſt: Serm: 17. de Natali. Fides Mariæ Cœlum aperuit, cum Angelo nuncianti conſenſit. Idem Auguſt. Lib. de Sancta Virginit. Beatior inquit, Maria percipiendo fidem Chriſti, quàm concipiendo carnem Chriſti. De hac fide Irenæus Lib. 3. contra hæreſes, Cap. 33. ait Quod Virgo Eva ligavit per incredulitatem, hoc Virgo Maria ſolvit per fidem. O fidem ſaluberrimam! ô fidem Patriarchis omnibus, imò toti terrarum Orbi utiliſsimam! adeò ab hac refulſit Maria, ut nec in triſti illâ nocte Paſsionis Dominicæ, lux ejus extincta fuerit, juxta illud Proverb. 31. de muliere forti. Non extinguetur in nocte lucerna ejus. Alijs dubitantibus, & à patiente Chriſto turpiter recedentibus, ipſa nec fidem perdidit, nec ab afflicto IESV receſsit, quod gratioſè deſignat Eccleſia in Sanctæ Hebdomadæ Officio, dum reliquis candelabri triangularis candelis extinctis, unam tamen accenſam retinet; nam quemadmodum alijs extinctis, candela illa nequaquam extinguitur, ſic alijs Apoſtolis diffidentibus, Maria lumen extinctum nunquam habuit. Quarè S. Antoninus 4. part. tit. 15. Capitul. 41. §. 1. Fidei inquit lu-

men in Deipara occultum, quod omnibus postea patefactum, & omnes suo exemplo illuminavit, significatur candela illa accensa in matutino tridui Hebdomadæ Sanctæ. Sic ille. Age igitur Christiane. Age Catholice, & si tentationum ventis contra fidem obortis, huc illucque jacteris, ocyùs ad divinam hanc anchoram confuge, oculos manusque ad Reginam Patriarcharum attolle, memor illius, quod in Historiâ Virginali refert Ioannes Bonifacius, L.4. Ad hæreses, ait extirpandas, quæ in Cisalpina Gallia (Longobardiam hodiè dicimus) pullulabant, & summâ pernicie succrescebant, Romanus Pontifex Innocentius hoc nomine IV. ex Divi Dominici Familiâ plurimos elegit Sanctæ fidei Quæsitores. Sed Mediolanum tamen, ubi perfidia caput extulerat, Petro Veronensi, qui postea pro Christo necatus, Martyr est dictus, demandavit; commissum ille munus strenuissimè peragit, ac se contra hæreticorum astutias, & incertos rerum, dubiosque eventus, Beatissimæ Virgini piè religiosèque commendat: post longas preces dormienti responsum est illud idem ab inclytâ Dei genitrice, quod idem Christus Apostolorum Principi firmaverat. Ego pro te rogavi Petre ut non deficiat fides tua. Hæc ibi.

STIMV-

STIMVLVS QVARTVS.

Conſidera. 4. Nonnullas alias virtutes & prærogativas, à quibus reſplenduêre Sancti illi veteris Teſtamenti Patres & Patriarchæ, ut Noë, Iob, Abraham, &c. Huc facit illud Chryſoſtomi in Serm. Annunc. Abel, inquit, per ſacrificium commendatur. Enoch per contemplationem memoratur. Melchiſedech imago Dei prædicatur. Abraham per fidei meritum collaudatur. Iſaac per nomen obedientiæ commendatur. Iacob per luctamen beatificatur. Moyſes ſicut Legislator. Samſon velut victor. Helias Zelator. Iſaias ſicut Legis Dei Evangelizator. Daniel ſicut prudentiſsimus ſalutis deſiderator. Ezechiel ſicut arcanorum inſpector. Salomon ſapientiſsimus nominatur, ſed nullus talis fulſit in mundo, qualis Maria Dei Genitrix Benedicta. Hæc ille. O Reginam Patriarcharum! ô Dominam univerſi! Illa hæreditario jure, ut docet S. Bernardinus Senenſis. Tom. 1. Conc. 61. art. 1. Cap. 7: omnium quæ ſunt infra Deum, habet regale Dominium. Sed audi Damaſcenum, Reginam hanc tibi gratioſè dilaudantem. Orat. 2. de

dorm. Lutum, ait ipſe, omne fugit, ac cœnoſas affectiones averſatur. Ingluviem execratur, fœdiſsimæ fornicationis vitijs infeſta eſt: ſermones fœdos ac ſcurriles propellit, cantusque ac meretricia unguenta ſubmovet: iræ tumorem odio habet: inhumanitatem & invidiam, ac ſimultates non admittit: inanem gloriam vanis laboribus ſe frangentem reiicit: ſuperbiæ faſtui animo hoſtili reſiſtit: injuriarum memoriam tanquam ſalutis hoſtem odio inſectatur: vitium denique omne tanquam lethale venenum execrationi habet. Hæc Damaſcenus. Diſce hinc Anima Chriſtiana, ea quæ averſatur Patriarcharum Regina. Diſce eas quas adamat ipſa virtutes. O ſi ſæpius in die recogitares à quibus illa maximè reſplēdeat! Conſalvus Silveria, & Ioan. Thaulerus, quotidiè ſolidam horam impendebant exemplorum, beneficiorum, inſigniumque B. Virginis prærogativarum, ac privilegiorum conſiderationi. O ſi tu vel ſemihorulam quotidiè Marianis virtutibus ruminandis impenderes! proh quàm citò à vitijs immunis, à pietate fulgeres! Sed age, & quæ idem Damaſcenus de hac Regina Patriarcharum concludat, attentè excipe. Quamobrem ſi vitia prompto atque alacri animo vitemus, virtutes autem

tem omni ſtudio atque amore complectemur, easq; ſocias adhibeamus, frequens ipſa ad famulos ſuos veniet, ac ſecum bonorum omnium agmen trahet, Chriſtumq; Filium ſuum, omniumq; Regem ac Dominum, in cordibus noſtris habitantē aſſumet. Damaſcenus loco cit.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

BEnè cecinit Poëta.

Non procul à proprio ſtipite poma cadunt.

Inſpice Mariam ex illuſtriſsimo Patriarcharum ſemine progenitam, quibus ſi fides attribuitur, eâ & ipsa Patriarchis conjunctiſsima extitit. Hinc ſenſêre nonnulli, ideò Sabbatum Virgini ſacrum, quia SABBATO quod Redemptoris paſsionem proximè eſt conſecutum, fides in ea remanſit. Lege Bernardum Lib. de Paſsio. Dñi. Cap. 2. Paſsionis inquit tempore, omnes relicto eo fugerunt, ſola illa quæ benedicta eſt in mulieribus, per illud triſte Sabbatum ſtetit in fide, & ſalvata fuit Eccleſia in ipſa ſola, propter quod aptiſsimè Sancta Eccleſia in laudē & gloriam ejuſdem Virginis, diem SABBATI per totius

tius anni circulum celebrare consuevit. Hæc ille. O Christiane! Si

Non procul à proprio stipite poma cadunt.

Tu qui filius adoptivus es Mariæ, eidem te fide cõjungere. Sta firmus in fide. Pro fide etiam morere. O tibi contingeret quod P. Marcello Mastrillo Soc. Iesu: qui Anno 1637. in Iaponia, Sabbato capite pro Christo minutus. An ut suis manibus Cœlo inferat coronandum?

CAPUT TRIGESIMVM NONVM.

REGINA PROPHETARUM.

Ave Patrum præconium, & decus Prophetarum. Ita ad Mariam Ephræm. Serm. de Laudib: Virginis.

STIMVLVS PRIMVS.

Consi-



Onſidera. I. Ampliſsimam Virginis excellentiam vel ex hoc capite, quod prophetiæ dono, à munificentiſsimo Deo, exornata fuerit, illud quippe in eâ fuiſſe, communiter ſentiunt Sancti Patres & Doctores: idque colligunt ex celebri illo Cantico. Magnificat anima mea Dominum, Luc. 1. ubi Mariam prophetico ſermone locutam fuiſſe teſtantur. Non eſt dubitandum, inquit Angelicus Thomas. 3. p. q. 37. a. 5. ad. 3: quin Beata Virgo acceperit excellenter donum ſapientiæ, & gratiam virtutum, & etiam gratiam prophetiæ. Baſilius in Iſai. Cap. 8. aſſerit; in eam ſuperveniſſe Spiritum Sanctum, & prophetico afflatam Spiritu, elocutam eſſe. Magnificat anima mea Dominum. S. Auguſtinus Lib. 17. de Civitate Dei, Cap. ultimo. Iſtorum quinque prophetatio ait, ſcilicet Zachariæ, Eliſabeth, Simeonis, Annæ, & Ioannis Baptiſtæ ex Euangelio nobis nota eſt, ubi & ipſa Virgo Mater Domini, ante Ioannem prophetaſſe invenitur. Apud S. Brigittam in Sermone Angelico Cap. 16. 17. legitur. Mariam clariùs ſciviſſe ea quæ Prophetæ de Chriſti paſsione, tam multa etiam in particulari va-

 ticina-

ticinati fuêre, ideoq; quando Christum videbat, & pannis involvebat, statim occurrebat corpus illud sanctissimum flagris lacerandum, manus & pedes clavis perforandi, & reliqua quæ ibi singillatim persequitur. O Reginam Prophetarum Mariam! ô Prophetissam admirabilem! Benedicta tu, ait Andreas Cretensis Orat. de Annun. quam Isaias Prophetissam & Virginem nuncupavit. Prophetissam Prophetarum vocat Mariam Rupertus. Rabbi verò Haccados magnæ apud Iudæos opinionis, ad petitionem Antonini Consulis, Matrem Messiæ omnium Prophetarum Dominam, & Magistram futuram docuit. Eja Anima mea, fuge ariolos, omnesque divinos, accurre ad hanc Prophetissam, accurre ad hoc oraculum Prophetarum, sic Mariam vocat S. Bonav. in Spec: Cap. 2. O quæ hinc non disceres! quæ non prævideres corpori animæque necessaria!

STIMVLVS SECVNDVS.

Considera. 2. Magis in particulari nonnullas prophetias, quæ ex hac Sede Spiritus Sancti, sic Mariam vocat Hieronymus. Libro contra Helvidium. Ex hoc Spiritus Sancti Sacrario prodiêre

diêre, ſic eandem appellat Ildephonſus Serm. 6. de Aſſump. O quàm ſtupendæ! ô quàm gratioſæ illæ! Annon gratioſa ea, quâ teſte Turſellino. Hiſt. Lauret. Lib. 3. C. 20. Pontificatus Marcello Cervino Cardinali prædicitur? hic defuncto Pontifice Iulio III. ipſo Annunciatæ Feſto, in Sanctâ illâ Laureti cellâ Sacris operatur, & ecce effusè precanti cœleſti ſpecie ſeſe offert Regina Prophetarum Maria, ipſumque Pontificem fore, benignè indicat, quemadmodum eventus ipſe comprobavit. Annon æquè gratioſa illa, quâ teſte Nicephoro Lib. 15. Cap. 25. Leoni Imperatori hujus nominis primo, Imperium, quod & aſſecutus eſt, prædixit Maria? Annon ab omnibus exoptanda, quæ B. Andreæ Carmelitano Epiſcopo Feſulano obtigit? cum enim nocte quâ Mundi Conditor natus, rem divinam ſolenniter faceret, ei comparuit hæc Divina Prophetiſſa, obitusq; ſui diem in Epiphaniæ Feſto clementer edixit. Ah quæ non prædiceret Maria! quam omnium prophetiarum capacem vocat Rupertus. L. 5. in Cant. Cave Chriſtiane, ne infauſta & ingrata tibi prænunciet illa, uti olim ſceleſto cuidam, de quo Eutropius, Lib. 6. rerum Romanarum, qui cum Dei genitricis imaginem aſpexiſſet, lapidis jactu, ô nefas!

nefas! eam dejecit, dejectamq; pessum dedit. Somno dein sopitus, Cœli Reginam astantem vidit, atq; ita loquentem. Scisne qualem te mihi præstiteris? & quàm de me valenter triumphaveris? Sed tamen haud erit impunita audacia. Sequutum brevi cum Sarracenis bellum, quos muro subeuntes dum miser repellere conatur, projectu lapidis comminutus, interijt.

Stimvlvs Tertivs.

Considera. 3. Prophetarum Oracula de hac Augustissima Regina. Sancti Patres abundè testantur eam Prophetarum oraculis prænunciatam: ut proindè meritò cum Sergio, Oratione de Natali Virg. vocari possit Maria. Præconium Prophetarum, aut veritas Prophetarum, quemadmodum illam vocat Sanctus Bonaventura. Pulchrè ab Andrea Cretensi Orat. 2. dorm. Virg. Summa divinorum oraculorum appellatur ipsa, de qua inquit resonarunt omnes Spiritus interpretes. Pulchrè Ildephonsus Serm. 1. de Assumptione agens de eadem. Ecce ad quam inquit omnia eloquia Prophetarum, ad quam omnia ænigmata concurrunt Scripturarum. Evolve si placet Ioëlem Prophetam,
nonne

nonne hic juxta Hieronymum ſub fontis metaphorâ de B. V. prophetat? Hæc eſt, inquit, fons ſignatus. Evolve ſi placet Danielem Prophetam, nonne hic de B. Virgine prophetavit, Cap. 2. cum promiſit & prædixit lapidem, id eſt Chriſtum, de monte ſine manibus abſcindendum? Irenæus & alij Mariam montem faciunt. Evolve David Prophetam, nonne hic gloriam Mariæ decantans, ac nuptiale carmen conſcribens, inter cætera habet. Adſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate, Pſal. 44. Ah quid pluribus opus! Te Prophetæ prænunciaverunt: ad Deiparam ait Cyrillus, hom. 6. in Neſtorium: & tu Chriſtiane eorundem exemplo nîl de ea loqueris? O ſi ſapis! ſaltem auguſtum nomen ejus alijs annuncia, ſæpiusq; in die enuncia, memor illius quod Seguinus, Lib. 3. Cap. 93: refert de quodam Monacho laico, devoto & ſancto, latini quidem ſermonis omninò ignaro, ſed tamen hæc duo vocabula edocto: AVE MARIA: quæ ipſe paſsim recitando perorabat, ex cujus mortui, jamque ſepulti ore, lilium litteris aureis, AVE MARIA ſparſim decoratum prodijt. O lilium unà cum radice Cœlo inſerendum!

Considera. 4. Magnam illam voluptatem quam Isaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, ac Prophetæ reliqui expectatione Beatissimæ Virginis cæperunt. Gloriosissima S. Brigitta in Revelationibus suis in Serm. Angel. Cap. 9. habet. Prophetas divinitùs afflatos prenunciasse DEVM omnium Creatorem de intemeratâ Virgine nasciturum, qui animas Adæ peccato perditas redimeret, & ex hac Virginis Deiparæ cognitione, in tribulationibus suis magnam à Deo consolationem accepisse, præscientes in ipsâ Deum fortissimum Gygantem assumpturum arma, quibus diabolum, & omnes inimicos devincere debebat. Hæc ibi. Et meritò, ubi enim post DEVM majora solatia? ubi majora gaudia? quàm apud eam, de quâ Sophronius Epist. de Assump. B. V. Etsi in Sanctis Patribus & Prophetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenus plena, in Maria verò totius gratiæ quæ in Christo est, plenitudo venit. O Christiane! utinam vel guttulam liceret experiri ejus voluptatis, quam Reginæ hujus amatores pleno ore hauriunt! proh quàm adamares Mariam! quàm facilè creaturis omnibus præferres!

res! proh quæ non penderes! eam vel ad modicum
intueri posses. Testis sit vel Clericus ille, de quo
Spec: Exempl. Clericus quidam Mariæ devotissi-
mus, crebris eam precibus fideliter exorabat, sibi
suam pulchritudinem ostendere dignaretur: cujus
petitioni Mater misericordiæ annuens, per Ange-
lum ei demandavit, tali horâ sibi apparituram, sciret
tamen inconveniens & indignum esse, oculis qui-
bus eam videret, terrenum postea aliquid cernere;
cum autem respondisset Clericus, se non curare si
eâ visâ tandem cœcus fieret, Angelo disparente an-
xiè cæpit cogitare, visu penitùs amisso mendicare
de cætero oportere, consilium itaq; init, uno oculo
clauso, alterum duntaxat ad eam videndam aperire:
apparente deniqúe sibi B. Virgine, inæstimabilem
claritatem & pulchritudinem vidit, cupiensq; ple-
niùs eam videre, etiam oculum quem clausum reti-
nuerat aperuit, sed visio disparuit: cum ergo oculo
quo eam viderat jam orbatus esset, altero salvo ma-
nente, ipse illachrymâs quod oculo pepercisset, cœpit
se ipsum vehementer arguere inquiens. Vtinã totus
oculus fuissem, ut eam pleniùs vidissem! cum au-
tem denuò Mariam instantissimè oraret, semel ad-
huc seipsam ei ostenderet, paratum se etiam resi-

 duum

duum oculum amittere, iteratò pijſsima Virgo ei apparuit, & ſuâ viſione ineffabiliter ſolata, reſiduum oculum ſervavit, & prius amiſſum reſtituit. Hæc ibi. O benignitatem clementiſsimæ Reginæ! ô fœlicitatem eorum qui æternùm eam ſunt viſuri! Verè Prophetæ ſicut & Patriarchæ: ait Angelus ad eam in Serm. Angelico apud Brigittam. Cap. 9. p. 247. de te ô digniſsima Mater permaximè conſolati fuerunt. O Chriſtiane! Torrente voluptatis ſuæ potabit te in Cœlis Maria, ſi tu in terris eam ſolatus fueris ſanctiore vitâ.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

O Tempora! ô mores! quàm multi his ſæculis prophetare audent, quia mentiri non erubeſcunt. Hinc æterna Veritas Matthæi 7. clamat. Attendite à falſis prophetis. Eja Chriſtiane, nos ſi vera prædicere volumus, eamus ad Videntem, ſed Mariam. Ah quàm mira prædiceremus veridici Prophetæ, ſi ab hac Regina Prophetarum veritatem edoceremur! Maleficus quidam de quo in Form. Ioannis Nider. Lib. 5. Cap. 7: faſſus

eſt, veritatem ſe potuiſſe SABBATO dicere, quia Feſtum B. Virginis quoad Officium celebratur, quod machinamentis dæmonum detentus, duobus præcedentibus diebus non valuerat. Nos proh pudor! Sabbatis ęquè mendaces, ac ante! immemores illius ad Epheſ. 4. Deponentes omne mendacium, loquimini veritatem.

CAPUT QVADRAGESIMUM.

REGINA APOSTOLORVM.

Non Judex Apoſtolorum Senatus, non aliquis antiquorum, non quiſquam ſequentium Patrum, huic Beatiſſimæ Virgini poterit comparari.

Petrus Damian. Sermon. de Mariæ Nat.

STIMVLVS PRIMVS.



Onſidera. I. Eminentiam atq; dignitatem Purpuratorum illorum Patrum, quos Senatores Mundi, & Romanæ Eccleſiæ fundamenta, nec

non generis humani Iudices agnoſcimus, juxta illud Eccleſiæ nobis in fine vitæ apprecantis. Egredienti itaq; animæ tuæ de corpore, Iudex tibi Apoſtolorum Senatus adveniat &c. & perpende, horum tamen omnium ſupremam Dominam ac Reginam, eſſe Mariam, quam Anſelm. de excell. Virg. C. 9: jure materno ait, Cœlo, terræq; cum Filio ſuo eſſe præſidentem. Quod ſi verum eſt adagium illud

Non benè conueniunt, nec in unâ ſede morantur
Majeſtas & amor.

Vide annon hîc falſum, ſiquidem Auguſtiſsima hæc Regina, plena cœleſti majeſtate, ſed plena etiam fuit amore, adeò ut ne quidem familiaritatem Ioannis Apoſtoli aſpernata fuerit: adeò ut adhuc in terris ſuperſtes, Apoſtolum Iacobum inviſerit. Hiſtoriam refert Petrus Antonius Beuterus in Chron. Hiſpan. Cap. 23. Benedictiſsima Virgo, in ripâ fluminis Iberi, propè Cæſarauguſtam Aragonum Vrbem, in columnâ marmoreâ, glorioſo Apoſtolo Iacobo apparuit, qui eodem deinceps in loco ſacellum extruxit, & hujus honori ac nomini conſecravit, quod Divæ Mariæ Virginis à columnâ Cæſarauguſtanâ cognominatur, ob pylam, ſive columnam; in quâ videndam ipſa ſe præbuit. Hæc ille. O dignationem

Mariæ ! ô benignitatem ſingularem ! rem non omnibus æquè notam narrat Cornelius noſter, in 7. Act. Mihi inquit, Romæ aſſeveravit R. P. Melchior ab Helmont Antverpienſis Franciſcanus, qui quater Hieroſolymam eſt peregrinatus, ibiq; diu habitavit, ibidem lapidem oſtendi, in quo B. Virgo cum S. Ioanne, pro Stephano toto lapidationis tempore preces fuderit. O amorem Mariæ! ô pietatem! Diſce hinc Chriſtiane omnibus benefacere. Diſce non extolli in munijs ac dignitatibus. Rectorem te poſuerunt ait Scriptura. Eccli. 32. noli extolli, eſto in illis quaſi unus ex ipſis. Diſce denique omnibus communem te facere, exemplo Reginæ Apoſtolorum, de qua in Actis Apoſtol. Cap. 1. Et cum introiſſent in cœnaculum, aſcenderunt ubi manebant Petrus, & Ioannes, Iacobus, & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus, & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi. Hi omnes erant perſeverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre IESV.

STIMVLVS SECVNDVS.

Conſidera. 2. Non tantum Reginam Apoſtolorum,

ſtolorum, ſed & eorundem Magiſtram extitiſſe Mariam, nam teſte Idiota Cap. 3. de contempl. Virg, Doctrix fuit Doctorum, & Magiſtra Apoſtolorum. Teſte S. Antonino. Aſcendente inquit Chriſto, remanſit Magiſtra Doctorum Eccleſiæ, Apoſtolorum, & Evangeliſtarum. Teſte S. Brigittâ in ſuis Revel. in Serm. Angel. C. 19. B. V. Apoſtolis ad ſe venientibus, omnia quæ de ſuo Filio perfectè non noverant, revelabat. Et certè ideò tot annis poſt Filij ſui in Cælos aſcenſionem, manſit ipſa in terris, ut Apoſtolos, alioſque fideles pleniùs inſtrueret, & conſolaretur, quod eadem Virgo S. Brigittæ revelaſſe ſcribitur. Lib. 6. Revel. S. Brigit. Cap. 61. Huc facit illud Anſelmi de excell. Virg. C. 7. de Virgine agentis. Erat ait, utilis & neceſſaria fidei noſtræ converſatio tua, poſt aſcenſionem Chriſti Domini inter Apoſtolos ejus, quia licet ipſi per revelationem Spiritus Sancti edocti in omnem fuiſſent veritatem, incomparabiliter tamen eminentiùs & manifeſtiùs ipſa per eum Spiritum veritatis illius virtutum profunditatem intelligebat, & per hoc multa eis per hanc revelabantur, quæ, in ſe non ſolùm ſimplici ſcientiâ, ſed ipſo effectu, ipſo experimento didicerat de myſterijs ejusdem Domini

mini nostri Iesu Christi. Hæc Anselmus. Huc quoque facere videtur illud Sophronij Sermone de Assumpt: quod ipse de Virgine & Apostolis asserit. Inter quos ipsa inquit, post resurrectionem intrans & exiens, familiariùs contulit de incarnatione, tantò siquidem veriùs, quantò ab initio pleniùs per Spiritum Sanctum cuncta didicerat, & perspexerat oculis universa, licet & Apostoli per eundem Spiritum Sanctum omnia cognoverint, & in omnem edocti pervenerint veritatē. Hęc ille. Heus Christiane dormis? & tu nedum excitaris ad audiendam hanc Doctricem Apostolorum? sic eam appellat S. Bonav. in hymno. Te Matrem &c. Cur sępius non accurris ad hanc nostræ Religionis magistram? sic illam vocat Ignatius Epistolâ ad Ioannem. Cur non volas ad hanc Gentium Magistram? Sic eam compellat Augustinus, Serm. 6. de Temp. Cur non frequentas hanc Aulam? Sic Mariam nominat Ambrosius. Mirum non est inquit, Cap. 7. de instit. Virg: præ cæteris Ioannem locutum fuisse mysteria divina, cui præstò erat Aula cœlestium Sacramentorum. Cur deniq; die noctúve non pulsas ad ostium illud, de quo Rupertus cum Virgine loquens in illud Cant. 5. Qualis est dilectus tuus ex dilecto ô pulcherrima

mulierum ? opportuna percontatio ſi reſpiciamus ad illa tempora, quando tu dilecta propter Evangelium dilecti præſens aderas, & in corpore detinebaris Magiſtra neceſſaria, & teſtis valdè idonea contra Iudæos blaſphemantes, & hæreticos Chriſtianam veritatem corrumpere laborantes. Pulſandum igitur erat ad oſtium veritatis, & conſulendum oraculum Spiritus Sancti, ſcilicet Sacrarium pectoris tui, ut vivâ voce omnem neceſſariò tenendam demonſtrares regulam fidei, cum teſtimonio Scripturarum, quas memoriâ tenebas. Hæc Rupertus.

STIMVLVS TERTIVS.

Conſidera. 3. Eximium illum cultum atq; reverentiam, quâ Sanctiſsimi Apoſtoli hanc Reginam adhuc in terris degentem proſequebantur. Eximius, inquit Sophronius Sermone de Aſſumpt: ille Apoſtolorum chorus, poſt Domini aſcenſionem non deſeruit eam. Dionyſius Areop. Lib. de diu. Nom. C. 3. teſtatur; frequenter Apoſtolos Virginem conveniſſe, ac nominatim de Petro & Iacobo, ut nimirum ex ejus contemplatione infinitam Dei potentiam laudarent. Quid ? nonne adhuc viventi Mariæ in Civitate Tortoſa Sacellum erexit

Petrus? teste Iacobo de Vitriaco Cardinale, in suâ historiâ Orientali, Cap.44. quod inter omnes Virginis Ecclesias, prima Ecclesia à multis asseritur, additq; Volaterranus, Lib. 11. Geographiæ in Syria, hoc Sacellum à Principe Apostolorum ex ære Christianorum collecto, extructum, in quo primùm sacrificasse fertur Petrus. Nonne idem Petrus Domum Lauretanam suis ipse manibus consecravit? Nonne Mariæ imagines plurimas fieri Antiochiæ curavit? quas inter Gentes circumtulit. Quid? nonne Cæsaraugustæ in Hispania à S. Iacobo Apostolo, qui major est dictus, eidem Deiparæ superstiti adhuc, Templum positum fuisse constat? Ah Christiane quid opus pluribus? tu Apostolos ubi poteris imitare. Eccur imitari non poteris in eo? Te inquit Cyrillus, Apostoli summis laudibus celebrarunt. Cur non in hoc? In prædicatione, ait Idiota in Lib. Contempl. Cap.5: Apostolorum, in omnem terram exivit sonus tui Sanctissimi nominis, & manifestum toti Mundo factum est. Cur non in eo? Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine: quod elogium, à quo tot alia promanant, ei posuit Andreas Apostol⁹, nam hunc articulum tribuit Andreæ, Augustinus Serm. 115. de

tempore. Eccur imitari non valeas Ioannem Apostolum? quo procurante, eleemosinas percipiebat Maria. Cur denique æmulari non valeas hunc ipsum Apostolum, & ex hac ipsâ horâ accipere Mariam in tuam? O si faceres! ô si acciperes! ô si totum Reginæ huic te devoveres! Age, & ubi Apostolos imitari non posses, fœminas Apostolico zelo succensas imitare. S. Teresia Monasterio Priorissæ officio præfecta, in ipso obeundi muneris ingressu, se & Cœnobium totum, Virgini Sacratæ devovit, in eumq; finem in Cathedrâ Priorali imaginem Mariæ collocavit, eiq; Monasterij claves, unâ cum regimine, velut Superiori, cujus ipsa esset Vicaria obtulit. Proh quantoperè placuit Reginæ Apostolorum hæc ingeniosa pietas! visibili enim specie in locum imaginis suæ, se Diva Virgo substituit, ac Domus illius gubernacula se suscipere declaravit. Lib. 3. C. 1. in Vita. O millies fœlicem Domum illam, cui præest Maria!

STIMVLVS QVARTVS.

Considera. 4. Tritum illud apud nonnullos SERVVS VSQ; AD MORTEM: & perpende, quàm veraciter in Sanctis Apostolis adimpletum, siquidē teste

teste Iuliano Archiep. Hierosol. apud Niceph: Lib. 15. C. 14: antiquissimâ, & verissimâ omninò traditione receptum est, instante Virginis obitu, Apostolos ex ipsis Orbis terrarum finibus, ubi dispersi erant, sublimes in aëre Hierosolymam venisse. Siquidem teste Dionys: C. 3: de divinis nominibus, miris præconijs eam extulerunt, cum ad ejus dormitionem convenissent. Siquidẽ à Petro, ultimam ante mortem, cõmunionem percepisse scribitur. Siquidem humeris proprijs ac manibus, teste Metaphraste, ad Gethsemane prædium efferunt defunctã Reginam. O verè SERVOS usq; AD MORTEM! O Apostolos honori suę Reginę intentissimos! ut meritò à Cyrillo. Ephræm. & Bonav: ipsa præconium nuncupetur Apostolorum. Age & tu Christiane. Age Sodalis Mariane. Esto quoq; Mariæ servus usq; ad mortem. Dic cum Paulo Apostolo, quem S. Francisca Romana, Cœlestis Reginæ ad mortales nuncium appellat. Quis nos separabit à charitate Mariæ? tribulatio? an angustia? &c. Rom. 8. Certè hæc sperni debere ubi de honore Mariæ agitur, vel hinc collige. Cum Tartaris in Templum irruentibus, S. Hyacinthus asportato secum Eucharistico Sacramento fugeret, fugientem inclamavit statua quæ-

dam Beatiſsimæ Virginis. Fili Hyacinthe ut quid me deſeris? Sic ergò inimicorum meorum opprobrijs me cōmites? Age, age, me cum Filio meo aliò transporta. Verùm ille gravitatem ſtatuæ cauſabatur, ſed adjecit imago, ut ſeſe confidenter aſſumeret, futuros pares oneri humeros; & cum dulciter illachrimans accepiſſet in humeros imaginem Hyacinthus, eam etſi magnam, admodùm tamen levem ſenſit; cumq; ad fluvium quendam perveniſſet, ibiq; nec pons, nec navis ulla compareret, ille ſigno crucis facto, ſacræ hoſtiæ, atque ſtatuæ fretus præſidio, ſubſtratâ chlamyde, ſicco illum trajecit veſtigio. Ribad. 16. Aug. in ejus Vita. Ah quidni ibi miracula ubi cogitatum tuum jactas in IESV & MARIA! Quidni ibi gratiæ ubi Maria? Hæc S. Petro paſsionis tempore graviter lapſo, reſipiſcentiam & veniam, ut ait S. Gregorius Nazianz: impetravit. Concludat Damaſcenus. Aderant, inquit ille Orat. 2. de dormit. loquens de Apoſtolis ad Virginis dormitionem divinitùs congregatis, Verbi ſervi, ut pro eo ac debebant, ipſius etiam Matri miniſtraturi, benedictionem ex ipsâ, non ſecus ac ampliſsimam quandam, ac præſtantiſsimam hæreditatem haurirent: ecquis enim dubitet, quin ipſa benedictionis

fons

fons, ac bonorum omnium ſcaturigo ſit? ita ille. O ſi nos vel morientes ſuâ dignaretur benedictione! Eam certè fœliciter aſſecutus fuit, magni illius Damiani frater Marinus, cui morienti apparuit Regina Apoſtolorum, atq; ad benè moriendum impertijt benedictionem.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

Manibus date Lilia plenis

Vos omnes, qui Sabbata ſacratiore honore colitis: docet enim probabiliter Auguſtinus Wichmans Ord. S. Norberti. Sabbatum jam indè ab Apoſtolorum temporibus, eorundem Reginæ Mariæ ſacrum fuiſſe. Agite ergò, & denuò

Manibus date Lilia plenis.

Agite & feſtivitatem tam antiquam novis roſarum imbribus conſpergite, volui dicere Roſarijs Sabbatinis. Viros æmulari ſi non placet, pueros æmulamini. Ajunt ut refert Ann. Mar. in quibusdam Sueviæ locis, quovis Sabbato ſub veſperum, filios familias convocari, ad Roſarium recitandum. O ſic nos Roſarijs, veluti pretioſis torquibus, exornaremus Reginam Apoſtolorum! CAPUT

CAPUT QVADRAGESIMVM PRIMVM.

REGINA MARTYRVM.

Quicquid crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leve fuit, aut potius nihil comparatione tuæ passionis. Ita Anselm. Mariam alloquens. de Excell. Virg. C. 5.

STIMVLVS PRIMVS.



Onsidera. I. Quid de vehementissimo Reginæ hujus dolore sentiant Patres. Bernardus de lamentatione B. Virginis. Nec lingua inquit poterit loqui, nec mens cogitare valebit, quanto dolore afficiebantur pia viscera Mariæ. Idem. Non credo plenè enarrari vel meditari posse dolorem Virginis, nisi tantum fuisse credamus, quantum unquam dolere potuit de tali Filio talis Mater. S. Bernardinus tom. 1. serm. 61. art. 3. Cap. 2. Tantus fuit dolor Virginis, quod si in omnes creaturas, quæ pati possunt,

sunt, divideretur, omnes subitò interirent. S. Antoninus 4. part. tit. 15. Cap. 24. §. 1. loquens de hac ipsissimâ REGINA MARTYRUM, ait. Improportionabiliter major fuit dolor ejus in passione Filij, quã Martyris cujusq́ue in suâ passione. S. Ildephonsus. Quando Dominum inquit, in cruce pendentem vidit, tunc plus quàm Martyr fuit. Ipse Salvator mundi in Revel. B. Brigittæ L. 1. C. 25. ita Mariam alloquitur. Testimonium perhibeo tibi, quod tu in passione meâ plus fuisti quàm Martyr. Verùm ad testimonium Iesu, accedat quoq; testimonium Mariæ, quæ S. Brigittę, L. 6. Rev. C. 9. dixit aliquando. Ego nullã horam sine tribulatione vixi in terris. Et C. 58. Vsq́ue dum assumpta fui corpore & animâ in Cœlum, nunquam defecit à corde meo dolor. Et quoties, ut ipsa testatur in Revel. S. Brigittæ, Filium suum aspiciebat, seû parvulum, seû crescentem, sive adultum, semper absorbebatur cogitatione, simul & dolore, de futurâ ejus passione & morte, nam ab Angelo salutata & renunciata Dei Mater, intellexit se parituram Filium qui esset crucifigendus, ut asserit S. Bernardinus. Ad propositum sanè, dolentibus his verbis eam loquentem introducit Rupertus in Cant. Cap. 1. super illud. Fascicu-

lus myrrhæ dilectus meus, &c. Nolite ait, ſolam attendere horam, vel diem illam, in quâ vidi talem dilectum ab improbis comprehenſum, malè tractari, ſcilicet illudi, ſpinis coronari, flagellari, crucifigi, felle & aceto potari, lanceari, mori, & ſepeliri: nam tunc quidem gladius animam meam pertranſivit, ſed antea quam ſic pertranſivit, longum per me tranſitum fecit, Prophetiſſa namq; eram, & ex quo Mater facta ſum, ſcivi illa paſſurum; cum igitur carne meâ taliter progenitum, talem Filium ſinu meo foverem, ulnis geſtarem, uberibus lactarem, & talem ejus futuram mortem ſemper præ oculis haberem, & propheticâ, imò plus quam propheticâ mente prævidere, qualem, quantam, quàm prolixam me putatis materni doloris pertuliſſe paſſionem? Idem ſuper illud Cant. 4. Capilli tui &c. loquens ad Virginem ait. Tu quoq; longum in cogitationibus tuis præſcia futuræ paſsionis Filij tui pertuliſti martyrium, ſicut illi qui circuierunt in melotis & pellibus caprinis, anguſtiati, afflicti. ita Rupertus. O dolorem vehementiſsimum! ô martyrium crudeliſsimum! Proh quid agis Chriſtiane? Reginæ Martyrum non compateris flenti, & amariſsimè lachrymanti? de cujus lacrymis S. Ber-
nar-

nardꝰ. Rigabat inquit, lacrymis corpus exanime Filij, & monumentum in quo poſuerunt eum, modo mirabili madidabat, ubi & ejus lacrymæ adhuc apparere dicuntur, indicativæ doloris intimi, qui animam ejus tanquam gladius acutus pertranſivit. Hæc Bern. de Lamentatione Mariæ. Triginta novem millia lacrymarum eam fudiſſe compatiendo Filio ſuo patienti, tradunt nonnulli ex quadam revelatione. Et tu ne lacrymam fundes ut Mariæ cõpatiaris? Ipſa mœſtiſsima Virgo retulit B. Brigittæ, ex oculis ſuis erupiſſe lachrymas, quemadmodum è venis fluere aſſolet ſanguis. At è tuis dic amabo, quando vel ſtilla in gratiam Mariæ profluxit? Affirmat Theophraſtus ſanguineas lachrymas de oculis ejus emanaſſe: & de tuis quid? Ah ſi ſapis Chriſtiane! accurre ocyùs, ſolare mœſtiſsimam Matrem; nam cuidam Anonymo, in diſcrimine mortis conſtituto, & cum gravibus moleſtijs luctanti, dixit olim hæc Regina Martyrum. Cur mœrore conficeris fili, qui à me toties mœrorem es conatus expellere. Gaude eja mecum, & me præeuntem ad æterna gaudia lætus ſequere. O gaudia æterna! ô alloquium melle dulcius! Sonet etiam vox tua in auribus meis ô Maria, vox enim tua dulcis. Cant. 2.

Favus diſtillans labia tua, mel & lac ſub lingua tua. Cant. 4. Surge denuò, & ad me propera quoque Amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni. Cant. 2. Trahe me morientem, ut renovatâ velut aquilæ juventute meâ, poſt te curram in odorem unguentorum tuorum, Cant. 1. Ah quidni currerem! ſi animam agenti diceres, Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum. Cant. 5.

STIMVLVS SECVNDVS.

Conſidera. 2. Cauſas vehementiſsimi illius doloris, quo velut acutiſsimo gladio transfixa fuit REGINA MARTYRVM. Verè inquit Anſelm. de excell. Virg. Cap. 5. pertranſivit animam tuam gladius doloris, qui tibi amarior fuit doloribus cujusvis corporeæ paſsionis. Et quidem. Prima cauſa fuit, mors Filij, juxta illud Damaſceni, Lib. 4. de fide orthodoxa. Cap. 15. Verùm ipſa Beata Virgo quos in partu dolores effugerat, paſsionis tempore ſuſtinuit, ut quæ pro materno ſuo affectu, viſcera ſibi lacerari ſenſerit, & dum eum quem Deum gignendo norat, ut ſontem ac facinoroſum morte affici conſpiceret, intimis cogitationibus tanquam

gladio discerperetur. Eleganter Bernardus de Lamentatione B. V. Nunc solvis Virgo cum usurâ quod in partu non habuisti à naturâ, dolorem pariendo Filium non sensisti, quem millies replicatum Filio moriente passa fuisti. Secunda causa. Amor erga Filium. Hinc Sophronius inter opera Hieronymi Sermone de Assump. ait de Maria Quia plus omnibus dilexit, propterea & plus doluit. Nam ut benè notat Sanct. Augustinus Lib. 21. de Civitate. Cap. 26. Ex earum inquit, personarum amissione, quæ nobis necessitudine aliquâ sunt conjunctæ, tantum necesse est urat dolor, quantum hæserat amor. Tertia causa. Vicinitas ad Filium, de qua ex Revel. S. Brigitt. Lib. 21. Cap. 35. Ego inquit B. Virgo. stabam viciniùs cruci ejus, & sicut hoc graviùs pungit quod viciniùs est cordi, sic dolor ejus gravior erat præ cæteris mihi: cumque respexisset ad me de cruce, & ego ad eum, tunc de oculis meis quasi de venis lachrymæ exibant, & cum ipse me cerneret dolore confectam, in tantum amaricabatur de dolore meo, quod omnis dolor vulnerum suorum, erat quasi sopitus sibi præ dolore meo, quem in me videbat: propterea audacter dico, quia dolor ejus erat dolor meus, quia cor ejus erat cor meum.

Hæc ibi. Quarta causa. Quia spectatrix fuit pœnarum. O qualis, ait Bonavent. Cap. 37. Meditationum vitæ Christi: erat anima Matris, cum sic pœnosè videbat filium deficere, languere, lacrymari & mori. O Domina, loquitur Anselmus: quos fontes lachrymarum dicam erupisse de pudicissimis oculis tuis, cum attenderes unicum tuum innocentem coram te flagellari, ligari, mactari, & carnem carne de tua crudeliter dissecari. Refert S. Brigitta Lib. 4. Revel. Cap. 70: sibi à B. Virgine dictum, plurimos rivos sanguinis ex aculeis spineæ coronæ infixis, defluxisse per Christi faciem, & crines, & barbam replevisse, ut quasi nihil nisi sanguis videretur. Nec ipse inquit, me astantem cruci videre potuit, nisi sanguine expresso per ciliorum compressionem. Quinta demum causa erui potest ex ijs quæ apud Metaphrast. Orat. de vitâ & dorm. Deiparæ leguntur. Hoc verò ait, erat ei molestissimum, quod ad illum quidem accedere, & eum alloqui sitiebat, repellebatur autem à multitudine canum eam circumdantium. Postea verò, pergit idem Auctor, cum parricidæ illi negligerent custodiam, tunc verisimile est Deiparam sibi datâ facultate ad eum accessisse, & intemeratos quidem ejus pedes, & impressas ei plagas

gas

gas libenter deosculatam, & sanguine miscentem lacrymas, oculos, & genas attrivisse. Idem Simeon Metaphrastes asserit ex quorundam piorum Virorum sententiâ. Deiparam diligenter & reverenter, sanguinem & aquam ex Christi latere exeuntem hausisse. O haustum nectare & ambrosiâ sapidiorem! O Mariam verè Matrem dolorosam! quam Sancta Brigitta postquam in summa amaritudine & dolore conspexisset, ait Lib. 7. Revelat. Cap. 15. Dolor igitur compassionis illius sanctissimæ Matris in tantùm transfixit me, quod quasi sentiebam quod cor meum pertransibat gladius acutus importabilis amaritudinis. Heus Christiane! Brigittam æmulare. B. Margaretha de quâ Bzovius in Annalibus ad annum 1297. cum particeps fieri dolorum Beatissimæ Virginis petijsset, eamque gratiam impetrasset, tanta tristitiâ fertur obruta, tamq; debilis effecta, ut longo tempore semianimis jacuerit, & pęnè mortua sit. Heus Sodalis Mariane! Margaretham æmulare. Hic Vir, inquit Christus ad S. Brigittam (loquitur de scelesto quodam sexagenario, qui non semel dæmoni homagium præstitit, tamen salvatus est) ob conceptum animo de peccatis dolorem, quem illi meâ benignitate, & merito

Matris meæ ad extremum concesſi, purgatorij igni tantiſper addictus eſt, nam licet homo ille Matrem meam in vita parum admodum coluerit, habuit tamen id boni moris, ut quoties de illius doloribus audiſſet aliquid, aut meminiſſet ſolùm, condoleſceret illicò. in Revel. S. Brigittæ, L. 6. C. 97. Proh quàm leve obſequium, ingenti bono compenſatur!

STIMVLVS TERTIVS.

Conſidera. 3. Patientiam, fortitudinem, atque ad Divinum beneplacitum conformitaté, quâ prædita fuit Regina Martyrum. Annon patiens? Maria, inquit S. Bonav. in Spec. Cap. 4. interfectores Filij nunquam odivit, nunquam contra eos impatiens fuit, nam ſi alij Martyres, patientiſsimi fuerunt in ſuo martyrio corporali, quantò magis Martyr noſtra Maria in martyrio ſpirituali ſuo? ſic Bonav. Annon patiens? Non murmurabat, inquit S. Antoninus 4. part. tit. 15. Cap. 41. §. 1. quod Filius innocentiſsimus pateretur, non blaſphemabat Iudæos, quod ab eis quibus tot fecerat beneficia tam crudeliter tractaretur; non vindictam à Deo petebat quod illi à terrâ vivi abſorberentur, ut mereban-

rebantur, non capillos vel vultum ſcindebat, quia vidua & ſine Filio conſolatore remanebat, ſed ſtabat verecunda, modeſta. Hæc ille. Annon patiens? Ad eam meritò dici poteſt, ait S. Bernardinus tom. 3. Sermone 2. de nomine Mariæ, art. 3. Cap. 4. illud Thren. 2. Magna eſt veluti mare contritio tua, & hoc mare per impatientiam non redundabat, ſed omnia iſta flumina in ſe per ſuſtinentiam abſorbebat, ſicut Eccleſ. myſticè ſcriptum eſt. Omnia flumina intrant in mare, id eſt in Mariam, & mare non redundat, ſcilicet per impatientiam, ita ille. Quod ſi fortitudinem ejus ſpectes, annon heroica planè ac maſcula? Mater, inquit Simeon Metaphraſtes Orat: de vitâ & dorm. Deiparæ: paſsionis tempore ſicut in alijs ſuperabat mulierem, ita hîc quoq; videtur pluſquam mulier, quæ ab illo, id eſt Chriſto minimè recedit, ſed propius ſequebatur, nihil timens quod eſſet formidabile: ita Metaphraſtes. S. Ambroſ: de inſtit. Virg. Cap. 7. ait. Stabat ante crucem Mater, & fugientibus Viris, ſtabat intrepida. Euthym. in Matt. 27. Veriſimile eſt inquit, Dei Matrem propinquiùs cruci aſtitiſſe, quàm reliquas mulieres, id viſcerum inflammatione Iudæorum vincente timorem. Hæc ipſe. Si verò ad ſtupendam

 ejus

ejus cum divino beneplacito conformitatem oculos convertas, proh quanta fuit illa! quam ſanè egregiè deprædicat S. Antoninus 4.part. tit.15. Cap. 14. §. 1. ubi etiam citat Anſelmum. Ita divinæ voluntati conformis fuiſti, ut ſalutis humani generis avidiſsima eſſes: ut dicere audeam, quod ſi nullus fuiſſet repertus qui Filium crucifigeret, ad hoc ut ſequeretur ſalus hominum, & adimpleretur voluntas Dei, ſi oportuiſſet, ipſa poſuiſſet in crucem; neque enim credendum eſt minoris fuiſſe perfectionis & obedientiæ ad Deum, quàm Abraham, qui proprium filium obtulit Deo in ſacrificium proprijs manibus occidendum & comburendum: Hæc ibi. S. Bonav. in 1. ſentent. diſtinct. 49. art. 2. quæſt. 2. aſſerit. Nullo modo eſt dubitandum, quin virilis ejus animus, & ratio conſtantiſsima, vellet etiam tradere Filium ſuum pro ſalute generis humani, ut Mater per omnia conformis eſſet Patri. O conformitatem! ô fortitudinem! ô patientiam! Quod ſi funiculus triplex difficile rumpitur, tu in hoc funiculo conformitatis, fortitudinis, & patientiæ, te Cœlum uſque tutus vibrabis.

STIMV-

Stimulus Quartus.

Considera. 4. Cur mitissima Virgo, Regina Martyrum appelletur. An quia Martyres ad tribulationes gaudenter pro Christi nomine sufferendas animabat? de quo apud S. Brigittam in Serm. Angelico, Cap. 19. Fœlix Ioannes Baptista, qui dignus habitus, quem in vincula carceremque conjectum, Regina Martyrum inviseret, solaretur, adque mortem in Dei causâ fortiter oppetendam stimularet, accenderetque, id quod B. Amadeo revelatum accepimus. O confortatrix Martyrum Maria! quo titulo eam insignivit S. Bonaven. An quia majores Martyribus sustinuit dolores? teste Anselmo de excell. Virg. Cap. 5. quæ etiam ex eodem, expirasset, nisi à Deo præservata fuisset. Et quidni longè major Virginis fuisset dolor? Siquidem S. Antoninus 4. par. tit. 15. Cap. 24. §. 1. ait. Dolor causatur ex amore, ut quantum qui plus amat, tanto plus doleat de amisione ejus, dolor autem Sanctorum, in martyrijs eorum, causabatur à naturâ propter separationem animæ à corpore, dolor autem B. Mariæ à naturâ & gratiâ, sed major etiam à gratiâ, sed fortior & perfectior est causatus à gratiâ, quàm à naturâ. Ergò improportionabili-

ter major fuit dolor ejus in paſsione Filij, quàm Martyris cujusque in ſuâ paſsione. Hæc S. Anton. Adde. Majorem fuiſſe Virginis dolorem, quia nullus Martyrum ita propriam vitam dilexit, ac ipſa vitam Filij. Ergò etiam plus doluit ex nece Filij, quàm illi ex propriâ, ſiquidem dolor correſpondet amori. Adde iterum. In Martyribus leniri potuiſſe dolorem, quia amittebant carnem peccabilem, eam quæ interdum ijs occaſio, & peccandi illecebra: at Virgo amittebat eam carnem, quam deificatam adorat terrarum Orbis: carnem innocentiſsimam, carnem amabiliſsimam. Si fieri potuiſſet, inquit S. Bonav: omnia tormenta quæ Filius pertulit, ipſa multò libentiùs ſuſtinuiſſet. Pendebat, inquit S. Ambroſ. de inſtitut. Virgin. C. 7. in cruce Filius, Mater ſe perſequutoribus offerebat. Ildephonſus Serm. 2. de Aſſump. ait de B. V. Parata ſtetit, ſi non deeſſet manus percuſſoris. De eadem S. Bernardinus Sen. tom. 3. Serm. 2. de Nomine Mariæ art. 2. Cap. 4. ex Auguſtino 4. Confeſſ. Cap. 6. Iſte, inquit, eſt modus amantium, velle pro invicem mori, nec dubium hoc erat amoris in Virgine benedictâ, ut infinities ſi fieri potuiſſet, ſe morti pro Filio tradidiſſet, Si enim hoc voluit David pro filio ſuo, quanto magis

magis hęc pro suo, ut magis conveniat ei vox illa, 2. Reg. 18. Quis mihi det ut ego moriar pro te Fili mi. Hęc S. Bernardinus. Pulchrè Ephræm in Threnis, ex personâ Deiparæ ad Filium in cruce affixum, his verbis. Respice mi Fili lacrymas meas, attende suspiria mea, ac gemitus, & os tuum aperi. Solatium mihi præbe mi Fili, non enim habeo prorsus ubi vel caput reclinem, non alius mihi superest cognatus, pater, vel mater, frater aut soror, qui animum mihi reddant. Tu mihi es Pater, tu Frater, tu Filius. Tu mihi vita & Spiritus, spes atq; protectio. Tu mea es consolatio & creatio. Tu Dominus meus & Deus meus. Hæc Ephræm. O Christiane! Vtinam & tu in hæc verba sæpius in die prorumperes! Vtinã & tu pro Christo pati velles! utinã & tu martyrii aureolâ quâ ornata fuit Maria, condecorareris! Spera dum spiras. Tuum imposterum ergò sit hoc lemma, Pati aut mori. Vel illud. Non absque cruce. Hanc teste Cæsario, Lib. 7. hist. memorab. dono dedit Maria, nobili cuidam militi Waltero de Birbach, cujus septẽ dolorum egregius cultor ipse erat.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

FAtere Christianissime Galliarum Rex Ludovice, quid tibi Sabbatis cum cilicio? hocne gestare jussit pijssima aliàs mater Blancha? Fatere & tu Sanctissime Cantuariensium Archipręsul Thoma, cur cilicio te præcingis Sabbato? an ut Sabbatino usu lacerum, reficere juvet (juvit) Maria? Etiamne tu etsi adhuc delicatula, etsi adhuc septennis puellula Margaritha (ô verè pretiosa margarita!) Belæ IV. Vngar. Regis filia, Sabbatis ferreo circulo, innocentes corporis tui lumbos stringes? Sed quid video! video Carolos Spinolas Sabbato in Iaponia comburi. Video ibidem Sabbato Marcellos Mastrillos capite plecti. O Sabbatum nonnisi à Sacro cruore purpureum! ô Sabbatum mysterijs plenum! Quod si ut loquitur mellifluus Bernardus: non decet sub capite spinoso corpus esse delicatum. Agite Sodales Parthenij. Agite Christiani, & vos totos doloribus, vulneribus, imò neci ipsi exponite. Reginam Martyrum æmulamini, jam patiendo, jam compatiendo. Festum compassionis dolorum Deiparæ, in Sacro Ordine S. Brigittæ celebrari Sabbato post Dominicam. Quasi modo: patet ex ejus Breviario. Vos si non diebus singulis, Sabbatis saltem id agite, juxta illud quod ipsamet

met

met Regina Martyrum aliquando S. Brigittæ dixerat. Respicio ad omnes qui in mundo sunt, si fortè sint aliqui, qui compatiantur mihi, & recogitent dolorem meum, & valdè paucos invenio. Ideò filia, licet à multis neglecta sim, tu tamen non obliviscaris mei, vide dolorem meum, & imitare quantum potes.

CAPUT QVADRAGESIMVM SECVNDVM.

REGINA CONFESSORVM.

Tu salus te invocantiũ, exemplar Confessorum.
S. Bonav. in hymno Te Matrem Dei.

STIMVLVS PRIMVS.



COnsidera. I. Hoc præconium Patrum, sic Mariam vocat Ephræm. Sermone de Laud. Virg. Hanc Sacerdotum gloriam, sic eam compellat Damasc. Orat. 1. de Nat. Hoc exemplar

plar & Speculum Confeſſorum, ſic eam nominat Bonaventura: & perpende, quæ non in hoc ſpeculo videri poterant, quàm gratioſæ, quàm decoræ, quàm liberales formæ, nempè omnes gratiæ gratis datæ, quas novem eſſe, adnotavit S. Paulus, 1. Corint. 12. Sermo ſapientiæ. Sermo ſcientiæ. Fides. Gratia ſanitatum. Operatio virtutum. Prophetia. Diſcretio ſpirituum. Genera linguarum. Interpretatio Sermonum: quibus omnibus velut pretioſis unionibus ornata fuit Regina Confeſſorum. Et quidni? quia quicquid gratiæ alijs diviſim & per partes collatum fuit, totum Reginæ huic cumulatè & perfectè tributum eſt, ſicut Matris Dei dignitatem decebat. O ſi vel ſtilla earum gratiarum in ſinum tuum decideret, proh quæ non intelligeres! quæ non ſaperes! quæ non ageres! Age ergò, age vel hoc unicum, & quotidie, imò ad horas ſingulas accurre ad Reginam omnis humanæ naturæ, ſic Mariam vocat Andreas Cretenſ. Archiep. Ieroſol. Orat. de Aſſump. Virg. Ad Reginam Confeſſorum, ſic eam compellat Eccleſia, & quas in illâ ſanctiores virtutes conſpexeris, ſedulò imitare.

Ardua molimur ſed nulla niſi ardua vincunt.

Imò ne ardua dixeris, ſuavia namque & facilia ſuadet

det Maria. Audi & crede. Rem in hunc modum refert Anton. de Balinghem. ad 17. Septembr. de Stephano Iustitio Ordinis Minimorum oblato. Hic cum post oculorum dolorem, eorum usum perdidisset, advertit se varijs impatientis animi motibus agitari, quibus ut obviam iret, Deiparam in singularem Advocatam elegit, varijs ei devotionis obsequijs exhibitis. Cum excederet abstinentiâ à victu etiam naturæ necessario, ei ad mensam accumbenti apparuit Deipara. Cur, inquit ad eum, singularis es in hac mortificatione & abstinentiâ cibi: cumq; responderet se id facere ad subjiciendam spiritui carnem, & ut peccata sua expiaret, deniq; ad Deo placendum: tum Deipara. Desine inposterum singularis esse, satius est te conformem cæteris vitam ducere. Hæc ibi.

Stimulus Secundus.

Considera. 2. Quantoperè decuerit Sanctorum Confessorum Reginam quibus olim singulari exemplo præluceret, mox à teneris unguiculis, in sacratiore loco educari. Deducitur ad Templum trimula, quam teste Georg. Nicomed: innumera-

merabilis Angelorum chorus comitatus eſt. Ibi in Sanctis Sanctorum 11. annos ipſam traduxiſſe, adnotavit apud Nicephor. Evodius Apoſtolorum ſucceſſor. Germanus Patriarcha Conſtantinopolit: Vir ſanctiſsimus in Orat. de Præſentatione Deiparæ ſic habet. Vbi non ſæpè, ſed ſemel ſolùm in anno, Sacerdos ingrediens peragebat cultus myſticos, illuc Mater Domini, ut ibi perpetuò maneret adducitur. Hæc ipſe. Res profectò admiratione digna, ei ſoli obtigiſſe in habitaculum Sancta Sanctorum, de quibus Apoſtol. ad Hebr. 9. ait. In illa ſemel in anno ſolus Pontifex non ſine ſanguine introibat. Sed age ô ſereniſsima Regina, ediſſere, quid in Templo egeris? quæ munia obieris? Seraphicus Bonav. in Medit. vitæ Chriſti. Cap. 3. præclara de ejus virtutibus, dum eſſet in Templo refert, ex quibusdam revelationibus ab eadem factis, ut ipſe exiſtimat S. Eliſabeth, & inter alia. Surgebam, inquit, ſemper in noctis medio, & pergebam ante altare Templi, & ibi omni affectu petitiones meas Deo præſentabam. In Templo degens, teſte Andrea Cretenſi de dorm: Deip: tanto ſtudio vacabat divinarum literarum lectioni, ut totam legem, libroſq; Prophetarum menti omninò inſculpſerit. Accipe ex Hieron. Epiſt. ad Helio-

Heliodor. quid in Templo degens egerit Sanctissima hæc Regina Confessorum. A mane inquit, usque ad tertiam, orationibus insistebat, à tertiâ verò usque ad nonam, operi manuum intendebat, à nona verò adhuc orationem incipiebat, â quâ non recedebat, quousque illi Angelus appareret, de cujus manu escam accipere solebat. Sabellicus, Lib. 2. Exemp: C. 4 & C. 9. asserit: eam mane tres horas impendisse orationi ac devotioni, indè meridiem usque laborasse, & sæpè in lanâ, à prandio verò Sacræ Scripturæ legendæ incubuisse. Anima Christiana! exclama & dic cum Damasc. Lib. 4. de fide Orthod. Cap. 15. Maria, inquit, ad Templum adducitur, atque deinde in domo Dei plantata, atque per Spiritum saginata, instar olivæ fructiferæ virtutum omnium domicilium efficitur. O domicilium omni cultu dignissimum! ô diem illum albo signãdum lapillo! quo trimula Maria, Deo in Templo præsentatur. Festum hoc etsi omitti voluerit in Breviario. Pius V. Summus Pontifex, ceu minus antiquum, attamen Franciscus Turrianus, celebris è Soc. Iesu Theologus, ex vetustissimis Auctoribus Græcis & Latinis ostendit, Festum hoc veteribus Sanctis Patribus fuisse olim cognitum, laudibusque cele-

celebratum. Vbi ſignanter adverte, eundem Franc. Turrianum, ipſomet feſto die, quem tanto conatu defenderat, è vivis exceſsiſſe, ut par eſt credere Sanctis Confeſſoribus adlegendum. Hoc Feſtum tu quoq; novâ aliquâ pietate proſequere Turriani æmulus.

Stimvlvs Tertivs.

Conſidera. 3. Honorem atq; affectum quo ſuam Reginam olim proſequebantur Sancti Confeſſores. Intuere Ignatium Loyolam, ubi primam Deo hoſtiam Neomyſta offerat, nonne in Beatiſsimæ Virginis Templo? Perpende cur pertinax in energumenâ dæmon, poſtquam plures jam fatigaſſet, tamen ad Ignatij nomen excedere cogatur, nonne ob ejus in hanc Divam Reginam pietatem? hinc inclamat dæmon. S. Ignatius. S. Ignatius. S. Ignatius me ejicit, ob ſuam humilitatem & potentiam, & ob ſingulare ſtudium, quo is vivus ardebat in Sanctiſsimam Virginem. Inſpice ſi lubet, dignum tanto parente filium, alterum illum Sanctiſsimum Confeſſorem Xaverium, & vide, quam hic devotus erga ſuam Reginam! ne eâ inſalutatâ ad Apoſtolatũ Indicum abiret, prius Lau-

retum

retum ejus ſalutandæ cauſâ adit, ut ubi illa Deum concepiſſet, illic Xavier divinos Spiritus ad magna, terrâ mariq; agenda & ferenda conciperet. Contemplare Seraphicum Confeſſorem Bonaventuram, Virginis unicè ſtudioſum, quem etiam Auctorem Sodalitatum inter Laicos quos vocant, faciunt: quiq; pariter inſtituit æris campani pulſum, quo exciti ſub noctem, venerabundi ter ſalutamus Reginam Confeſſorum Mariam. O ſi velut apis ingenioſa, mella legeres ex Sanctis Confeſſoribus! ô ſi illorum exemplo, jam hoc, jam illo modo Reginam univerſi coleres! Audi quid ſuadeat citatus S. Confeſſor Bonaventura, in epiſtolâ quæ inſcribitur 25. memoralium, ubi quædam ad piè vivendum monita tradit, in 13. hæc habet. Vt glorioſam, inquit Reginam Domini noſtri Matrem Benedictam, in ſummo habeas omni tempore venerationis affectu. Et infra. Quotidiè ſtudens ei ſpecialem & ſingularem reverentiam exhibere: O ſi exhiberes! quidni te quoque Cœlum ipſum proclamaret Confeſſorem, quemadmodum clienti Virginis, D. Alberto Carmelitæ contigit, nam de eo fertur, quod ipſo mortuo, cum gravis concertatio inter Clerum & FF. Carmelitanos eſſet exorta, num

de Con-

de Confessore, vel Defunctis, Sacrum foret celebrandum, duos Angelos in aëre, specie puerorum venustorum, stolis albis auro intertextis amictos, cantandum denunciasse. OS IVSTI MEDITABITVR SAPIENTIAM. Anton. Baling. 7. August.

STIMVLVS QVARTVS.

Considera. 4. Reciprocum illum affectum, quo Regina Confessorum, Sanctos suos Confessores adhuc in terris degentes prosequebatur. O quibus beneficijs! quibus gratijs non affecit nonnullos! proh quàm regiè & maternè aliquibus succurrit! Et quidni? nam ut optimè ait Germanus Sermone de Assump. Spiritus, inquit, tuus ô Maria, vivit in æternum, omnia observas, omnia intueris, & inspectio tua ad omnes se porrigit. Anima mea! audi Sanctum Confessorem Bonav. dicentem. Securè tuam ei causam committas, quia Mater est misericordiæ. Ah quid agis? cur non committis? cur per singulos dies novas & novas gratias non flagitas? quæris quas? audi. Septem dari planetas docent Astrologi, qui non solùm singulis hebdomadæ diebus nomen imponunt, verùm etiam ita singulis

præsunt,

præſunt, ut Luna die Lunæ præſes ſit in Cœlo. Mars die Martis regnet, cœleſteſque influxus moderetur. & ſic de alijs. Pete igitur die Lunæ, ut quemadmodum Luna frigore ſuo ad caſtitatem diſponit, ita tu per Mariam puritate exorneris. Pete die Martis, ut quemadmodum Mars fortitudinem inſtillat, eandem tibi inſtillet Maria. Pete die Mercurii, ut quẽadmodum Mercurius eloquentiam & moderandæ linguæ gratiam impendit, tibi quoque facundiam elargiatur Maria, quâ de cœleſtibus duntaxat loquaris. Pete die Iovis, ut quemadmodum Iupiter magnanimitatem, ſublimesq; quosdam ad gloriam impetus ſpirat, te ſimiliter ad æternam gloriã quærendam animet Maria. Pete die Veneris, ut quemadmodum Venus amorem ſuſcitat, te quoq; in amorem IESV & MARIÆ accendat eadem Maria Pete die Sabbati prudentiam, ſed illâ majorem, quam Saturnus terræ afflat. Pete deniq; die Solis, ſive Dominicâ, claram rerum omnium notitiam, ut dicere poſsis cum Eccleſiaſte, Cap. 2. Vidi cuncta quæ fiunt ſub Sole, & ecce univerſa vanitas & afflictio ſpiritus. Ah ſi conſtanter & vivâ fide peteremus! proh quæ & quanta non obtineremus à Regina Confeſſorum! nam de eâ ita ſcribit Richar. à

S. Lau-

S. Lauren. Lib. 5. de Laud. Virg. Tornatiles dicuntur manus Mariæ, quia ſicut ars tornandi promptior eſt alijs artibus, ſic Maria ad benefaciendum promptior omnibus Sanctis.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

Exulet hic & nunc axioma illud vulgare. Secretum meum mihi. Tu ſecretum tuum pande ô Sanctiſsime Confeſſor Ignati. Dic quid videris? quò tandem à nobis ſpiritu & animo abiveris? quando raro planè exemplo, quodam Sabbato, ſub horam Completorij, in extaſi extra te poſitus, mortuo quàm vivo ſimilior, ad alterius usq; Sabbati Completorium decubuiſti. O ſeptimanæ extaticæ alpha & omega ſanctiſsimum! Heus peccator! tu illud ſceleribus contaminare audebis? Time ne moroſâ arithmeticâ, illa numeret colligatq; dæmon, quemadmodum olim collegit capillos ſingulos, dum S. Aichardus Abbas, Sabbato quodam poſt Veſperas eos ſibi tonderi curaſſet. Time ne tibi exprobret, quod tunc exprobravit, inquiens. Hos ego capillulos quàm ſtudioſiſsimè collectos,

Lucife-

Lucifero nostro, & omnibus inferni Principibus, Civibusque ostendam hodiè, ad ruborem vestrum. Erubescet dæmon ipse, si tu prius dolens erubescas, non melius hucusq;, Sabbatis præsertim, te coluisse Reginam Confessorum Mariam.

CAPUT QVADRAGESIMVM TERTIVM.

REGINA VIRGINVM.

Tu in Cœlestibus Regnis, prælata es cunctis Virginum Choris.

Fulbertus Carnotensis Episcopus ad Virginem Serm. 11. art. 2. Cap. 2.

STIMVLVS PRIMVS.



Onsidera. I. Quibus titulis, quibus laudibus & encomijs honorare possis, hanc tam illustrem Reginam Virginum. Principem Virginitatis eam vocat Epiphan: hæres. 78. Virgini-

ginitatis coronam. Cyrillus Alexandrinus hom. 6. contra Neſtorium. Virginum Primiceriam Bernardus in tractatu de paſsione Domini, Cap. 31. Virginitatis Primipilam. Idiota Cap. 6. Contemplationum Mariæ. Virginum Lumen Nazianzenus. Gloriam Virginum Damaſcenus. Tu ne à communi titulo recedas, voca eam iterum cum Eccleſia, Reginam Virginum. O videres! quali diademate coronata, reliquas omnes Virgines antecedat hæc Regina! quam totius caſtitatis Reginam extitiſſe, aſſerit Chryſologus. Serm. 143. O videres! qualem Aureolam virginitatis aſſecuta ſit! quam tantò excellentiorem aſſecutam fuiſſe, quantò perfectiùs præ cæteris virginitatem ſervavit, affirmat cum nonnullis, Angelicus Doctor Thomas. O videres deniq; ! quantis Virginum Choris ſtipata, quibus tripudijs, & canticis non exultet illa, cui aptari poteſt illud

Quocunque pergis Virgines
Sequuntur, atque laudibus
Poſt te canentes curſitant
Hymnosque dulces perſonant.

De quâ Bernardus hom. ſuper miſſus eſt. Novum inquit canticum illud, quod ſolis dabitur in Regno Dei

Dei cantare Virginibus, ipſam Virginum Reginam cum cæteris, imò primã inter cæteras eſſe canturã, nemo eſt qui ambigat. De quâ idem Bernardus tractatu de paſsione Domini, Cap. 31. Si omnes, ait, Virgines canticum illud cantabunt, nunquid illa Virgo Virginum Primiceria non cantabit? cantabit utique, & tantò jucundiùs, quantò caſtior præ cæteris, præbebitq; toti Choro in cantando exemplum, quas ad virginitatis amorem ſuo incitavit exemplo. De quâ Ambroſ. Lib. 2. de Virginibus. Tunc, inquit, Maria tympanum ſumens choros Virginales excitabit canentes Domino, quod per mare ſęculi ſine ſęcularibus fluctibus tranſierunt. Chriſtiane! ſi ad hæc pœana, ſi ad hos cantus aſpiras, perge Virgo eſſe mente & corpore. Si Virgineis his choris inſeri cupis, fuge quidquid puritati adverſatur. Si Virginum melodiâ æternùm oblectari volueris, cave ne latum quidem unguem diſcedas à Tympaniſtriâ tuâ, ſic Reginam Virginum vocat Auguſtinus Serm. 18. de Sanctis. O te millies fœlicem! ſi tibi Virgini hinc diſcendẽti Virgo occurrat. Qualis erit, inquit Hieronymus Epiſt. 22. ad Euſtochium: illa dies, cum tibi Maria Mater Domini choris occurret comitata virgineis? cum poſt mare

rubrum submerso cum suo exèrcitu Pharaone, tympanum tenens præcinet responsuris. Cantemus Domino, gloriosè enim honorificatus est, equum & ascensorem projecit in mare.

STIMVLVS SECVNDVS.

Considera. 2. Quàm meritò REGINA VIRGINVM vocetur MARIA, siquidem non tantum voto virginitatis sese obstrinxerat, quod efficaci ratione probat Augustin. Lib. de sancta virginitate Cap. 4. dum ait. Quia annuncianti Angelo Maria respondit. Quomodo fiet istud quoniam Virum non cognosco? quod profectò non diceret, nisi prius se Virginem Deo vovisset. Sed etiam quia nullus mortalium, Vir sive fœmina, ante ipsam hoc votum emisisse legitur. Vndè benè hom. de Annunc. Beda. Verè, inquit gratiâ plena, cui divino munere collatum est, ut prima inter fœminas gloriosissimum Deo virginitatis munus offerret. Benè Ildephonsus, serm. 5. de Assump. De istâ, inquit, dicitur, optimam partem elegit, quia prima omnium fœminarum Deo virginitatem obtulit. Benè Sanct. Bartholomæus Apost. apud Abdiam Lib. 8. Hist.

Hist. Apost. de Reginâ Virginum hæc tradit. Hæc autem Virgo cum execraretur omnem Virum, & ipsa servandæ virginitatis votum prima Deo omnipotenti vovit, cum à nullo homine, nec verbo didicisset, neq; exemplo ad imitationem fuisset invitata, nulla enim hoc votum antea obtulerat. ita ibi. Rationem verò Mariani voti gratiosè indicat Angelicus Thomas, 3. p. q. 28. art. 4. ad. 2. Quia cum hoc votum ad statum perfectionis pertineat, decuit ut in lege gratiæ initium haberet à Christo & Matre ejus. O verè Reginam Virginum Mariam! dic ei Anima mea, cum mellifluo Bernardo, Serm. de Annunc. O Virgo prudens. ô Virgo devota: quis te docuit Deo placere virginitatem? quæ lex, quæ justitia, quæ pagina veteris testamenti vel præcipit, vel consulit, vel hortatur in carne non carnaliter vivere, & in terris Angelicam ducere vitam? ubi legeras de Virginibus, quia cantant canticum novum? ET POST PAUCA. Tu verò nec habebas pręceptum, nec consilium, nec exemplum, nisi quod unctio docebat te de omnibus, ac sermo Dei vivus & efficax ante tibi factus est magister quam filius, prius instruxit mentem quam induerit carnem. Hæc ibi. Verùm quia non tam verba quam facta adamat hæc

Regina Virginum, age Anima fidelis, & juxta illud

Regis ad exemplum totus componitur Orbis

Reginæ tuæ veſtigijs inſiſtens, in ſanctius quoque illud votum prorumpe. Fac quod S. Edmundus, qui virginitatem coram Mariæ imagine vovit, & annulum cui inſculpi fecerat ſalutationem Angelicam, in ipſius imaginis digito poſuit, ex quo tempore, uti ipſe in obitu faſſus fuerat, quoties Virginis præſidium invocavit, ipſa in tribulatione remedium, in dolore gaudium ſibi celeriter impetravit. Surius in ejus vita. Menſe Novemb.

STIMVLVS TERTIVS.

Conſidera. 3. Annon indè etiam meritò Regina Virginum vocari poſsit Maria, quia virginitatis puritate, non homines ſolùm, ſed ipſos quoque Angelos longè ſuperavit, ut ex Alberto docet S. Antoninus 4. part. tit. 15. C. 17. §. 4. ubi ſic loquitur. In omnibus alijs viatoribus caſtitas eſt cum pugna contra fomitem, & cum caſu ad minus imprimente veniale, & cum poſsibilitate cadendi etiam in mortale, exceptis ſanctificatis in utero, & Apoſtolis Spiritu Sancto repletis dicit Albertus: ſed

in

in B. Maria fuit castitas sine pugna fomitis, & sine casu & possibilitate cadendi in mortale vel veniale. Nec solùm hominum viatorum, sed etiam Angelorum castitatem excessit, est enim primò multiplicior, quia Angeli solùm eam habent in spiritu, non in corpore quod non habent, sed B. Maria in spiritu & corpore est Virgo. Est secundò nobilior & utilior, quia Angelis est naturalis, undè nec meritoria, in B. Maria est gratuita & meritoria. Est tertiò gloriosior, quia in Angelis quasi necessaria & sine pugna, in Maria voluntaria & cum victoria. Hucusq; S. Antoninus. O victoriam! ô virginitatem! quod enim Maria meruerit fieri Mater Dei, hoc meritum de congruo, virginitati etiam ipsius adscribunt complures Patres. Gratiosè Hieronymus Epistol. 22. ad Eustochium ait. Tantæ puritatis Maria extitit, ut mereretur effici Mater Filij Dei. Ah quæ non promererentur mortales, si Reginæ Virginum castimoniam sectarentur! Refert P. Georgius Stengelius è Soc. Iesu, in suo opere de judicijs Divinis, tom. 1. Cap. 13. In conspectu totius cujusdam Civitatis, duos Angelos è Cœlo advenisse, manibusq; elegantissimas coronas ferentes, dixisse ad duas Virgines. Hæc serta vobis in testimonium illibatæ ve-

stræ

ſtræ virginitatis mittit Maria IESV & veſtra Mater. O dona! ô munera! Proh quibus ſe non privant! quæ mala non incurrunt ij! qui contra puritatem vel leviter delinquunt. Time illud quod Lib. 2. vitæ S. Dominici C. 13. legitur. Vidit ille Reginam Virginum, lectos ſuorum Religioſorum aſpergentem, uni verò eorum indecenter decumbenti, benedictionis gratiam denegantem. Time illud quod de Alphonſo Rodriquez è Soc. Ieſu habetur, qui cum ſemel in plateâ, caſu & non cum intentione fœminam quampiam conſpexiſſet, ab eadem Regina in examine redargutus fuit. Ama illud P. Balthaſaris Alvares, qui cum in publico quodam actu, cui intereſſe debuerat, oculos attollere nequiviſſet, quin è regione conſtitutas fœminas videret, imaginem Sanctiſsimæ Virginis, quam ſecum portare eſt ſolitus exemit, & in ea 7. horas defixus mente & oculis inconnivis hæſit.

STIMVLVS QVARTVS.

Conſidera. 4. Quanti virgineam ſuam puritatem fecerit Regina Virginum, ſiquidem ait Greg. Nyſſenus Oratione de Chriſti generatione.

Ange-

Angelus partum nunciat, at illa virginitati inhæret, & integritatem Angelicæ demonſtrationi antepo-nendam judicat. Pulchrè Simeon Metaphraſtes in Oratione de vitâ & dormit B. V. Audi, inquit, pu-ram vocem Virginis, Angelus partum annunciat, & illa adhæret virginitati, & neq; poteſt Angelo non credere, nec diſcedit ab his quæ ſtatuerat. Pulchrè S. Bernardus Serm. 4. de Aſſumpt. Immobile, ait, virginitatis propoſitum, quod nec Angelo filium promittente aliquatenus titubavit. Sed pulcherrimè Blaſ. Vieg. Apoc. 12. Comment. de B. V. ſect. 12. n. 4: dum aſſerit, probabile eſſe Mariam electuram non fuiſſe ut Dei Mater fieret, niſi certa ſimul eſſet de ſuâ virginitate. O Chriſtiane! Diſce hîc (verba ſunt Cornelij à Lapide in Luc. Cap. 1. in verſ. 34.) quantum virginitatis ſtudium & amor fuerit in B. Virg. quia ipſa caſtitatem prætulit Angelico nuncio ait Nyſſenus, ac Virgo eſſe maluit quàm Mater Dei præcisè, ait S. Anſelmus: virginitas enim in ſe eſt virtus Deo gratiſsima, maternitas præcisè non eſt. Hæc ibi. Bernardus hom. 3. in Miſſus eſt. Virgi-nem ita facit loquentem. Melius eſt mihi maledi-ctum incurrere, quàm caſtitatem violare, nam li-cet video maledictum, ſed non peccatum, hæc enim

maledictio, quid est nisi hominum exprobratio? O verba digna quę reponas Sodalis Parthenie, si quando ad illicita inviteris! O verba digna! ne excidant in chartis reponas, ipsumque calamum tantorum verborum testem Reginæ Virginum offeras! Ast cave ne contingat quod Sodali illi de quo Bonifacius L 5. Virg. hist. qui calamo è Sodalitate quadam Partheniâ furto sublato, dum ad amasiam scribere vellet, jamq; calamum furtivum manu sumpsisset, illicò sibi sensit alapam infligi, simulq; vox ad aures venit. Etiamne scelesté rem mihi dicatam temerare audes impuro nisu?

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

Expugnandam omninò dixisses virginalem illam pudicitiam, de quâ Pomer. Lib. 12. p. ult. C. 4. Aderat hostis fortissimus, aurum quod offerebatur, & de quo Poëta.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames!

Aderat speciosi adolescentis ad scelus invitantis decor, qui secundùm Theophrastum, tacita est deceptio-

ptio: ſed utrumque vicit virgineus animus. Ajebat Virgo. Malle ſe cadaver eſſe, quàm non Virginem. Cœlum pro thorace induit, dum per Deum obſecrat, per Mariam, per Sabbatinum qui tunc agebatur diem, integritati ſuæ parceret juvenis. O pugnam! ô voces Reginæ Virginum acceptiſsimas! Quæ columba inter accipitris ungues, non mortem potiùs quàm vitam exſpectaret, acciperetque? Hæc vitam accepit, dum inter Veſtales Deo ſacras ab impuro juvene, liberaliter collocaretur. Putas ad hanc metamorphoſin non riſiſſe Cœlum? non exultaſſe Reginam Virginum Mariam? non fuiſſe magis illuſtratum Sabbatum?

CAPUT VLTIMVM.

REGINA SANCTORVM OMNIVM.

Hæc in Cœlis Regina Sanctorum, & in terris Regina Regnorum eſt.

Rupertus in Cap. 4. Cantic.

STIMVLVS PRIMVS.

CONsidera. I. Supremam illam dignitatem ad quam evecta est Maria, ut nimirum Regina sit Sanctorum omnium. Quare meritò cum S. Damasc. Lib. 4. de fide C. 15. eam vocare potes, rerum omnium conditarum Dominam. Cum S. Bonav. in Spec. Cap. 3. Dominam Cœlestium, Terrestrium, & infernorum. Cum Ephræm Serm. de Laud. Omnibus superis exercitibus gloriosiorem. Dic cum B. Laurentio Iustinian. Serm. de Assump. Quicquid honoris, quicquid felicitatis habebatur in singulis, totum abundat in Maria. Dic cum Richar. à S. Laur. Lib. 2. de Laud. Virg. partic. 3. de Maria loquente. Nec comparavi illi lapidem pretiosum, id est, quemlibet Sanctum, quoniam omne aurum comparatione ejus arena est exigua, id est omnis Sanctus respectu Mariæ est sicut arena respectu auri. Dic cum Idiota Lib. 6. Sanctorum, inquit, omnia privilegia, ô Virgo, omnia habes in te congesta, nemo æqualis est tibi, nemo major te, nisi Deus. S. Anselm. de excell. Virg. Cap. 9. Mariam jure materno asserit, Cœlo, terræque cum Filio suo

esse

esse præsidentem. S. Antoninus 4. par. tit. 15. C. 22. §. 9. ait. Illam propter Christum Imperatricem & Monarcham esse Mundi. Concludat Arnoldus Carnotensis. Christus Dominus, Maria Domina, constituta quippè est super omnem creaturam, & quicunque Iesu curvat genu, Matri quoque pronus supplicat. Hæc ipse. Ingemisce ô homo! te hucusq; adeò dehonorasse tam sublimem Reginam, cui jure quodam competere affirmat Anselm. de excell. Virg. C. 9: ut illam omnis creatura summam Dominam & Dominatricem agnoscat, suspiciat, & honoret. Ah quàm raró suspexisti! quàm raró ut Dominam tuam salutasti! cum tamen Anatholius Auctor Græcus in Cantico asserat. Quæ ab æterno prædestinata fuerat ut Dei domicilium, divinumq; sempiternæ naturæ Templum foret, hæc universorum Regina jure salutatur. Age igitur ô peccator, age, & ad pedes clementissimæ Reginæ prostratus, veniam supplex pete, nam ait Bonav. in Spec. Non solum inquit, in te peccant ô Domina, qui tibi injuriam irrogant, sed etiam qui te non rogant. Age & Sanctorum omnium suffragia posce confidenter. O te fœlicem si impetres! ó te beatum si ad tua vota pertrahas Reginam Sanctorum omnium!

nium! quia par est credere ut scribit fortissimus Christi Athleta. P. Edmundus Campianus Orat. de tutelâ & defensione B. Virg. pag. 210 etiam tum cùm hæc Virgo procurationem nostram suscipiens ad calamitates nostras deprecandas prodierit, tum, inquam, universam illam regalis Aulæ coronam, tum illum Consessum beatissimum Angelorum ac Divorum omnium, unà sese ad supplicandum dedere, sese prosternere, voces attollere, suamque Reginam supplicantem ardentissimis votis cingere, plenissimisque suffragijs comitari.

STIMVLVS SECVNDVS.

Considera. 2. Non per metaphoram & similitudinem, sed verè ac propriè Mariam esse Reginam Sanctorum omnium, & quidem non titulo Sponsæ, quem ei defert Anselm. Lib. de excel. Cap. 11. cum enim non propriè Sponsa sit Dei, sed solùm per similitudinem, nec propriè ex hoc capite erit Regina, sed æquè duntaxat per similitudinem. Inquies: propriè Reginam esse titulo humilitatis quo Regiam dignitatem sibi comparavit, juxta illud D. Ildephonsi, in serm. de Assump. qui de Maria

ria ait. Ipſa propter humilitatem Regina noſtri Orbis dicitur: at ne hoc quidem titulo, quo omnibus prælata eſt excellentiâ ſed non poteſtate. Deniq́ue unica & præcipua Mariani imperij Regniq; radix, eſt maternitas, ob quam non metaphoricè ac impropriè, ſed germanè & propriè omnium creaturarum eſt Regina. Pulchrè Damaſcen. Orat. 2. de Aſſump. Oportebat Dei Matrem ea quæ filij erant poſsidere, atq́ue ab omnibus rebus conditis ut Dei Matrem adorari. Quanquam enim ſemper ita comparatum eſt, ut hæreditas â parentibus ad filios devolvatur, nunc autem ut eruditi cujusdam Viri verbis utar, ſurſum ſacrorum fluminum fontes fluunt, etenim filius matri res omnes conditas in ſervitutem addixit. Pulchrè Arnoldus Carnotenſis in tractatu de Laud. Virginis. Nec à dominatione vel potentiâ filij mater poteſt eſſe ſejuncta. Pulchrè D. Athan. in ſermone in Evangelium, ubi ſic habet. Quandoquidem ipſe Rex eſt, qui natus eſt ex Virgine, idemq́; Dominus eſt DEVS, eapropter & Mater quæ eum genuit, & Regina & Domina & Deipara propriè & verè cenſetur. ita ille. Quod ſi magis arrideat Damaſc. Lib. 4. de fide Cap. 15. audi quid eo loco dicat. Verè rerum omnium conditarum

rum Domina effecta est, cum Creatoris Mater extitit. Audi etiam quid in Cap. 4. Cantic. adnotet Rupertus. Hæc in Cælis Regina Sanctorum, & in terris Regina Regnorum est, quandoquidem est Mater Regis coronati, quem constituit Dominus super opera manuum suarum, ac proindè Regina constituta totum jure possidet Filij Regnum. Hæc ibi. Ait S. Bonav. in Litanijs. Sancta Maria cui Sancti & Sanctæ congaudent & gratulantur. Apud S. Iacobum in Liturgiâ habetur. Tibi ô plena gratiæ universa creatura gratulatur, Angelorum cœtus & hominum genus. O Christiane! tu ergò solus tacebis! tu non gratulaberis Virgini de regiâ hâc dignitate! de tot gratiis ac privilegiis quibus eam cumulavit Cœlum! Audi quid loquatur Bernardus Serm. 1. de Assump. Planè congratulabimur ei, nisi fortè quod absit, inventrici gratiæ inveniamur ingrati.

STIMVLVS TERTIVS.

Considera. 3. Quàm latè pateat Reginæ hujus imperium, quæ non hominum solùm, sed etiam Angelorum verè ac propriè Regina est, habetque jus in Angelos, homines, dæmones, ratione cujus

cujus verè ac propriè servi illi mancipati, vel mancipia sub ejus ditione constituta appellari debent. Adde. Sub ejusdem dominio esse omnes alias irrationabiles creaturas. Quarè meritò Ephræm Orat. de B. V. eam Reginam supernorum Civium compellat. Ildeph. Serm. 3. de Assum. Reginam Regum. Rupertus Reginam Regnorum prædicat. Breviter sed nervosè de eâ loquitur Cap. 3. in Spec. Bonav. Revera Domina est Cœlestium, terrestrium & infernorum. Domina inquam hominum, Domina Angelorum, Domina dæmonum. Audi efficacissimè loquentem D. Bernardinum tom. 1. Serm. 61. art. 3. Cap. 6. Tot creaturæ serviunt gloriosæ Virgini, quot serviunt Trinitati, omnes enim creaturæ quemcunque gradum teneant in creatis, sive spirituales ut Angeli, sive rationales ut homines, sive corporales ut corpora cœlestia, vel elementa; & omnia quæ sunt in Cœlo & in terra, sive damnati, sive Beati, quæ omnia sunt divino imperio subjugata: eadem gloriosæ Virgini sunt subjecta; ille enim qui Filius Dei est, & Virginis Benedictæ, volens paterno principatui principatum æquiparare maternum, ipse qui Deus erat, Matri famulabatur in terrâ, & erat subditus illis. Propterea hæc est vera pro-

ra propoſitio. Divino imperio omnia famulantur etiam Virgo. Et iterum hæc eſt vera. Imperio Virginis omnia famulantur, etiam Deus. Hæc ille. O non hominem! ô beſtiam! ô lapidem! qui tantæ Reginæ famulari recuſat. Servire huic REGINÆ, ait D. Anſelm. regnare eſt, & inter illius mancipia numerari plus quam regium. O infœlicem! qui ab hac omnium S:S: Reginâ ſe ſeparat! ad hanc miſericordiæ Reginam non accurrit! Eruditè S. Bernardi. Serm. 61. in Fer. 4. poſt Paſcha, art. 1. Cap. 3. Plus, inquit, ei convenit hoc nomen Reginæ miſericordiæ, quàm ſi dicatur Imperatrix: nam Imperatrix eſt nomen magni timoris, atque rigoris; Regina autem plus eſt nomen providentiæ & æquitatis.

STIMVLVS ULTIMVS.

Conſidera ultimò. Splendorem atq; majeſtatem Reginæ hujus, jam in cœleſti Regiâ reſidentis. De throno ejus loquens Anſelmus de excell. Virg. Cap. 8. DEVS, ait, eam cunctæ ſecum creaturæ perenni jure dominaturam in throno gloriæ ſuæ collocavit. Ratio naturalis, inquit S. Bernardin⁹ tom. 3. Serm. 3. de Nom. Virg. art. 2. C. 1. ex gra-

ex gratuita lege dictat, quod Mater Regis omnium est in sede Regiâ, super omnes ministrorum ordines collocanda. B. Petrus Damianus, Serm. de Assum. vocat illam Reginam sedentem à dextris Domini virtutum. De coronâ ipsius gratiosè Bernardus. Quis illas ait æstimet gemmas; quis stellas nominet, quibus Mariæ regium diadema compactum est. Bonav. in Spec. Cap. 6. inquit. Revera in capite ejus Rex Regum diadema posuit tam impretiabile, tam delectabile, tam mirabile, quod hoc omni linguæ inennarrabile, omni ingenio inscrutabile est. De chlamyde regiâ, usurpa illud Davidis, Psal. 44. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato. Illa enim est mulier illa Apocalyptica Cap. 12. amicta Sole. Nullus, inquit S. August. Lib. 4. de Symb. ad Catech. Cap. 1. hunc locum Apocal. tractans: vestrum ignorat, mulierem illam, Virginem Mariā significasse. Quod si scabellum pedum ejus inquiras, accipe illud Apoc. 12. Luna sub pedibus ejus. S. Antoninus 4. p. tit. 15. Cap. 20. §. 2. Luna, inquit, quæ Ecclesiam significat Apoc. 12. sub pedibus est Virginis, non tantùm sub ejus patrocinio, verùm etiam sub ejus est dominatione ac potestate. Si Aulicos cernere cupias: en sexaginta fortes qui

Lectulum ęterni Salomonis ambiunt. Meritò etiam de Cœlesti hac Reginâ legit Ecclesia, illud Ps. 44. in Missa Vigiliæ Assumptionis. Vultum tuum deprecabuntur non tantum ex inferioribus, sed ipsi divites plebis, nimirum magni & præcipui Sancti, quod de Virgine intelligit Gregor. II. Papa, Epist. ad Germanum. Si divitias & facultates tantæ Reginæ scire aves, adi S. Bonav. qui tractans in Spec. Lect. 2. illa verba Salomonis. Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas, Proverb. 31. ait. Si filias istas intelligimus Sanctas animas, vel intelligentias Angelicas, nunquid non supergressa est Deipara divitias Virginum, Confessorum, Martyrum, Apostolorum, Prophetarum, Patriarcharum. & Angelorum? cum ipsa sit primitiva Virginum. Speculum Confessorum. Rosa Martyrum. Registrum Apostolorum. Oraculum Prophetarum. Filia Patriarcharum. Regina Angelorum: quid enim illi de divitijs omnium horum defuit? Hæc Bonav. Non defuit tibi, inquit ad ipsam Idiota, C. 1. Contempl: puritas Angelorum. Non fides Patriarcharum. Non scientia Prophetarum. Non zelus Apostolorum. Non patientia Martyrum. Non sobrietas Confessorum. Non iñocentia & humilitas Virginum.

ginum. Pulchrè Angelicus Doctor Opuſc. 8. Alij inquit Sancti, ſpecialia quædam opera virtutum exercuerunt, quia alius fuit humilis, alius caſtus, alius miſericors, & ideò ipſi dantur in exemplum ſpecialium virtutum, ſicut B. Nicolaus in exemplum miſericordiæ, &c. Sed B.V. in exemplum omnium virtutum. O exemplum nobiliſsimum! ô exemplum illuſtriſsimum! & tamen: proh pudor! proh dolor! quàm pauci hoc exemplo moventur! quàm multi abutuntur! è quorum numero ne unus ſim ego. AGE TV Ô AVGVSTISSIMA COELI TERRÆQVE DOMINA. Age Regina Sanctorũ omnium Maria. Age, & potenti dexterâ tuâ clientem defende. Fac tu mihi ſemper ſis idæa, & virtutum exemplar, quod inceſſanter ſequar. Fac tu ſola mihi ſapias, mundi deliciæ deſipiant omnes, juxta illud Richardi, Lib. 2. Laudum, Cap. 3. Maria univerſas mundi delicias, convertit in amaritudinem de ſe fideliter cogitanti. Et ſi olim Hebræi terrenam ſuam Ieruſalem in annulis ſculptam deferebant, cum Babylone exules eſſent. Fac te continuò in corde meo, exul ego geſtem, imò tu cor meum in corde tuo, ut verificetur illud. Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum. Fac deniq; ut quod demiſsiſsimo offero affe-

ctu, tu benignissimâ manu suscipias, eâ manu, quæ caprarum pilos à purpurâ, à cocco, à bysso discriminare non novit. Malui (verbis utor Richard. à S. Laurent. Prol. 1. de Laud. Virg.) cùm mihi deessent coccus, & hyacinthus, & byssus, & purpura, de pilis caprarum devotus offerre, quàm in conspectu Beatæ Virginis vacuus apparere. Accipe ergò exilem quem in tui laudem hodiè vulgo Librum. Accipe quod unâ, in signum mei in te amoris dono Cor. Cui inscribo. TIBI VIVO. TIBI MORIOR.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

FInis coronat opus. Sabbatum ergò pro fine offero Christiane Lector. O te millies fœlicem! si hinc Sabbato abeas, ad Cœli lauros, ad Cœli coronas, ad Reginam Sanctorum omnium Mariam. Vt abeas

Memento ut diem Sabbati sanctifices.

Adorabit ad ostium portæ ejus, omnis populus in Sabbatis, ait Ezechiel, Cap. 46. Et tu quid? Vnusquisq; vestrum: inquit S. Ignati⁹ Episc. Mart. Ep. 3. ad Magnesianos: Sabbathizet spiritualiter, meditationi

tioni legis congaudens. Et tu quid? Olim apud Iudæos, ad Sabbatum colendum, tubâ vel cornu signũ datum, quemadmodum Liber, cui titulus Synagoga testatur. Et tu sanctioribus tubis, hoc est aliorum exemplis nedum excitus, nedum Christianum Sabbatum coles? Singulos hebdomadæ dies Hebræi olim Sabbatum nuncuparunt. Tibi vel unica dies Sabbatum non erit? Non me latet S. Augustinus. Ser. 22: inter novos, ubi ait. Ille verè observat Sabbatum, qui non peccat. Ast plura à te requirit Christiana pietas, etiam supererogationis opera pro Sabbato flagitat. Tu ergò

Memento ut diem Sabbati sanctifices.

Innocentio IV. Summo Pontifice, Sanctissimam Divi Dominici Familiam persequente, ad Litanias inter alias preces, ut refert Bzovius ad annum 1254. conclamatum est, quæ dum Romæ à FF. Dominicanis recitarentur, visibilis uni comparuit Regina Sanctorum omnium, visa eam Filio commendare: mortuo paulò post Pontifice, in proverbium Aulæ Palatinæ abijt. A Litanijs Prædicatorum libera nos Domine. O Christiane! ô Sodalis Mariane! Vis immurmuret infernus? Vis intonent dæmones?

à Lita-

à Litanijs Lauretanis libera nos Dominè. Sabbatis ſingulis, ſi non crebriùs, eas percurre. Ad eas cæteros etiam hortare. Conſalvius Silveria è Soc. Ieſu. Monomotapam navigans, ſummâ animi contentione, in navi de Mariæ Laudibus dixit, inſtituitq; Navarcho probante, Litaniæ Virginis primò Sabbatis, tum diebus ſingulis ſolemniter decantarentur. O quàm facile, vel Litanijs multiplices in Cœlo coronas promereri poſſes! Cœlo, crede mihi, non deſunt coronæ quibus coroneris, ne deſint capita quæ coronentur, Tu ergò illis ipſis

Memento ut diem Sabbati ſanctifices.

AD MAIOREM DEI, COELITVMQVE GLORIAM, ET POST DEVM, HONOREM MARIÆ.

Cui inſcribo illud Methodij in Hypap. ad Virg.

Tu Feſti noſtri Principium.

Tu Medium.

Tu FINIS.

INDEX

INDEX RERVM
Quæ hoc Libro continentur.

A

B

C

Iacobi

I

L

M

N

O

Suspi-

INDEX SABBATORUM.

C

D

E

F

G

H

I

Seba-

FINIS.











